



SANCTISSIMÆ TRINITATI GLORIA.

OPVSCVLA TRIA
DE DEO


QVOAD OPERA
PRÆDESTINATIONIS,
REPROBATIONIS,
ET GRATIAE ACTVALIS,

A FR. LAVRENTIO BRANCATO

BASILICÆ SS. XII. APOSTOLORVM
S.R.E. PRESB. CARDINALI DE LAVRÆA
BIBLIOTHECARIO,

In commodum Tyronum S. Augustini Doctrinæ Studiosorum elucubrata.





ROMÆ, Typis Hæredum Corbelletti. 1687.
Superiorum permissu.

In Congregatione Generali S. Rom. & Vniuersalis Inquisitionis habita in Conuentu S. Mariæ super Mineruam coram EE. & RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apost. specialiter Deputatis.

Lecto Memoriali eorum tenoris videlicet: *Eminentissimi, e Reuerendissimi Signori. Essendo dalla Sagra Congregatione prohibito, che niuno possa stampare in materia de Prædestinatione, Scientia Dei, e de Gratia, seu de Diuinis auxilijs, senza licenza della S. Cong. et hauendo composto un Opusculo*, De Prædestinatione, Reprobatione, & de Gratia, seu de Diuinis auxilijs, *prega la medesima S. Congregatione della licenza di poterlo stampare, quanto prima, e ne riceuerà gratia*. Quo Memoriali audito, EE. & RR. DD. Cardinales Inquisitores prædicti annuerunt.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Notarius.

Feria 4. Die 13. Martij 1686.

In Congregatione Generali S.Rom. & Vniuersalis Inquisitionis habita in Conuentu S. Mariæ super Mineruam coram EE. & RR.DD.S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apost. specialiter Deputatis.

LEcto Memoriali tenoris sequentis, videlicet: *Eminentiss. e Reuerendiss. Signori. Essendo dalla* Sagra *Congregatione probibito, che niuno possa stampare in materia de Predestinatione, Scientia* Dei, *e de Gratia, seu de Diuinis Auxilijs, senza licenza di questa* S. *Congregat. il Card. di Lauria, hauendo composto trè Opusculi,* De Prædestinatione; Reprobatione, & de Gratia, seu de Diuinis auxilijs, *prega la medesima* S. *Congregatione della licenza di poterli stampare seruatis seruandis, e l'haurà à gratia.* Quo Memoriali audito, EE. & RR. DD. Cardinales Inquisitores prædicti annuerunt.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Vniu. Inquisitionis Notarius.

LIBER verè egregius, omnibusque numeris absolutissimus (cuius Titulus est) *Opuscula de Deo quoad Opera Prædestinationis, Reprobationis, & Gratiæ Actualis* ab Eminentiss. & Reuerendiss. Cardinali Brancato de Laurea elucubratus, difficillimas, ac penè inexolubiles complectitur quæstiones, sed methodo, quàm ante hac faciliori, à subtilissimo tanti viri ingenio incōcussis rationibus, Sacrarum Scripturarum, & Conciliorum authoritate, fidelissimoque Sanctorum Patrum testimonio, & præcipuè ad mentem, & secundùm germanum sensum Diui Patris Augustini, explicantur, & enodantur. Vt ergo in lucem prodeat, ne intellectus inter tot huiusce sublimis materiæ ambages aberret, sed vt è tenebris expergefactus, defecatum veritatis lumen intueatur, & agnoscat, dignissimum censeo.

D. Io. Baptista Lamia Cremonen. Abbas, & Proc.Gen.Congr.Can.Reg.Later. Ord.S. Aug. Sacr. Theolog. Professor, &c.

CVM

CVM Opus tripartitum de Deo *quoad Opera, Prædestinationis, Reprobationis, & Gratiæ Actualis* ab Eminentiss. ac Reuerendiss. Card. de Laurea ingeniosissimè compositum perlegissem, vnum inter cætera in admirationem me rapuit, Virum scilicet ætate prouectum, publicis occupationibus distractum, heroicisque laboribus fessum, tàm neruosè, tamquàm lacertoso conatu arduum hoc negotium potuisse breui temporis interuallo aggredi, expedire, & à difficultatibus, quibus abundè scatet, extricare, euacuare, præeunte nempè Diui Augustini face, cuius mentem neminè feliciùs, neminè medullitùs assequutum esse reor, vt anceps omnino sis, num ipsius ore Augustinus, an ipse Augustini ore loquutus sit. Id verò tanta profunditate, sed clara, claritate, sed alta, altitudine, sed facili, vt non ampliùs à sæculis absconditum dixeris Gratiæ, & Prædestinationis mysterium. Pro Theologorum ergo eruditione, & Christianorum profectu Opus hoc dignissimum existimo.

D. Benedictus Giancasperi Ord. Cælestinor. ac S. *Eusebij de Vrbe Abbas*, *S. Theol. Professor*.

LEGI

LEGI Opuscula de *Prædestinatione, Reprobatione, & Gratia Actuali*, Auctore Cardinali de Lauræa. Stat pro magna commendatione Operis, nomen præseferre Eminentissimi Auctoris, quem, ipsa seruitia Sanctæ Sedi insigniter præstita, extulere ad Purpuram. In hisce autem Opusculis Doctrinæ suæ Robur adijcere satagit ex Sacra Scriptura, Sanctisque Patribus, & præsertim Augustino, cuius discipulatum profitetur. Et quod calamo profitetur, facto quoque ipso explet; nam erga eos etiam, quos reijcit, implicitè tantùm, absque nomine, aut censura (quod solemne erat Augustino) se gerit quàm modestissimè; vnde censuerim non parùm studiosis esse profutura, quandocumque prælo commissa euulgentur. E Cœnobio Mineruæ pridie nonas Maij anno 1687.

Fr. Iulius M. Bianchi Ord. Præd. Sacræ Theologiæ Magister.

IN

IN tribus Tractatibus *de Deo quo ad Opera Prædestinationis*, *Reprobationis*, *&* *Gratiæ Actualis*, ab Eminentissimo Cardinale de Laurea compositis, depræhendi flores, non è flaccido Tantali horto lectos, qui nempe, *dum nascuntur*, *consenescant*, sed ad æternitatem omninò delectos, è Theologicá soliditate Sanctorum Ecclesiæ Doctorum Augustini, & Thomæ. Quippè quibus sic totus hæret, vt eos, quanti sunt, totos imbibisse videatur. Mea non egent approbatione, cùm maius omni laudum præconio sit Nomen, quod prætendunt in fronte: Nomen, inquam, Eminentissimi Scriptoris potiùs, quàm muricis ostro, voluminum numero, Reipublicæ literariæ notissimi. Romæ, è Conuentu Sanctæ Mariæ super Mineruam, Sexto idus Maij, anno Christiani orbis MDCLXXXVII.


Fr. *Angelus Iulianus Ord. Prædic. Doctor Theologus, ac fidei olim Quæsitor Genuæ*.

Impri-

Imprimatur,


Si videbitur Reuerendiss. P. Sac. Palatij Apost. Magistro.

I. de Ang. Arch. Vrb. Vicesg.



Imprimatur.

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Ord. Præd. Sac. Apostol. Pal. Mag.




INDEX CAPITVM.

OPVSCVLVM PRIMVM.

DE PRAEDESTINATIONE.


§ §

Cap. 19.



OPVSCVLVM SECVNDVM.

DE REPROBATIONE MALORVM.



OPVSCVLVM TERTIVM.

DE GRATIIS ACTVALIBVS, SEV DE DIVINIS AVXILIIS.

Cap. 17.



PRO-



PROLOQVIVM,

Et mens Authoris.



SANCTVS meus Pater Franciſcus *in cap. 9. Regulæ*, Prædicatoribus præcipit, *vt annuncient vitia, & virtutes; pęnam, & gloriam cum breuitate ſermonis*; & rationem (tali Sancto dignam) tradit, *quia*, inquit, *Verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper Terram*.

Cùm autem fuerim ab amicis rogatus, vt aliquando meam proferrem ſententiam circa materias Prædeſtinationis, Reprobationis, & Gratię adeò controuerſas; decreui tandem eis morem gerere, certò ſperans, quòd iuxta Iſaię 55. 12. vaticinium, *Verbum Domini non reuertetur vacuum*. **Authoris proteſtatio de breuitate.**

Et quoniam de his materijs innumera ferè, & prolixa extant diſputantium volumina, quę ob intolerabilem quorumdam verboſitatem, & impugnandi zelum, ab eis legendis quemcunque, etiam flemmaticum, Lectorem, deterrent; vt amicis præfatis ſatisfaciam, & Sancto Patri Franciſco obediam, laconicè quantùm fieri poterit, at non obſcurè, & ſine concertatione, dicam pateticè quid de illis ſentiam.

Fateor, quòd ex Sacra Scriptura eruam, quæ habere potero argumenta, & ex Sacris Concilijs, quoad intrinsecam probabilitatem, vel euidentiam statuendam. Quò verò ad extrinsecam, in omnibus sequar Sanctos Patres, & omnium præcipuum S. Augustinum, cuius doctrinam, & laudarunt, & secuti sunt Romani Pontifices, Concilia plura; Doctores sancti permulti, & scholarum Principes. At quoniam Sancti Augustini sententia in his materijs est omnium ferè meorum dictorum fundamentum; non pigeat lectorem horum Opusculorum initio prælibare, quinam in specie Doctrinam S. Augustini de Prædestinatione, Reprobatione, & Gratia amplexati sunt, vt firmiter concludat euidentem eius firmitatem.

Authoris declaratio, quòd sequitur S. Augustinū.

Omnium primò Innocentius Primus accipiens litteras à Concilio Mileuitano (in quo ipsemet Augustinus fuerat, & os, & calamus) de gratia liberante, & adiuuante, &c. respondit, *esse lineas plenas fidei, & totius Religionis Christianę vigore formatas*.

Romani Pontifices, qui doctrinam Augustini commendarūt.

Innoc. 1.

Zosimus S. Augustini doctrinam contra Pelagianorum errores maximè laudauit, eàque contra eos Antistitum omnium dexteras armauit.

Zosimus.

Bonifacius Primus, quamuis doctissimus esset, tamen contra Pelagianorum errores Augustini poscebat responsa. Sic de hoc, & Zosimo loquitur S. Prosper. Sancti isti Pontifices, viuente Augustino, eius doctrinam commendarunt.

Bonifacius 1.

Cęlestinus 1. defuncto Augustino, audiens à S. Prospero, Massilienses contra eius doctrinam de Prædestinatione, & Gratia obloqui, illum defendit, sic scribens ad Galliæ Episcopos, *Augustinum sanctę recordationis virum pro vita sua, atquè meritis in nostra communione semper habuimus,*

Cęlestinus 1.

mus, nec vnquàm hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit; quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter Magistros optimos, etiam antè à meis decessoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune senserunt, vtpotè qui vbiquè cunctis amori fuerit, & honori. Vndè resistendum talibus, quos malè crescere videmus.

Hormisda *in epist.*70. quæ est ad Possessorem in fine, ait, *De Arbitrio tamèn libero, quod Roma, hoc est Catholica sequitur, & asseuerat Ecclesia, licèt in varijs libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium, & Prosperum possit cognosci: tamèn in scrinijs Ecclesiasticis expressa Capitula continentur; quæ si tibi desunt, & necessaria creditis, destinabimus, quamquàm qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, euidenter cognoscat.* Ex quibus duo habentur; & quòd doctrina hęc Augustini sit doctrina Romanæ Ecclesiæ, & quòd sit Apostoli doctrinę conformis. Hormisda.

Ioannes 2. *in epist.*3. inquit, *Doctrinam S. Augustini in Ecclesia obseruari secundùm Prædecessorum statuta.* Ioan. 2.

Gelasius *in Epist.*6. inquit, *Augustinum, & Hieronymum esse lumina magistrorum.* Gelasius 1.

Bonifacius 8. vt habetur *in cap. vnico de Reliquijs, & veneratione SS. in 6.* statuit doctrinam Sanctorum Augustini, Ambrosij, Gregorij, ac Hieronymi tenendam; *quia*, inquit, *per eam fulcitur Ecclesia, & nodi difficultatum soluuntur.* Bonifac. 8.

Vt autèm ad sæculum nostrum accedamus, Clemens Octauus, & Paulus Quintus, S. Augustini doctrinam sartamtectam custodiri mandarunt in controuersijs coram se discussis in materia de auxilijs diuinæ gratiæ inter Patres ordinis Prædicatorum, & Patres Societatis Iesu; nàm eam Clemens 8. Paulus 5.

vtrisque præfixerunt indeclinabilem regulam, vt ex Sancti Augustini doctrina sua depromerent argumenta; vtrique enim eam doctrinam se tenere profitebantur, quamquàm in suis thesibus dissentirent. Et Pijssimi illi Pontifices 47. *Congregationibus* de hac materia coram se habitis patienter præsederunt; nempè Clemens 37. & Paulus 10.

Alexander 7.

Alexander 7. pluries S. Augustini doctrinam in materia de gratia, & tutari, & commendare dignatus est. Primò cùm damnatis *ab Innoc. X.* quinque Iansenij propositionibus, quidam Iansenistæ conclamarent, Augustini doctrinam damnatam: Alexander sua Constitutione declarauit eas in sensu Iansenij fuisse damnatas. 2. cùm in Breui ad facultatem Louaniensem directo, eam commendauit, quòd S. Augustinum in hac materia sequeretur. Idem fecerunt Clemens X. & fœliciter regnans Innocentius XI.

Clemens 10. Innocentius 11.

Alios ommitto Pontifices, qui transeunter tantùm Augustinum, vel eius doctrinam commendarunt contra Pelagianorum hæreses; nempè Sixtum III. Leonem Magnum, Fœlicem IV. qui, vt infra dicam, canones 24. Aurisicani 2. Concilij ex Augustini libris ei Concilio præformauit, & Bonifacius confirmauit. Pelagium 2. Gregorium Magnum. Martinum I. Leonem IV. Nicolaum I. Vrbanum V. & Martinum V.

Sixt. 3. Leo 1. Fœlix 4. Pelagius 2 Greg. Mag Martin. 1. Leo 4. Nicolaus 1 Vrban. V. Martin. V.

Concilia plura, tàm Generalia, quàm Nationalia omnium ferè nationum S. Augustini doctrinam de Gratia secuta sunt. Mileuitanum sub Innocentio I. 60. *Episcoporum*, in quo fuit etiam Augustinus. Ephesinum Generale 4. sub Cœlestino I. 200. *Episcoporum*, ad quod fuerat vocatus Augustin. ab Imperatore Theodosio magnifica

Concil. Mileuit. Concil. Ephes.

illa epistola, qua eum, vt magnum totius orbis Magistrum, euocat; sed morte præuentus est.

Concil. Rom. 70. *Episcoporum* sub Gelasio I. Romanum 150. *Episcoporum* sub Martino I. Concil. Gallican. incerti loci, à quo Sancti Germanus, & Lupus missi sunt in Brittaniam contra Pelagianos pro S. Augustini doctrina. Tolet. 8. Valentinum 3. Lingoniense, seù Tullense. Arausicanum 2. in quo canones 24. de Gratia, & libero Arbitrio ex Augustini libris decerpti, statuti sunt, & à Felice IV. fuerant præmissi, & eo mortuo à Bonifacio IV. confirmati, vt ex notis illius Concilij in fine.

Concil. Rom. Concil. Gallic. Concil. Tolet. Concil. Valent. Concil. Lingoniense. Concil. Arausi. 2.

Tandem Concil. Trident. Gener. postremum suos de Gratia, & libero Arbitrio canones, ac doctrinam in capitibus præambulis comprehensam, ex doctrina, & verbis Augustini plerùmque concinnauit, & aduersùs hæreses tàm nouas, quàm antiquas stabiliuit.

Concil. Trid.

Sancti Patres plures eam secuti sunt, vt S. Hieronymus, S. Paulinus Nolæ Episcopus, S. Possidius Episcop. Augustini contubernalis, S. Prosper Aquitanus, S. Hilarius Arelat. omnes eius coætanei. Post istos S. Germanus Episcop. Antisidior. S. Lupus Episcop. Trecen. S. Fulgentius cum omnibus Africæ Episcopis, S. Cesarius Episcop. Arelat. Sancti Auitus, & Addo Episcopi Vienuenses, & alij omnes, qui *in 6. sæculo* contra Faustum, ac alios Semipelagianos pugnarunt. Petrus Diaconus, Cassiodorus, Facundus Episcop. Hermian. S. Isidorus Episc. Hispalen. S. Idelfonsus Episcop. Tolet. S. Amolo Archiepisc. Lugdunensis. S. Prudentius Episcop. Tricassinus contra Hincmarum Episc. Rhemensem, S. Remigius Archiep. Lugdun. Venerabilis Beda Præsbiter Anglus, S. Anselmus

S. Hieron. S. Paulin. S. Possid. S. Prosp. S. Hilar. S. German. S. Lupus. S. Fulgent. Episcopi Africani S. Cesarius S. Auitus S. Addo Petrus Diacon. Cassiodorus. Facundus. S. Isidorus. S. Idelfonsus. S. Amolo. S. Prudentius.

S. Remigius. Beda. S. Anselmus. Alius S. Remigius. Haimo. Rupertus Abbas. S. Bernard. Abbas. Petrus Venerabilis.

ſelmus Archiepiſc. Cantuar. & alij multi. Remigius Antiſidiorenſis, Haimo Albeſtradienſis, Rupertus Abbas, Petrus Venerabilis, S. Bernardus Abbas, qui vocat Auguſtinum *malleum hæreticorum*, *& linguam totius Eccleſiæ*; qui omnes ſequaces Auguſtini fuerunt ante Scholaſticos.

Scholaſtici Petrus Lõbardus. Albertus Magnus. S. Thomas S. Bonauentura. Egidius Rom. Columna. Alexander Alenſis Gregorius Ariminen. Scotus S. Vincentius Ferrerius. S. Antoninus. S. Thomas de Villanoua. Cardinales Baronius & Bellarm. Perronius.

Itèm Auguſtini doctrinam ſecuti ſunt præcipui Scholaſtici. Petrus Lombardus Archiep. Pariſien. qui quatuor ſententiarum libros pro maiori parte ex Auguſtini ſcriptis, & ſæpiſſimè verbis, concinnauit. Albertus Magnus, D. Thomas Doctor Angelicus, D. Bonauentura Doctor Seraphicus, Egidius Columna Archiep. Bituricenſis Doctor Fundamentalis, Alexander Alenſis dictus Doctor irrefragabilis, Ioannes Duns Scotus Doctor ſubtilis, Gregorius Ariminenſis dictus Doctor Authenticus, S. Vincentius Ferrerius. S. Antoninus Archiepiſc. Florent. S. Thomas de Villanoua Archiep. Valentinus. Cardinales Baronius, Bellarminus, & Perronius: hi omnes S. Auguſtini doctrinam ſecuti ſunt.

Vniuerſitates. Pariſienſis. Salmaticẽſis. Louaniẽn. Duacenſis.

Tandem celebres multæ Vniuerſitates S. Auguſtini doctrinam gloriantur ſe docere, ac propugnare, vt Pariſienſis, Salmaticenſis, Louanienſis, ac Duacenſis. Religiones multæ, Dominicana, Franciſcana, Auguſtiniana, & Carmelitana Diſcalceata, & Societas Ieſuitarum pro maiori parte.

His ergo omnibus clariſſimis Eccleſiæ Sanctæ Luminibus illuminatus, S. Auguſtini doctrinam in his materijs, pręſertim de Prędeſtinatione & Gratia (cuius libros Deo duce ferè omnes ad compendioſum indicem pro meo ſolatio reduxi) amplexus, ſequar, & vt alij ſequantur maiori, qua potero facilitate, inſinuabo. Difficillima tamen,

que

quæ in his Augustinus, ipseque Apostolus non declararunt, non tentabo, sed dicam, *hic sistendum*.

Religiones Dominicana, Franciscana Augustiniana Carmelitana Discalceata.

Scias tamen, amice Lector, quòd in his Opusculis citaui interdum pro Sancto Augustino libros aliquos, qui post duodecim sæcula à morte S. Doctoris negantur esse illius opera; & dicuntur esse respectiuè discipulorum S. Augustini; at continere doctrinas, Sancti Augustini menti conformes: Eorum seriem mox referam. Fateor, benigne Lector, me nolle contendere cum eiusmodi antiquitatis Censoribus, qui ei nituntur fundamento, quòd de eis S. Doctor in suis Retractationum libris, mentionem non fecerit, sicut de cęteris fecit. Sed cùm iuxta Apostoli documentũ Rom. 1. 14. *Sapientibus, & insipientibus debitor sim*, rationem reddam, cur eos pro S. Augustino citauerim, eiusdemque libros esse crediderim, salua Modernorum Censorum pace, quibus detrahere non intendo.


Notum ergo sit tibi, Lector, quòd ego cupiens penitiùs S. Augustini mentem in suis doctrinis percipere, eius opera in partes vndecim, præter Commentarium Psalmorum, in mea Basileensi editione anni 1506. diuisa verbatim vsq; ad octauam legi, studui, & in compendium alphabeticum mea manu redegi; tres alias partes, & psalmorum commentarium, licet percurrerim, tamen ob alias publicas occupationes, & visus debilitatem, non potui compendio restringere.

In hac autem lectura, ac studio vsus sum pręfa-

ta Basileensi editione in partes vndecim distributa: At in principio primæ partis adest epistola quędam commendatitia Fratris Conradi Leontorij Mulbrunnesis Cisterciensis Monachi, ex Posteuino, & ex Cisterciensium Chronicis doctissimi, eo tempore florentis, in cuius calce hæc verba leguntur. *Hos libros, quos edidit*(S. Augustinus) *in partes ab impressoribus vndecim distinctos, quorum ducentos triginta duos in octo primis partibus ipse retractauit nominatim, & correxit, tibi Lector beneuole exhibemus, &c.* Nunc sic discurro. Libri, qui in prima parte huius Basileensis editionis summatim pro S. Augustino referuntur, & in partibus vndecim distribuuntur,. inter quos sunt illi asserti dubij, numerantur trecentidecem, & octo, pręter tractatus 124. in Euangelium Ioannis, ac tractatus decem in primam Epistolam Ioannis, & homilias 18. in Apocalipsim, quæ tria in parte nona continentur. Si ergo recipiendi sunt illi tantùm, quos retractauit, & reperiuntur in primis octo partibus; reliqui omnes, qui in numero 232. non inueniuntur nec in primis octo partibus, non essent censendi libri, & opera S. Augustini; quod nemo audebit dicere: huius ergo Religiosi viri, gestorum S. Augustini peritissimi, attestationi, vtpote antiquæ credidi, tamquàm veraci, memor documenti Spiritus Sancti *Ecclesiastici* 8.11. *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à Patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Hic autem Religiosus Frater Conradus senior est, quia de anno 1506. viuebat, & scribebat. Ergo potui, & debui ei credere. At cum nullo Censore contendo.

Libri, de quibus est quæstio, sunt infrascripti, & hoc ordine in Basileensi anni 1506 editione dispositi.





OPVSCVLVM PRIMVM.

DE PRAEDESTINATIONE.

CAPVT PRIMVM.

De nomine, & significato Prędestinationis.

1. 
Du. 1. quòd vocabulum hoc *prædestino* deriuatur à *præ*, quod significat *ante*, & *destino*, quòd significat, *decerno*, *statuo*, vel *definio*. Et sic actiuè prædestinare, nil aliud significat, quàm prædecernere, seù prædefinire, aut præstatuere de faciendo aliquid in futuro tempore. In quo sensu Paulus Apostolus vtitur hoc verbo *prędestino* ad Rom. cap. 1. & 8. in 1. ad Cor. 1. 2. & ad Ephes. 1. 5. Et quamuis etiam homines possint multa sua negotia prædecernere, antequàm ea faciant; tamen apud eos in vsu non est verbum hoc *prędestino*; sed apud Theologos tantùm est in vsu, cùm de Dei decretis ab ęterno factis circa creaturas loquuntur.

Significatum verbi prędestino

2. Adu. 2. quòd attenta natura vocabuli *prædestinationis* significantis prędefinitionem, seu prædeterminationem alicuius rei faciendæ in futuro tem-

tempore, oritur quæstio, an omnia decreta Dei de rebus faciendis circa creaturas, siue res sint bonæ, siue malę malitia pœnæ, siuè etiàm malæ malitia culpę procedentis à creatura, cum qua permissiuè concurrit Deus (vt postea dicetur) dicenda sint prędestinationes; an verò illa sola decreta, quæ respiciunt bonum, siue supernaturale, siue naturale.

Quęstio de extensione verbi prædestino.

3. Adu. 3. quòd etiamsi prędestinatio accipiatur, vt bona tantùm supernaturalia rationalis creaturæ respicit, adhùc tamen alię quęstiones insurgunt: An scilicet respicit tantùm gloriam, seu vitam ęternam, ita quòd prędestinatio idem sit, ac electio ad gloriam ab æterno facta: an verò significet etiam media ad eam consequendam, vt sunt habitus supernaturales, seu bona opera, & auxilia gratię ad ea merita elicienda, ita quòd ad ista se extendat etiam prędestinatio.

An prædestinatio respiciat solam gloriam, an aliud.

4 Adu. 4. Quòd diuina prædestinatio de rebus faciendis quędam dici potest absoluta, quædam verò conditionis, seu ex suppositione (vt loquitur S. Augustinus infra adducendus.) Primi generis est illa, qua Deus, nulla supposita conditione creaturæ, decreuit ab æterno aliquid facere in tempore. v.g. decretum de creando Cœlos, terram, elementa, homines, animalia irrationalia, &c. Secundi generis sunt decreta illa de rebus faciendis supposita aliqua conditione creaturę: v.g. supposita inobedientia Adami decreuit, eum esse mortalem, eijciendum è Paradiso; totum genus humanum naturali modo progenitum contracturum originale peccatum, incursurum ignorãtiam, concupiscentiam, cæteraq; incommoda, tàm naturalia, quàm moralia: itèm decretum incarnationis diuini Verbi, saltem in carne passibili, vt docet

Prædestinatio, quę dam absoluta, quædam ex suppositione.

Earum exempla.

Scotus; vel absolutè, vt docet cum alijs Sanctus Thomas. De vtroque prædestinationum genere loquemur.

Prędestinatio significat decretumDei de bono in creatura rationali faciendo.

5. Dico 1. Vox *prædestinatio* in Sacra Scriptura omnium primò, ac principaliter significat aliquem diuinæ voluntatis actum, seu decretum, quo Deus statuit ab æterno bonum aliquid supernaturale rationali creaturæ conferre.

6. Prob. 1. ex vsu, & praxi Sacræ Scripturę, in qua omnis prædefinitio, ac prędeterminatio facta à Deo æternaliter de rebus futuris vocatur *prædestinatio*, & res prædefinita dicitur prędestinata. Primum exemplum sit de omnium maximo negotio, nempè de incarnatione filij Dei, ac de Christo ad filiationem Dei prędefinito ab ęterno (siue antè, siue post præuisionem peccati Adæ, nunc parum refert, quia dicetur postea.) De eo inquit Paulus Rom. 14. *qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi.*

De Christo verificatur.

7. Secundus locus sumitur ex Rom. 8. 29. vbi de electione Sanctorum ab æterno à Deo facta (siue ante, vt teneo, siue post præuisa merita) sic habet; *nàm quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui; vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Deindè Dei ordinem circa electorum, seu prædestinatorum regimen exponens, dicit, *Quos autèm prædestinauit, hos & vocauit, quos autèm vocauit, hos & iustificauit, quos autèm iustificauit, illos & glorificauit?*

De sanctis, & electis verificatur

8. Tertius locus huius significati desumitur ex 1. Corint. 2. 7. vbi iterum loquens de mysterio Incarnationis, ineffabili Dei Sapientia patrando, & ab ęterno prædefinito, inquit. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam præ-*

Alius locus de prædestinatione Incarnationis.

prædeſtinauit Deus antè ſæcula in gloriam noſtram; quam nemo Principum huius ſæculi cognouit. Si enim cognouiſſent, numquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent.

9. Quartus locus deſumitur ex Ephe. 1.5. vbi de electione Sanctorum ab æterno facta ſic loquitur. *Benedictus Deus &c. Qui elegit nos in ipſo* (Chriſto) *antè mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in Charitate; qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ &c.* ergo ex Sacro textu habemus, quòd vox iſta *prædeſtinatio* actiuè ſumpta ſignificat actum diuinę voluntatis, quo ab æterno decreuit aliquid facere in tempore ſibi beneplacito.

Alius locus de electione Sanctorum.

10. Et S. Auguſtinus vocat prædeſtinationem, non ſolum decretum diuinæ voluntatis, quo Chriſtum elegit ad filiationem, & redemptionem &c. ac electionem Sanctorum ad gloriam, & gratiam, ſeu media ad eam, vt paſſim patebit: ſed etiam omne aliud Dei decretum de quolibet alio bono in tempore faciendo. Adducam aliquot exempla. In Euang. Ioann. *tract.* 105. *&* 6. explicans loca quędam Scripturę, in quibus legitur Deum feciſſe aliqua, quę tunc temporis facta non erant, ſed poſtea facta ſunt, inquit ea intelligi de ęternis decretis, quibus decreuit facienda, & appellat *prædeſtinationes*, ſic. *Qui certis, & immutabilibus cauſis omnia futura prædeſtinauit, quod facturus eſt, fecit.* Item. *Illud prædeſtinandum erat, quod nondum erat, vt ſic ſuo tempore fieret, quemadmodùm antè omnia tempora prædeſtinatum erat, vt fieret.* Et explicans illud Saluatoris, *Pater clarifica me claritate, quam habui priuſquam mundus fieret*, Auguſtinus dicit, *Clarifica me, ſicut tunc, ita, &*

Ex Auguſtino omne decretum Dei ęternum de aliquo faciendo dicitur prędeſtinatio.

Exempla ex S. Auguſtino.

& nunc; sicut tunc prædestinatione, ita & nunc perfectione. Fac in mundo, quod apud te fuerat ante mundum. Alia eius loca, quæ ad idem sunt, in sequentibus conclusionibus adducam.

Omnia decreta ęterna diuinæ voluntatis sunt prędestinationes

11. Dico 2. Hæc vox *prædestinatio* actiuè sumpta secundùm S. Augustinum significat omnia decreta diuinæ voluntatis, quibus ante mundi creationem, & ante omnia sęcula decreuit aliqua facere, siue spiritualia, ac supernaturalia, siue corporalia, ac naturalia.

S. August. dicta de prędestinat. etiam ad gratiā &c.

12. Prob. 1. de spiritualibus, ac supernaturalibus, ex celebri illa definitione Augustini *in lib. de bono Perseuer. cap. 14. Prædestinatio est præparatio, & præscientia beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Et S. Fulgentius in lib. ad Monimum, ait; *Hęc autèm omnia, idest, & vocationis nostræ initia, & iustificationis augumenta, & glorificationis præmia, in prædestinatione Deus semper habuit, quia & in vocatione, & iustificatione, & in glorificatione sanctorum gratiæ suæ opera futura pręsciuit.* Et infra. *Quos prædestinauit ad gloriam prædestinauit ad iustitiam.*

Tres Augustini libri pro Prędestinationis significato legendi, & qui.

13. Et certè nimis prolixum esset afferre omnia S. Augustini loca, quibus decreta diuinę voluntatis de gloria danda electis, & de gratia, meritis, ac medijs pro consecutione illius, appellat prædestinationes: & ne longiùs vagetur curiosus lector ei sufficeret legere tres Augustini libros, nempè primum *de Prædestinatione sanctorum*; Secundum, qui ad hunc sequitur, sed inscribitur *de bono Perseuerantiæ*; & alium paruulum quinque parua, sed succosa capita continentem, qui prætitulatur *de Prædestinatione Dei*. In his enim libris, inter cętera, totus est Sanctus Doctor in explicando,

do, quòd, & quomodò Deus aliquos elegerit ad gloriam, & ad gratiam, seu merita, & media, ac ad perseuerantiam; quibus peruenitur ad gloriam; & has omnes voluntates, seu decreta semper vocat *prædestinationes*.

14. Prob. modò, quòd alia omnia decreta de rebus alijs faciendis appellet Prædestinationes. Ratio autem eius vniuersalis ea est, quia quæcunque Deus facit in tempore, siue se solo, siue cum creaturis, iam ab æterno decreuerat. Ita *in lib.6.de Gen.ad lit. c.* 11. vbi loquens de Ezzechia, ait, *id vtiquè faciens Deus, quod antè constitutionem mundi se facturum præsciebat, & in sua voluntate seruabat*: & *in lib.* 22. *de Ciuit.Dei, c.*12. inquit, *Dicimus, fiet, si Deus voluerit: non quia Deus nouam voluntatem, quam non habuit, tunc habebit, sed quia, quod ex æternitate in eius immutabili præparatum est voluntate, tunc erit.* Si ergo ab æterno destinauit omnia, quę in tempore facit, ac facturus est; omnia illa decreta, seu destinationes, meritò dicuntur prædestinationes. Et in *lib. de bono perseuer. c.* 17.ait, *In sua, quæ fallit, mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omninò, nec aliud quidquam est, prædestinare.*

Alia omnia decreta ex Augustino sūt prædestinationes.

Clara Augustini de hoc significatu loca.

15. Immò decreta etiam damnationis impiorum ob prȩuisa eorum demerita, sępissimè appellat prædestinationes, quia reuera sunt destinationes ab ęterno sancitę de rebus in tempore faciendis, vndè *in quæst.*40. super lib.Iudic.ait, *inimici omninò pœnis gehennæ prædestinati sunt, vbi erit fletus, & stridor dentium.* In lib.de peccat.mor. c.17.inquit, *siuè damnandi prædestinati sunt propter iniquitatem superbiæ*; & in lib. de Perfect. iustitiæ c.13.ait. *In hominum genere, quod prædestinatum est*

Etiam decreta damnationis vocat prę destinationes.

Multa Augustini dicta de hoc significato.

est ad interitum, super hoc respexit Dei prescientia, protulitque sententiam. Alia plura suppetunt eiusmodi Augustini loca, vt lib. 21. de Ciuit. cap. 24. de reprobis inquit, *qui licet in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in ignem æternum ire cum Diabolo*. Et alibi sæpè: Tamen quia communiter Ecclesia vocem *prædestinationis* accipit in bonum, idest, quatenus significat electionem Sanctorum ad gloriam, & gratiam, & de hac sum locuturus, non curo alia loca adducere.

Ex Augustino Prædestinatio alligationis, & conditionis.

16. Dico 3. ex S. Augustino Diuina Prædestinatio quædam est *alligationis, & potentiæ*; quædam verò *conditionis, & iustitiæ*: ita *in lib. de Prædestinatione Dei cap. 1.*

Sensus, & mens clara Augustini prędestinationis alligationis, & potentię.

17. Prob. & declaratur: S. Augustinus in præfato capite hæc habet. *In primis nefas est dicere, Deum aliquid, nisi bonum prædestinare. Sed prædestinationum aliæ sunt alligationis, alię conditionis: istæ sunt iustitiæ; illæ potentiæ*. Declarat deindè vtrasque sic. *Creauit Deus Cælum, & Terram; Solem, & Lunam; diem, & noctem. Prædestinauit insuper, vt Cælum semper moueretur; Terra immobilis circumuoluenti Cælo, loco centri haberetur. Sol, & Luna diei, noctique præessent, dies, & nox certis temporibus vicissim præessent. Hæ prædestinationes potentiæ sunt, & alligationis; vnumquodque enim eorum, quæ prædiximus, sic alligatum est suo operi per prædestinationem, vt ab eo dimoueri non possit*.

Prędestinatio conditionis, & iustitię.

Posteà declarat prædestinationes iustitiæ, seu conditionis, sic. *Creauit Deus hominem, & prædestinauit, vt si obediens esset, ac à gustu vetiti pomi se abstineret, in vita permaneret; sin autem inobediens esset, sententiam mortis subiret. Hæc prædestinatio conditionis est, & iustitiæ*. Et rationem assignat, dicens, *Non enim Deus antè casum hominis*

nis sic eum per potentiam alligationis prædestinauit morti vt necesse esset eum mori; sed sub ea conditione, si peccaret: quia igitur peccauit; iustum erat, vt moreretur.

18. Itaque omnia illa decreta absoluta, quibus Deus ab ęterno statuit aliqua futura, siue ab eo solo, ac immediatè, siue cum creaturarum concursu facienda, in Augustini, & vera sententia, appellantur prædestinationes potentiæ, & alligationis: absolutè futura sunt ea, quæ decreta sunt: illa verò decreta, quæ Deus fecit ab æterno, supposita aliqua conditione ex parte creaturæ, quæ non fecisset, nisi conditio illa præuisa esset ponenda à creatura, dicuntur conditionis, quia ea, quæ statuta sunt per talia decreta supponunt eam conditionem. Priora dicuntur Potentiæ, quia à sola diuina Potentia, Deo sic volente pendent; & dicuntur alligationis, quia absolutè nullo habito ad creaturam aliquam respectu futura sunt. Posteriora verò dicuntur conditionis, quia dependenter ab aliqua conditione statuta sunt: At nota, quòd ista quoque decreta, quę facta sunt supposita conditione, immutabilia sunt, nam post conditionem alligata sunt.

Regula generalis talium decretorum.

19. Eiusmodi autem sunt prędestinationes, seu decreta, quibus statuta sunt mala omnia, quæ humano generi ex Adæ peccato acciderunt, vt mortalitas, eiectio è terrestri Paradiso, amissio originalis iustitiæ, ignorantia, concupiscentia, incursus originalis peccati, Cęli clausio; filij Dei incarnatio, saltèm in carne passibili, & cætera omnia, quę supposito Adæ peccato acciderunt, quæ, eo non existente, non accidissent.

Omnia mala quæ ex Adæ peccato acciderunt ex conditione decreta sunt, & aliqua bona.

Hinc oriuntur posteà difficillimæ quęstiones; An aliquorum, & non omnium hominum electio

ad gloriam facta sit à Deo ex conditione peccati Adę, quo non posito omnes fuissent electi. Secunda, An etiam supposito, vel non supposito Adæ peccato, electio ad gloriam facta sit ex conditione prȩuisorum meritorum, sicut reprobatio aliorum facta est ex conditione præuisorum demeritorum. Tertia, An electio, seu prædestinatio ad fidem, seu vocationem adultorum facta sit ex suppositione, seu conditione consensus naturalis. Quarta, An prædestinatio, seu electio ad gratiam efficacem pro operibus meritorijs præcepti, aut consilij, aut etiam supererogationis facta sit ex suppositione, seu conditione, quòd homines consentiant illuminationibus, ac inspirationibus sufficientibus: Et aliæ similes quæstiones, quæ tanto rumore, calore, ac labore, sine vllo fructu meo videri disputantur: etenim hæc omnia in Dei præscientia prædefinita, ac prædestinata sunt ab æterno. Sed disputatur solùm à Theologis, an sint prædefinitiones, seu prædestinationes alligationis, an conditionis; si potentiæ, an iustitię: Quæ quidem Deo duce cum S. Augustino soluemus. Argumenta verò, quæ contra æternas istas prædestinationes militant, si acceptionem personarum, vel necessitatem imponant, in suis locis soluentur negatiuè.

Multę quæstiones ortę de Prædestinatione conditionis.

CAP. II.

An ab æterno facta sit prædestinatio aliquorum ad gloriam.

10. ADu. quòd sicut Christus docuit *Matth.* 20. & 22. *multi sunt vocati, pauci verò electi*, & isti dicuntur, & sunt prædestinati ad glo-

Sensus quæsiti.

gloriam, sic enim à Saluatore vocantur, vt ex toto textu Euangelico patet; ideò de istis electis, seu prædestinatis loquimur, quando facta fuit eorum electio, seu prędestinatio; num in tempore, puta in creatione mundi, vel ante, & ab æterno; supponitur autem de fide, quòd facta sit; nàm Rom. 8. dicitur, *quos prædestinauit, hos & vocauit, quos vocauit, illos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit*; & alibi sæpè, vt infrà.

21. Adu. 2. quòd nunc quærimus de præcessione destinationis in ordine ad tempus, an scilicet, vt dixi, facta sit in tempore, vel ante omnia tempora, & ab æterno: posteà loquemur de præcessione ad motiua, seu merità, & de præcessione eius ad alia decreta circa naturalia, ac supernaturalia creaturæ rationali conferenda. His positis

22. Dico, Prædestinatio, seu electio aliquorum, siue hominum, siue Angelorum ad gloriam, non in creatione mundi, vel alio tempore facta est, sed ab æterno. Prædestinatio ad gloriam, ab ęterno facta.

23. Prob. 1. ex Ephes. 1. 4. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi &c. sicut elegit nos in ipso antè mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in Charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum secundùm præscientiam voluntatis suæ &c.* Ex Sacra Scriptura.

23. Neque huic textui repugnat assertum à Saluatore Matt. 25. 34. quòd in die iudicij dicet electis, *Venite benedicti Patris mei, Possidete paratum vobis regnum ab origine mundi*, quasi præparatio, seu prędestinatio, ac electio Sanctorum facta sit, quo tempore factus est mundus, nam respondetur, quòd textus Arabicus legit *antè constitutionem mundi*. Et Apostolus Paulus à Spiritu Sancto edoctus de Euangelio, vt ipsemet dicit Responsio ad tacitam obiectionem.

 Gal.

Gal. 1. 12. non dixisset ante mundi constitutionem, nisi sic legendum esset Christi dictum Matt. 20. ideòque Sancti Patres, & Ecclesiæ Doctores, cęterique Theologi hoc modo legunt, & intelligunt.

S.August.

25. S.August.in eum locum ad Ephes.vt glosa quoquè notauit, inquit. *Quomodò enim eligeret eos, qui nòndùm erant, nisi prædestinando; elegit ergo prædestinando nos.* Idem dicit in tract.68. in Ioan.& nunc habetur etiam in can. *In Domo* 11. *De Pœnit.dist.4.mansiones multæ comparatæ sunt in prædestinatione, sicut ait Apostolus, elegit nos antè mundi constitutionem prædestinando; parando autem in operatione.*

S. Ioan. Chrysost.

26. S.Ioannes Chrysostomus hom.34.in Gen. ait, *Vide bonitatis Dei excellentiam, quanta erga nostrum genus misericordia vsus sit, vt antè iacta fundamenta mundi nobis regni Cælorum fruitionem parare dignatus sit.* Et in hom.1.in Epist.ad Titum, inquit, *ostenditur ex his nobilitas nostra, quòd non nuper, sed olim, atquè ab ipsis initijs dilecti sumus*

S.Hieron.

27. S. Hieron. in citatum Matt.locum,*ab origine mundi*, ait, *Hoc iuxta præscientiam Dei accipiendum, apud quem futura iam facta sunt*: & in locum cit.ad Ephes.c.1. inquit. *Quòd autèm electos nos, vt essemus sancti, & immaculati coram ipso, hoc est Deo, antè fabricam, mundi testatus est, ad præscientiam Dei pertinet, cui omnia futura, & antequàm fiant vniuersa sunt nota.* Et in alio Commentario eiusdem Epist. & capitis dicit, *elegit nos antè mundi constitutionem, quia nihil nouum est ei, apud quem omnia erant, antequàm fierent.* Et vt occurrat Origenistis, subdit; *Non vt quidam Hæretici putant, animas antè in Cælo fuisse creatas.* Quasi dicat, omnia ab æterno decreta fuisse, vt

Ante mundum ab æterno facta est prędestinatio.

essent,

essent, non verò facta fuisse ex tunc.

28. Theodoretus in cit. locum ad Ephes. ait, *sicut, elegit nos in ipso antè mundi constitutionem; ab initio enim antè constitutionem mundi ea quę ad nos pertinebant præsciuit, & præfiniuit. Docet etiam quanam de causa elegerit, scilicèt, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius. Et quomodò elegit eos, qui nondùm nati erant? in Charitate qui prædestinauit in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, &c.* Theodoretus.

29. S. Bernardus serm. 2. de Cantico Ezzechiæ, ait. *Generatio cęlestis est æterna prædestinatio, qua Deus prauidit eos conformes fieri imaginis filij sui, ex his nullus in peccato perseuerat; quia nouit Dominus, qui sunt eius, & propositum Dei manet immobile.* Et serm. 78. *in Cantic.* inquit, *Tria esse quædam, quæ sibi vendicat author Deus, præuenitque in illis omnes auxiliatores, & cooperatores suos; Prædestinationem, creationem, & inspirationem. Quorum prædestinatio, non dico ab exortu Ecclesiæ, sed nec à mundi principio quidem principium habuit, non deniquè à tempore illo, vel illo, sed antè tempora est. Porrò creatio cum tempore, inspiratio iàm in tempore fit, vbi, & quando vult Deus. Sanè secundùm prædestinationem numquàm Ecclesia electorum penes Deum non fuit.* S. Bernardus.

30. Confirm. ex Act. Apost. c. 13. 48. vbi habetur, quòd Antiochiæ Pisidiæ prædicante Paulo, *crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Omnes autèm interpretes intelligunt de æterna præordinatione, seu prædestinatione. Ex Act. Apost.

31. Prętereà ex perfectione cognitionis diuinæ, nam ex psal. 138. habetur. *Ecce tu Domine cognouisti omnia nouissima, & antiqua,* inter nouissima sunt electi, & prædestinati, qui Deo fruentur, ideò Argum. ex perfectione Dei.

ait

ait Apoſtolus, *nouit Dominus, qui ſunt eius*. At non poſſet eos ab æterno noſcere tales, niſi ex tunc tales deſtinaſſet.

Argum. ex generali doctrina decretorũ Dei ex Auguſt.

32. Prob. inſuper ex generali doctrina decretorum omnium Dei de faciendis circa creaturas, quæ, vt ex tract. de Voluntate Dei ſuppono, ab æterno omnia facta ſunt. Vnde Auguſtinus in Ioan. tract. 105. ait, *Qui certis, & immutabilibus cauſis omnia futura prædeſtinauit, quod facturus eſt fecit*. Et explicans illud Chriſti dictum, *Clarifica nunc me Pater Claritate, quam habui priuſquàm mundus fieret*, dicit; *ad quid hoc valet, quòd ait, & nunc clarifica me, ſicut tunc; ita & nunc; ſicut tunc prædeſtinatione, ita & nunc perfectione, & in mundo, quod iàm apud te fuerat antè mundum, fac in tuo tempore, quod ante omnia tempora ſtatuiſti*. Alia loca ommitto. Concors enim eſt Patru, ac Theologorum ſententia; quòd omnia, quæ facit, ac faciet Deus in tempore, ab æterno decreuit ea facere, ſed pro tali tempore.

Communis eſt hęc doctrina.

Nec puto neceſſarium alios adducere D. D. pro hoc puncto, quòd prædeſtinatio aliquorum ad gloriam ab ęterno ſit facta: Omnes enim Scholaſtici, vt S. Thomas, S. Bonau. Alenſis, Scotus; & poſteà moderni omnes eam docuerunt duce S. Auguſtino; neque de hoc eſt difficultas, ſed de alijs mox diſcutiendis: ideò ſit

CAPVT III.

An etiam ab æterno facta ſit prædeſtinatio aliquorum ad gratiam.

33. ADu. 1. quòd licet ex duobus præcedentibus capitibus colligi poſſit affirmatiua

ua solutio huius quęsiti ex generali principio, quòd omnia decreta Dei de rebus faciendis in tempore, facta fuerint ab ęterno, sed exequenda in tali tempore: nihilominus pro clariori notitia harum prædestinationum de rebus humanam, vel Angelicam libertatem concernentibus, opere prætium existimaui, distinctè, ac specialiter de eis loqui.

Ratio cur specialiter de hac re loquitur Author.

34. Adu. 2. quòd licet nomine gratiæ intelligatur quodcumque bonum, seu beneficium, siue naturale, siue supernaturale gratis, & sine intuitu meriti concessum homini, vel Angelo à benignitate, ac liberalitate Dei; tamen hic non loquor de gratia sic generaliter sumpta, sed de gratia, & gratijs supernaturalibus, quas Deus conferre dignatur hominibus, quæ vel sunt media ad vitam æternam, vel sunt ipsamet vita æterna, quę, vt postea dicam, dicitur *gratia pro gratia*.

Gratię nomen Vniuersale, quid significat.

De qua gratia est hic sermo.

35. Adu. 3. quòd vocabulum hoc *gratia*, vt est commune ad omnia dona supernaturalia, siue habitualia, siue actualia, quæ à Deo creaturę rationali conferuntur, sic posset definiri, *est Donum Dei gratis datum creaturæ rationali disponens eam ad æternam beatitudinem, & adeptio ipsiusmet beatitudinis*. Et sic sub isto vocabulo *Gratia*, continentur habitus Theologici, Fides, Spes, & Charitas, ipsaque habitualis Gratia sanctificans, si ponatur distincta à Charitate: sub eodem continentur septem dona Spiritus Sancti; nouem gratiæ gratis datæ; octo beatitudines; continentur quoque lumen glorię, ipsaque Dei visio, ac fruitio: itèm quatuor corporis beatitudines, impassibilitas, splendor, subtilitas, & agilitas. Sub eo continentur virtutes morales, si ponantur infusæ; itèm donum contemplationis infusæ, immò & acquisitæ,

Definitio Gratię, vt communis ad omnia dona supernaturalia.

Omnia supernaturalia collata creaturæ sunt gratiæ.

ſitæ, ac etiam meditationis, cæterarumque deuotionum, ac vnionum cum Deo ſpecies; & tandèm ſub eo vocabulo tamquàm præcipuum analogatum, de quo tanta fuit cum Pelagianis, ac Cęleſtianis, Auguſtini diſputatio, continentur omnia diuina auxilia, quæ neceſſaria ſunt homini ad benè, aut meritoriè operandum in ordine ad ſalutem; quæ ratione effectuum diuerſis nominibus appellantur; nempè illuminationes reſpectu intellectus, & inſpirationes reſpectu voluntatis; vocationes, excitationes; auxilia, adiuuantia; ſufficientia; & efficacia ad meritoriè operandum, ac vſque in finem perſeuerandum. De quibus ſingillatim erit ſermo in proprijs locis. De his ergo omnibus gratiarum generibus, quæ à Deo hominibus conferuntur, nunc eſt ſermo, an ſcilicet de his omnibus reſpectiuè dandis factæ iam fuerint prędeſtinationes ab ęterno.

Omnia auxilia actualia.

Diuerſa auxiliorum nomina.

36. Adu. quòd tàm circa prædeſtinationes ad gloriam, quàm circa prædeſtinationes ad præfatas gratias occurrunt multæ graues, ac inextricabiles difficultates, nempè an factę ſint cum, vel ſine preuiſione meritorum: et ſi ſine, quomodò non detur acceptio perſonarum, quæ cum fide Catholica in Deo non eſt admittenda. Si autem cum præuiſione meritorum, quomodò ſaluatur ratio gratię, quę ſi datur ex meritis, vt ait Apoſtolus, non eſt gratia. Secunda difficultas, quomodò ſaluatur libertas, cùm prędeſtinationes iſtæ factæ ſint ab æterno, & Dei decreta non poſſint fruſtrari; & propterea, quomodò voluntas remaneat libera, ſi nequeat reſiſtere Dei voluntati, & facere contrarium eius, quod prædeſtinauit Deus. Tertia difficultas, circa gratias actuales, & opera meritoria. etiam ſi diceretur, quòd ex pręuiſione

Difficultates multę, quę occurrunt in his prædeſtinationibus ad gratias.

ne conditionata consensus hominis ad auxilium offerendum tempore congruo, Deus decreuerit, seu prædestinauerit dare efficax auxilium, quomodò saluatur libertas hominis, qui in tempore, hìc, & nunc vult operari; si decretum illud iam ab æterno factum nequit mutari, aut frustrari. Hæ, ac similes difficultates, quæ omnium Theologorum, ipsiusque Augustini torserunt ingenia, in proprijs capitibus distinctè, & pro viribus, S. Augustino Duce, discutientur; & si non ad sufficientiam, tamen ad sobrietatem captiuando intellectum ad obsequium fidei.

Omnes in proprijs locis discutientur.

37. Dico ergo, omnium præfatarum, & aliarum similium gratiarum prędestinationes pro creaturis, quibus conferuntur, ab æterno factæ sunt.

Omnium gratiarum prędestinationes ab ęterno factę.

38. Prob. generali ratione, vt in pręcedenti capite; omnia agibilia à Deo siue à se solo, ac immediatè, siue cum creaturæ cooperatione ab æterno destinata, decreta, & definita sunt; ergo, cùm collationes harum gratiarum sint potiora, imò potissima Dei agibilia, non in tempore, sed ab ęterno decretę, & destinatæ sunt. Anteced. pluribus medijs probatur à S. August. 1. *ex lib.* 10. *de Ciuit. c.* 12. *quæ futura sunt tempora, idm in conspectu Dei facta sunt.* In *lib.* 11. *c.* 21. de diuina rerum scientia multa dicit, pręsertim hęc. *Dum Deus vidit, quia bonum est; quod nisi vidisset antequàm fieret, non vtiquè fieret: docet bonum esse, non discit.* Hoc dicit contra Platonem; & infra ait. *Non more nostro Deus quod futurum est prospicit, vel quod pręsens est aspicit, vel quod præteritum est respicit, sed alio modo à nostrarum cogitationum consuetudine longè, altèque diuerso. Ille quippè non ex hoc in illud cogitatione mutata; sed omninò immutabiliter*

Ex S. August.

videt; ità vt in illa quidem, quę temporaliter sunt, & futura non sunt, & præsentia iam sunt, & præterita iam non sunt: ipse verò hæc omnia stabili, ac sempiterna præsentia compræhendit; nec aliter nunc, aliter anteà, aliter posteà; quoniam non sicut nostra, ita quoq; eius scientia trium temporum, præsentis, preteriti, vel futuri varietate mutatur. Neque enim eius intentio de cogitatione in cogitationem transit: in cuius incorporeo contuitu simul adsunt cuncta, quæ nouit. Si igitur ab æterno Deus cognoscit quæ futura sunt in tempore; cùm hęc scientia futurorum sit visionis, & futura ista ab ipsomet Deo facienda sint, ab ipsomet habent determinationem, cùm à numero possibilium secernuntur, & in numero futurorum ponuntur; & proindè si ab æterno preuisa; ab æterno quoque, immò in aliquo antecedenti rationis signo (vt in suo loco dicam) decreta, ac definita, & sic antè tempus decreta, ac prædestinata sunt.

Multa S. August. loca ad idē.

39. Prob. 2. etiàm de ijs gratuitis, ac supernaturalibus, quæ à Deo, concurrente creatura, fiunt (de quibus fortasse est difficultas) v. g. consensus in vocatione alicuius ad fidem; quęlibet operatio meritoria, siue præcepti, siue consilij, siue supererogationis; perseuerantia finalis in statu gratiæ; dico, quòd cùm hæc omnia fieri non possint sine Dei gratia, & adiutorio (vt postea probabo) dico inquam, quòd de his omnibus gratijs, & adiutorijs, iàm ab æterno factæ sunt prædestinationes. Nam siue dicatur, quòd decreto absoluto, & sequente scientiam simplicis intelligentiæ Deus statuit gloriam, & media ad eam, nempè merita ex donis gratię elicienda dare aliquibus, & per consequens perseuerantiam vsquè in finem; vel vt alij volunt, Deus ex scientia con-

In omni sententia prędestinationes ad omnes gratias factę sunt ab æterno.

conditionata meritorum elegerit aliquos ad gloriam, & ex eadem scientia consensus ad illuminationes, & inspirationes dandas eisdem in temporibus congruis statuit, ac decreuit dare gratiā ad talem cōsensum; semper sequitur, quòd decreta illa, ac prędefinitiones diuinæ voluntatis alterutro modo factę, ab ęterno factę sint. Et consequenter prædestinatæ, prædecretæ, ac prędefinitæ sint omnes istæ gratiarum collectiones: qua autèm scientia præcedente factæ sint istæ prædestinationes gratiarum, dicam posteà.

40. Prob. vlteriùs ex S. August. *lib. de bono Perseuer. cap. 19. Quæ dantur à Deo, & ea se daturum præsciuit, profectò prædestinauit.* Sed non solùm gloria, verùm etiam gratia, & omne genus gratię à Deo datur; quia dicitur, *gratiam, & gloriam dabit Dominus psal.* 83. Et Paulus plusquam centies docet, à Deo conferri creaturis rationalibus omnia gratiarum genera: Igitur pręsciuit, se daturum; at non poterat præscire, nisi prædecreuisset, seu prædestinasset facere. *Et in cap.* 23. eiusdem libri, inquit. *Hæc igitur, quę poscit à Domino, & semper ex quo esse cæpit Ecclesia, ista Deus vocatis suis daturum se esse præsciuit, & in ipsa prædestinatione iàm dederat.* Et post, *ille itaquè dicat, Ecclesiam aliquandò in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis huius, & gratiæ, qui dicere audet aliquandò non orasse, vel non veraciter orasse, siuè, vt crederent infideles, siuè vt perseuerarent fideles. Et tract.* 104. *in Ioan.* inquit, *Quicumque ergo in Dei prouidentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati, & glorificati sunt, non dico etiàm nondum renati, sed etiam nondum nati, iam filij Dei sunt, &c.* Et S. Fulgentius *in lib.* 3. *ad Monimum,* dicit, *Hæc autèm omnia, idest, &*

Ex S. Aug. aliud argum.

Alia S. August. arg.

vocationis nostræ initia, & iustificationis argumenta, & glorificationis præmia in prædestinatione semper Deus habuit: quia & in vocatione, & iustificatione, & glorificatione Sanctorum gratiæ suæ opera futura præsciuit. Clariùs autèm *in lib. de Verit. prędest. & grat.*, sic loquitur. *Omnes prædestinati sic vocantur, vt iustificentur: sic iustificantur, vt glorificentur. Ac per hoc prædestinauit quos voluit, & ad opera bona, & ad præmia sempiterna; prædestinauit ad vitam bonam, prædestinauit ad vitam æternam; prædestinauit ad fidem; prædestinauit ad spem; prædestinauit adoptando in sæculo; prædestinauit glorificando in regno, &c.*

Clariùs q̃ pè id docet S. Aug.

41. Et tandem in eodem *lib. 3.* docet nullum Christianum posse dubitare, quòd Deus ad omnia beneficiorum, seu gratiarum genera, quos voluit ab ęterno prędestinauit, apertis hisce verbis. *Quos filios Dei secundùm veræ fidei regulam sanctarum scripturarum authoritate firmatam, non solùm ad præmium glorificationis, sed etiàm ad gratiam iustificationis; nec solùm ad ęternam beatitudinem, quæ non mutatur; verùm etiàm ad fidem, quę per Charitatem operatur; neque ad æterna tantùm præmia, sed etiàm ad bona merita gratuita bonitate Dei antè mundi constitutionem in Christo prædestinatos, & huius prędestinationis beneficio secundùm propositum vocatos, & iustificatos, nullus ambigere debet Christianus.*

Euidentissimè constat

42. Concludendum ergo, quòd omnia beneficia spiritualia, ac supernaturalia, quæ nomine gratiarum veniunt, & creaturis rationalibus à Deo in tempore conferuntur, & conferentur in æternum, iàm sunt à Deo prædecreta, & prædeterminata, seu prædestinata, ponenda tamen in executione pro determinato tempore. At quid dico

Generalis conclusio, quòd omnia dona gratię ab ęterno sint prędestinata.

co beneficia spiritualia, ac supernaturalia tantùm; dicendum generaliter, omnia naturalia quoquè, atquè corporalia, quę Deus omni creaturę largitur, vt animarum, & corporum productiones, Cęlorum motus, elementorum, ac mixtorum generationes, & alterationes; vnico finiam verbo concursus diuinæ potentiæ ad omnia creaturarum opera. Hæc inquam omnia Deus pręscit certò futura, quia ipse prędecreuit, & prędestinauit facere: et sic prędestinata iàm ab ęterno fuisse confiteri debemus.

43. Duo in hac materia occurrunt difficultatum genera. Vnum respectu creaturę liberæ, an, & quomodò ei non præiudicent istę ab æterno factæ prædestinationes. 2. An, & quomodò Deus non possit aliquod nouum decretum facere, & mutare quod decreuit. A secunda incipiam, quia dignior est: Ideò sit

CAP. IV.

An prædestinationes istæ præiudicent diuinæ libertati, & potentiæ.

44. AD. rationem dubitandi, hanc esse; quia si ab æterno Deus prædefiniuit, seu prædestinauit omnia, quæ facturus est; duo præiudicia videntur consequi; vnum respectu Omnipotentię, quia non posset alia facere vltra ea, quæ facere decreuit. Secundum pręiudicium est respectu libertatis diuinę; quia si iàm decreuit facere omnia, quę facit, ac facturus est; non posset circa ea variare; & sic non haberet liberum dominium suorum actuum, neque creaturarum. Hoc ergo videndum quomodò suppositis hisce præ- Ratio dubitandi, quę. Saluanda Dei omnipotentia, & libertas.

prędestinationibus rerum omnium in quolibet ordine futurarum, saluetur Dei omnipotentia, ac libertas in operando, si nec alia, nec aliter facere potest.

Deus immutabilis omnino.

45. Adu. 2. *ex tract. de immutabilitate Dei*, quòd de fide est, Deum esse immutabilem quoad esse, & quoad operari. Nàm Malach. 1.6. dicitur, *ego Deus, & non mutor*; & Iacobi 1.17. *Apud quem non est transmutatio, nec necessitudinis obumbratio*: & psal. 32. *Consilium Domini in æternum manet. Cogitationes cordis eius in generationem, & generationem.* Et Rom. 9.11. de Iacob, & Esau dicitur, *cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (vt secundùm electionem Dei propositum maneret, &c.)* idest non mutaretur. Et alia similia suppetunt S. Scripturę loca, in quibus de immutabilitate Dei, ac decretorum, & dictorum eius fit mentio. Et tamen aliqua sunt loca, in quibus videtur, Deum mutasse sententiam, v. g. Gen. 6. *cùm videret Deus, quòd cuncta cogitatio hominis prona esset ad malum, & quòd omnis caro corruperat viam suam super terram, dixit, pœnitet me fecisse hominem*; & Ionę 3. vbi Deus per hunc Prophetam prædicit, *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*; & tamen ijs transactis, Niniue non fuit subuersa, sed ei pepercit Deus, quoniam totus populus egit pœnitentiam. Et Saluator dicit Matt. 11.23. *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ in te, (Capharnaum) fortè mansissent vsquè in hanc diem.* Idem dicit de Tyro, & Sydone; & sic, quasi si potuerit Deus mutare decretum, sequitur, quòd prædestinationes non sint immutabiles: et proindè non esse admittendum factas ab æterno. Hęc ergo soluenda est difficultas.

Quędam loca, quę mutationem sonãt declaranda.

46. Adu. 3. *ex tract. de voluntate Dei*, quòd

Deus

Deus est summè liber; nàm in psal.134. habetur, *Deus omnia quæcumque voluit, fecit in Cælo, & in Terra, in mari, & in omnibus abyssis*. Et Paulus ad Rom.8.*Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. Et ex epist.Iacobi 1. *Voluntariè genuit,non verbo veritatis*. Et tandèm Exodi, 33.19.*Miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placebit*. Immò Dei libertas in operando ad extra est origo, radix, & prototypus omnis libertatis humanę, vndè Macarius in homil. 15. in hoc potissimè asserit consistere imaginem Dei in homine, inquiens, *Hominem eo ipso ad imaginem Dei esse factum, quòd sit liber, ac sui iuris: quoniam vt Deus liberi est arbitrij, & quod vult facit; sic & tu liber es arbitrij, &c.* Nequè vllus Catholicus, aliusue mentis compos, qui sacras litteras libauerit, hanc summam libertatis perfectionem à Deo auferre somniauit. Hoc autèm stante; si prædestinationes æternæ sunt, cùm immutabiles defendantur, libertas diuinę voluntatis non saluatur, quia Deus non videretur remanere liber ad faciendum oppositum eius, quod prędestinauit; Hęc difficultas soluenda est, si prędestinationes defenduntur, sicut defendi debent.

Alia difficultas de libertate Dei.

Imago Dei in homine valdè per libertatem exprimitur.

47. Adu.4.*ex tract.de omnipotentia Dei*, quòd inter primarias Dei perfectiones respicientes terminum ad extra, est *Omnipotentia*. Ipsemet Deus de seipso eam sępè testificatur, prima vice Gen. 17.1. dicens Abrahę, *ego Deus Omnipotens*. Idem replicat Gen.35.11.& in sacro textu per 74. vices *Omnipotens* prædicatur. Ideò in symbolo Apost. primo loco ponitur huius diuinæ proprietatis articulus. *Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem*. Et S.Augustinus *serm.139.de Temp. c. 2. ait, non dico da mihi Christianum, da mihi Iudæum; sed*

Dei omnipotentia magna eius perfectio.

Ab omnibus creditur.

sed da mihi paganum, idolorum cultorem, demonum seruum, qui non dicat Deum esse omnipotentem: negare Christum potest, negare Deum omnipotentem non potest. Hoc autem stante, videndum quomodò suppositis prędestinationibus ęternis omnium à Deo agendorum, saluetur omnipotentia, cùm nequeat ea non facere, vel alia noua, aut eis contraria facere. Ideò

Prędestinationes non prȩiudicant immutabilitati Dei in operando.

48. Dico 1. Prędestinationes rerum futurarum à Deo ab ęterno factæ, immutabilitati Dei in operando non pręiudicant.

Ex S. Scriptura.

49. Prob. ex supra cit. loco psal. 32. *Consilium autèm Domini in æternum manet; cogitationes cordis eius in generationem, & generationem*. Interl. quæ est Hieronymi, Ver. *Consilium in æternum*, dicit, *nullo tempore dissoluitur*, & Ver. *cogitationes*, dicit, *cogitationes sapientiæ eius non sunt mutabiles*. Glo. ord. *cogitationes*, dicit, idest *prædestinatio, in qua omnia reposita sunt, quę sic permanent, sicut præuisa sunt*.

Ex S. Aug.

50. S. August. in secunda explicatione psal. 32. dicit, *Vndè igitur consilium Domini manet in ęternum, nisi de nobis antè præsciuit, & prędestinauit? Quis tollit prædestinationem Dei antè mundi constitutionem? Vidit nos, fecit nos, emendauit nos, misit ad nos, redemit nos: hoc eius consilium manet in æternum. Hęc cogitatio manet in sæcula sæculorum*.

51. Idem S. Doctor sæpè de immutabilitate consiliorum, seu decretorum Dei loquitur, præsertim *in lib. 83. qq. quæst. 53. & in lib. 2. ad Simplic. q. 2.* vbi docet, quòd in pręsciente omnia, vt est Deus, mutatio decretorum per pœnitentiam eorum esse non potest; & declarat, quid sit Deum pœnitere de aliquo suo facto, estque responsio ad dubium secundi notabilis. Sic autem ait.

Quid sit Deum pœnitere de aliqua re.

Cùm

Cùm legimus etiam Dominum dicentem, Pœnitet me, consideremus, quid esse soleat. In hominibus opus pœnitendi est, proculdubio, cùm reperitur voluntas mutandi, &c. auferamus hæc à Deo, & videamus, qua regula intelligatur pœnitere Deum. Cùm enim pœnitere dicitur, vult non esse aliquid, sicut fecerat, vt esset. Sed tamen, & cùm ita esset, ita debebat; & cùm ita esse iam non sinitur, iam non debebat ita esse, perpetuo quodam, & tranquillo æquitatis iudicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit. Sunt ergo stabiles, & immutabiles Dei prędestinationes circa creata, quia Deus ab æterno decreuit aliqua pro tali tempore mansura, & pro alio desitura; & istæ sunt illę prędestinationes, quas S.August.*in lib.de Prædest.Dei cap.*1.vocat prędestinationes conditionis, ac iustitię; sed de hoc argumento in calce huius capitis iterum loquar.

52. Dico 2. Prædestinationes rerum factę à Deo ab ęterno non pręiudicant Omnipotentię Dei.

Prędestinationes non præiudicant omnipotentię Dei.

53. Prob.multa Deus facere non potest, quę tamen impotentiam in eo non arguunt; ergo licet facere non possit contraria eorum, quæ iam ab ęterno prędestinata sunt, non propterea impotens absolutè dicendus est. Antec.prob.Deus non potest se destruere, aut mori: non potest mentiri, non potest facere, vt quæ facta sunt, aut prętererierunt, facta non sint, aut non prętererierint. Vnde Hugo de S.Vict. *par.*1. *de Sacramentis; de Sacr.Fidei c.*22.*ait summè potens est, qui potest omne, quod possibile est; nec ideò minus potens est, si impossibilia non facit, quia impossibilia posse, non est posse, sed non posse. Itaquè omnia potest Deus, quæ posse potentia est*. Consequ. prima prob. quia impossi-

Multa non potest facere Deus, & tamen omnipotens est.

Hugo de S.Vict.

poſſibile eſt Deum mutari; quod quidem eueniret, ſi poſſet poſt decretum iàm factum contrarium ponere.

S. Ambroſ.

54. S.Ambroſius *in lib.4.de fide c.3.* inquit, multa ſunt impoſſibilitatum genera. Eſt aliquid natura impoſſibile,& eſt aliquid poſſibile per naturam,ſed impoſſibile per infirmitatem. Eſt etiam tertium, quod eſt poſſibile per corporis, & animi firmitatem, impoſſibile per imperitiam, aut impotentiam. Eſt etiam, quod per definitionem immutabilis propoſiti, & conſtantis perſeuerantiæ voluntatis, atque amicitiæ fidem ſit impoſſibile mutari.

Multa impoſſibilis genera.

55. Hoc quartum impoſſibile Deo in hac materia conuenit, ratione conſtantis,& immutabilis propoſiti. De quo loquitur expreſsè Apoſtolus Rom.4.5. *Secundùm propoſitum gratiæ Dei*, & cap.8.28. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti*. Et cap.9.11. loquens de Iacob, & Eſau, inquit, *vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret,&c.* omnes enim S.Scripturę interpretes Dei electiones firmas manere ex Dei immutabili propoſito docent, quia *Dei conſilium in æternum manet, & cogitationes cordis eius in generationem, & generationem pſal.* 32. eſſet autem repugnans prudentiſſimo, & conſtantiſſimo Dei propoſito, ſeu conſilio illud mutare; & propterea impoſſibile, ſicut impoſſibile eſt Deo promittere, & non exequi. Iſtę autem impoſſibilitates non pręiudicant omnipotentię, quę tendit ad poſſibilia, & condecentia ſanctitatem, ac dignitatem Dei.

Cur aliqua ſunt Deo impoſſibilia.

56. Conf.Ex hoc, quòd Deus peccare non poteſt; nullum infertur pręiudicium omnipotentiæ Dei, ergo neque ex hoc, quòd nequeat prędefini-

Argum. à paritate impeccabilitatis.

finitiones, seu prędestinationes futurorum mutare. Vnde S.August. *serm.109.de tempore*, inquit, *Iam ego dico quanta Deus non possit. Non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli. Tanta non potest, quæ si posset, non esset omnipotens.*

Ex S.Aug.

57. S.Ambros. *in lib.num. ad Cromat.* de ijs, quæ sunt impossibilia Deo ratione dignitatis ait. *Numquid nàm mentitur Deus? sed non mentitur, quia est impossibile mentiri Deum. Impossibile antem istud numquid infirmitatis est? non vtique. Nam quomodò omnia potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergo ei impossibile? illud vtique, quod eius naturæ contrarium est, non quod virtuti arduum. Impossibile est ei mentiri, & impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis, & maiestatis, quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus leuitatis errorem.*

Ex S Ambros.

58. Probari potest quoque ex communi Theologorum dicto, quòd Dei omnipotentię non fit præiudicium, si non possit mutare ea, quæ prędestinauit, ex hoc, quòd ipsemet se ad hoc obligauit, cùm potuisset se non obligare; & sic in sensu composito, vt ipsi dicunt, non potest, at in sensu diuiso potest; & hoc modo, vt in suo loco dicam, subtilis Doctor dicit, quòd Deus potest prædestinatum damnare; quia, inquit, potuit non prædestinare: at in sensu composito, seu ex suppositione, quòd prædestinauit, non posset reprobare.

Argum. ex eo quò Deus se ad hoc determinauit.

59. At placet quamdam Petri Damiani speculationem (ab Augustino, vt video, pro hac materia desumptam) adducere, *in Opusculo 36. c. 15.* existentem: eius verba posteà referam, quæ summariè ita sonant. Deus potest facere contraria his, quæ iam decreuit facere; quia in Dei æterni-

Petri Damiani speculatio.

tate non adeſt prius, & poſterius; & ita ſe habet ęternitas, ac Deus in ea, ſicut ſi modò inciperent; & ſic Deus in prædeſtinando, ac prædefiniendo ita ſe habet, ac ſi modò ea decreta faceret; & propterea potens eſt facere, & non facere; & ſic ſaluatur omnipotentia, ac libertas Dei, de qua infra. Verba Damiani ſunt hęc. *Quantum enim ad æternitatem ſuam, quidquid potuit Deus, hoc etiam & poteſt, quia præſens eius in præteritum nunquam vertitur. Eius hodie non in cras, vel in aliud temporis viciſſitudine mutatur; ſed ſicut ipſe ſemper eſt, quod eſt, ita quidquid illi adeſt, ſemper adeſt. Quapropter, ſicut rectè poſſumus dicere, potuit Deus, vt antequam Roma facta fuiſſet, facta non eſſet; ita congruè poſſumus dicere, poteſt Deus, vt Roma etiam poſtquam facta eſt, facta non fuerit. Illud enim poſſe, quod habebat Deus antequam Roma fieret, immutabile ſemper apud æternitatem Dei, & intranſibile perſeuerat. Et cùm de quacunque re poſſumus dicere, quòd potuit eam Deus, valeamus etiam dicere poteſt eam Deus; quia poſſe eius, quod ſibi vtique coæternum eſt, fixum ſemper, atque immobile eſt. Potuiſſe enim Dei, apud nos eſt tantummodò apud ipſum autem, non potuiſſe, ſed immotum conſtans, atque immutabile poſſe ſemper eſt. Quodcunque enim potuit Deus, indubitanter & poteſt; apud quem nimirum, ſicut non eſt eſse, & fuiſſe, ſed ſempiternum eſſe, ita conſequenter non eſt potuiſſe, & poſſe, ſed immobile ſemper, & perpetuum poſse.* Hæc Petrus Damianus; quod quidem argumētum breuius, & ideò obſcurius affert S. Auguſt. *De Ciuit. lib.12. c.12. Deus quieſcens agere, & agens quieſcere poteſt ad opus nouum, non nouum, ſed ſempiternum adhibere conſilium; nec pœnitendo quod priùs ceſſauerat cœpit facere, quod non fecerat. Sed & ſi*

Notanda digna Damiani doctrina.

Potuiſſe, & poſſe in Deo idem ſunt, & nihil tranſit in prętеritum.

priùs

priùs cessauit, & posteriùs operatus est (quod nescio quemadmodum ab homine possit intelligi) hoc proculdubio, quod dicitur prius, & posterius in rebus priùs non existentibus, & postea existentibus fuit. In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutauit, aut abstulit voluntatem; sed vna, eademque sempiterna, & immutabili voluntate res, quas condidit, & vt priùs non essent egit, quamdiù non fuerunt, & posteriùs essent cùm esse ceperunt, hinc eis, qui talia videre possunt mirabiliter fortassis ostendens, quòd eis non indiguerit, &c.

Idem docuerat S. Aug.

60. Dico 3. Prædestinationes rerum factæ à Deo ab æterno, non præiudicant summæ Dei libertati.

Prędestinationes non pręiudicāt Dei libertati.

61. Prob. & supponitur *ex tract. de Voluntate Dei* ipsum summè liberum esse, quod ex S. Scriptura patet; nam *in psal.* 134. habetur, vt ex not. 3. *Omnia quæcunque voluit fecit*, & ex 1. Corint. 12. *Spiritus vbi vult spirat. diuisiones gratiarum sunt, omnia autem operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis, prout vult*; & cætera plura. Immò, & Scotus docet, quòd ex libertate Dei dependet libertas creata, vt ex not. 3. patuit.

Summa Dei libertas.

62. Dicimus autem non lędi hanc libertatem, ex eo quòd Deus nequit retractare ea, quæ prædestinauit. Primò, quia voluntas Dei in operando, vt nuper cum Augustino, & Damiano diximus, non transit in præteritum; & sic, licet quoad nos valeat dici, *prædestinauit*; quoad Deum tamen, non valet; sed dici debet prædestinat; & liber est ad non prædestinandum. 2. quia necessitas ex suppositione, nec etiam in nobis lædit libertatem; ergo, nec in Deo. Anteced. notissimum est: cùm quis decernit aliquid facere; etsi antequam decernat, vel faciat, possit non decernere, vel

Necessitas ex suppositione non lędit libertatem.

vel non facere, quod decreuit; si tamen facit, necessariò quidem facit; at ex præcedenti libertate sibi necessitatem inferente, facit. Sic prorsus de Deo prædestinante omnia, quæ facturus est, dicendum, quòd liberè decreuit, & sibi necessitatem imponit; nec propterea aliquid de sua libertate amittit; & hoc impossibile, vt ex Ambrosio diximus, diuinę perfectioni maximè congruit.

Argum. ex immutabilitate Dei.

63. Prob. 2. ex perfectione immutabilitatis diuinæ, quę præcellentissima est in Deo, de qua maximè gloriatur Malachiæ 3. 6. vbi comminatus multa mala inferenda Populo, subdit, *ego enim Dominus, & non mutor*: igitur nec mutari potest in ijs, quæ absolutè decreuit, neque per hoc summa eius libertas minuitur; sed optimè hæc duo coniunguntur. Firmum enim, ac stabile est Dei propositum: ideò num. 23. 19. Balaam ait ad Regem Balac, *non est Deus, quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit Deus, & non faciet? locutus est, & non implebit?* quasi dicat, hoc est impossibile.

Solutio cuiusdam argumenti de mutatione diuinę sententię.

64. Neque obstant argumenta, quę adduci possunt vt supra de multis rebus, quas Deus se dixit facturum, & postea non fecit, vt de subuersione Niniue, de conuersione Tiri, & Sidonis, ac de permanentia Sodomæ, Gomorrę, & aliarum trium Ciuitatum Seboim, Adama, & Segor, si pœnitentiam egissent, & de alijs multis, vt in Prophetis legitur; quia vt dicemus *in cap. 18.* illæ comminationes, & promissiones erant conditionatæ; sciebat autem Deus, quòd erant, vel non erant adimplendę conditiones, & propterea decreta non erant absoluta.

CA-

CAPVT V.

An Prædestinatio ad gloriam præiudicet libertati humanæ.

65. ADu. 1. quòd hęc est vna ex difficilibus controuersijs in hac materia. Cùm enim Dei decreta ab ęterno iam facta immutabilia sint, *quia consilium Domini in æternum manet*, *psal.* 32. & inimpedibilia sint à creatura, *quia nemo est, qui possit resistere voluntati Rom. 9.* si decretum est de danda aliquibus gloria, isti non poterunt facere opera mala, per quæ repellantur à gloria, & sic non remanent liberi ad actus malos finales: id ergo videndum est, quomodò, scilicet cum æterna Prædestinatione, saluetur humana libertas, quę quidem quæstio coincidit cum illa, an prædestinati possint damnari, vt in proprio loco *in cap.* 18. Præcipua huius materię difficultas. Ratio difficultatis.

66. Adu. 2. quòd communiter cum S. Augustino triplex datur genus libertatis, nempè 1, à seruitute; & hoc est morale; 2. à coactione; 3. à necessitate. De duobus primis hìc non est quæstio, sed de postremo, an scilicet Dei Prædestinatio ad gloriam imponat prędestinato necessitatem, an relinquat eum liberum. Triplex libertatis genus.

67. Ad. 3. quòd penes omnes Theologos, ipsumque S. Augustinum necessitas multiplex quidem est; sed vt ad operandum applicatur duplex tantùm est; quædam antecedens, quędam consequens, seu conditionis, vel suppositionis. Prima aufert à potentia omnem indifferentiam, & determinat ad vnum tantum exequendum, absque vlla sua determinatione. Secunda verò sequitur aliquam Necessitas multiplex; sed duplex nunc consideratur. Antecedens absoluta.

quam

quam determinationem operantis, etiamsi cum alio cooperante se determinet: vt cùm quis v. g. decernit aliquid facere, dum facit, necessariò facit: liberè tamen statuit facere:item,vt in suo loco dicemus,homo in operatione, tàm naturali,quàm supernaturali, & meritoria, simul cum Deo cooperante operatur, & tamen liberè operatur, licet ex conditione, seu suppositione vtriusque determinationis necessariò dici possit operari, necessitate consequenti, idest ex suppositione, quòd faciat.

Consequẽs ex suppositione.

68. Ad. 4. quòd cùm in hoc, & in seqq.Opusculis sæpissimè de libertate humana agendum sit; operę prætium erit priùs de consistentia liberi arbitrij humani ex S. Scriptura, Concilijs, & Patribus dogma firmare: deindè disputare de concordia illius cum diuina prædestinatione, præscientia, & gratia efficaci;vt si fortè nequeant homines distinctè, ac perfectè scire concordias istas (de quibus ego non curarem, cùm sciam Deum esse Dominum iustum, & sine iniquitate) sciant saltim, & firma fide credant, se esse liberos; & de sua hac perfectione gaudeant: ab hac ergo incipiendo

De subsistẽtia liberi arbitrij priùs loquendum, ex S. Scriptura.

69. Dico 1. Phanaticam, hæreticamque esse Stoicorum,& Phariseorum, aliorumque sententiam, omnia, quæ ab hominibus fiunt, vel eis accidunt, antecedenti necessitate, & sine libertate vlla fieri, vel accidere, sed fato,seu fatali necessitate.

Hęretica est scientia quòd omnia hominis opera sint necessaria antecedenti necessitate, vel fatalia.

70. Prob. 1. ex Concilio Bracar. c. 9. dicente, *hominem operari ex fato, hæreticum est*.

71. Prob. 2. Nullum genus fatorum concurrit ad opera voluntatis humanæ liberę essentialiter, ergo. Consequentia est euidens, quia fatum quod-

Quatuor, sed vana fatorum genera secundùm Stoicos.

quodcumque inuentum à Stoicis, vel Poetis, aut Mathematicis tollit libertatem, & inducit necessitatem, quæ intrinsecè repugnat libertati; nam ex Augustino mox adducendo, *aut voluntas non est, aut libera dicenda est*. Anteced. prob. Quatuor fatorum genera à Stoicis, & Poetis assignantur: Primum dicunt *Mathematicum*, estque illa influentia, quę colligat operationes humanas, cum virtute, seu potestate syderum; & hoc attendunt Astrologi Genethliaci; quod *ex Constit. 17. Cœli*, à Sixto V. est prohibitum in ordine ad liberas actiones. Secundum fati genus dicunt, *Naturale*; estque per eos ordo causarum naturalium, quæ nisi impediantur, vi, & natura sua certum, determinatumque producunt effectum. 3. dicunt *Violentum*, & hoc propriè est stoicum, ac poeticum, quod Stoicus Seneca definit, esse necessitatem rerum omnium, & actionum, tàm diuinarum, quàm humanarum, quam nulla vis rumpere potest. 4. tandem dicunt aliqui, *verum*, estque colligatio necessaria omnium actionum omnis creaturæ, etiam liberæ, cum diuina voluntate, præscientia, ac prouidentia; his enim suppositis de futuris rebus, & actionibus, hæ omnes necessariò dicunt euenire.

Mathematicum.

Naturale.

Violentum

Verum.

72. Hoc ergo de fati, seu veriùs fatui nomine, & conceptu, supposito; cum fide catholica dicimus, actiones hominis rationalis, idest, à voluntate, pręuia intellectus cognitione, & deliberatione à nullo ex fatis prædictis regulari, aut procedere, vt præclarè, & euidenter probat S. August. *in lib. 5. c. 9. de Ciuit.* & nos in sequenti conclusione probabimus, in qua de libertate voluntatis in operando loquemur.

Fatum, abijcit fides Catholica.

73. Et quamuis quartum genus fati, quod se-

quitur Cicero, & impugnat S. August. loco citato, si necessitatem operandi abijceret, vt est coordinatio illa causarum liberarum ex Dei prædestinatione, præscientia, ac prouidentia, posset admitti: tamen ait ibi Augustinus à nomine fati esset abstinendum; hoc enim semper malè sonat, & à catholico sermone debet esse alienum. Quòd verò diuina prædestinatio, præscientia, ac prouidentia libertatem humanę voluntati non adimat, eleganter contra Ciceronem probat ibi Augustinus, & nos cum eo probabimus inferiùs,

Quartum genus, quibusdam adiectis, posset admitti, at reijci tur.

74. Prob. 2. valido S. Augustini argumento *in lib.21.sententiarum, sent.3.* si liber sit illius: *si fatum, & fortuna essent causa humanorum actuum, nullus homo posset puniri, aut redargui; quilibet enim ex necessitate ageret.* Et tamen in sacro textu vtriusque Testamenti legimus innumeras redargutiones, plures punitiones in effectu positas, & plurimas comminatas. Legimus omnium primò, Adamum gratia Dei, iustitia originali, & immortalitate priuatum, & è Paradiso terrestri exulem; Cainum reprobatum; mundum totum diluuio submersum, &c. redargutiones, & comminationes in toto Pentatheuco, in lib. Regum, & Prophetalibus insertas, nec non in toto Euangelio. Si autem fato, & cum ineuitabili necessitate homines operarentur, ad quid eos arguere, vel consulere, vt aliter facerent, si non possent, & quo iustitiæ titulo puniri possent, si errant? Fatuum ergo est dicere, quòd hominum voluntates regulentur à fato.

Validum August. argum. contra fatum.

Nulla dari posset punitio.

Dari non posset præceptum aut consilium.

75. Dico 2 homines etiam post lapsum Adę liberum habent arbitrium, quamuis aliqualiter attenuatum; ideòque liberè operari possunt, etiam posita ęterna prędestinatione, prescientia ac

Homines etiam post lapsum Adę liberum habent arbitrium, licet attenuatum.

ac prouidentia diuina: est de fide.

76. Prob. prima pars totidem verbis Concilij Arauſ.2.c.13.& Concilij Trident.ſeſſ.6. cap. 1.dicentis, *liberum hominis arbitrium minimè extinctum eſſe, viribus licet attenuatum, & inclinatum*, & in can.5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, aut titulum ſine re, &c.anath.ſit*. Et in can.6. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere,&c.anath.ſit.* Ex Concilijs Arauſ. & Trident.

77. Prob.2.ex S.Script.Gen.4.vbi dicit Deus ad Cain, *non ne ſi benè egeris recipies; ſin autem malè, ſtatim peccatum in foribus aderit*. Et illicò admonet eum de ſua libertate, ac dominio ad bonum, & malum, inquiens; *ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*. Hæc libertas eſt poſt Adę lapſum. Ex S.Scrip Ex Gen.

78. Conf.ex Eccleſiaſtici 15. 14. *Deus conſtituit hominem ab initio, & reliquit illum in manu conſilij ſui, adiecit mandata, & præcepta ſua*, & ne quis dicat, quòd intelligitur de Adamo, qui liberè poterat operari; non verò de poſteris; ſtatim ſubiungitur. *Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam; ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit dabitur illi*. Hęc dicta non diriguntur ad Adamum, ſed ad omnem hominem. Et quoniam inſurgere poterat hoc prorſus dubium, quod hìc diſcutimus, quomodò ſcilicet ſubſiſtat hæc libertas ad bonum, & malum, ad vitam, & mortem, ſi decretum prædeſtinationis, & præſcientia Dei de futuris ſunt immutabiles, & infallibiles actus, ſubdit textus, *Quoniam multa ſapientia Dei, & fortis in potentia,* Ex Eccleſ. De quolibet homine ſcriptura loquitur.

videns omnes sine intermissione. Sed de hac concordia infra.

Multis scripturę locis vtitur August.

79. Prob.3. omnibus ferè locis Sacræ Scripturæ, quibus vtitur S. August. *in lib. de Gratia, & lib. arb. c.* 2. ad probandum libertatem hominis operantis cum gratia, de qua postea loquar in proprio Opusculo. Sic autem discurrit August. Deus reuelauit in homine adesse liberum arbitrium: ex eo quòd multa in vtraque lege pręcepit hominibus, quæ facere non possent meritoriè, vt ad æternam vitam peruenirent. Nam (inquit Augustinus) *Deus in multis locis mandata sua omnia custodiri, & fieri iubet. Quomodò iubet, si non est liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo psalmus 1. dicit, quod in lege Domini fuit voluntas eius. Nonne satis indicat, voluntate sua hominem in lege Dei consistere?* Et postea adducit loca indicantia libertatem, ac dominium voluntatis humanę in suos actus, *psal.* 31. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*. Prou. 1. *Noli repellere consilia matris tuæ* cap. 5. *Noli esse sapiens apud temetipsum, & noli deficere à disciplina Domini: Noli negligere legem; noli abstinere benefacere egenti. Noli fabricare in amicum tuum mala. Noli intendere fallaci mulieri: noluit intelligere*. Et si libros 45. Veteris Testamenti, & præsertim quinque Pentatheuchi reuoluas, innumera inuenies mandata à Deo facta nationi Hebraicę; & multa cum oblatione pręmij, multa alia cum comminatione supplicij. Quomodo ergo fierent præcepta, si homines libertatem non haberent obseruandi, & non obseruandi?

Plura arg. indicantia libertatem

Mandata innumera Dei comprobat,

Ex nouo Testamẽto idem infertur.

80. Ex nouo Testamento, ex omnibus ferè illis 27. libris canonicis innumera mandata, & consilia colliguntur; quæ quidem dare non oportebat

tebat si homo libero careret arbitrio, vt in eorum obseruatione mereretur, aut in obseruatione demereretur.

81. Siquidem in Euangelio legitur, *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Qui vult venire post me abneget semetipsum; in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hęc, & alia ex Euangelicis libris, quæ liberam demonstrant hominis voluntatem. Alia pariter multa habemus in epistolis Pauli, Ioannis &c. Rom. 12. *Noli vinci à malo; sed vince in bono malum.* 1. Corin. 7. *Quod vult faciat, non peccat si nubat. Qui autem statuit in corde suo non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc statuit in corde suo seruare virginem suam benè facit.* Et in cap. 9. ait. *Si autem volens hoc facio, mercedem habeo.* In cap. 15. *Sobrij estote iusti, & nolite peccare.* 2. Corint. 8. *Quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi.* 1. Timot. 5. *Cum enim in delicijs egerint, in Christo nubere volunt.* 2. Timot. 5. *Omnes, qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Ipsi autem Timotheo dicit. *Noli negligere gratiam, quæ in te est.* Ad Philemonem dicit. *Ne bonum tuum velut ex necessitate esset, sed ex voluntate. Serui Dominis suis seruiant ex animo cum bona voluntate.* Item ex epistola Iacobi c. 1. *Nolite itaque errare fratres mei, & nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi.* Euidenter ergo patet, in homine liberam esse voluntatem ad operandum, & non operandum, ad benè, vel malè agendum; & vt optimè alibi dicit August. *Aut voluntas non est, aut libera dicenda est.*

82. Videndum modò est, an prædestinatio, & præscientia hominum, antequam essent, siue

Ex Euangelio.

Ex epistolis Pauli.

Multa loca ex Pauli Epistolis

Ex epist. Iacobi.

Declaratur concordia liberi arbitrij cũ prędestinatione.

sit ex præuisis meritis, siue ante præuisa merita(de quo postea)prȩiudicet libertati prædestinatorum, seu eam impediat; quandoquidem non possunt resistere voluntati Dei prȩdestinantis, & intellectui infallibiliter prȩscienti eorum salutem perseuerando finaliter: Hoc enim opus, hic labor est.

83. S.Augustinus, & cum eo alij omnes cuiuscumque scholæ,docent, & sic tenentur docere; quòd scilicet non prȩiudicet libertati humanæ, quamuis in modo concordiæ prædestinationis ad gloriam, ac præscientiȩ cum libertate discordent. Tenentur inquam omnes docere, quòd prȩdestinatio non præiudicet libertati; quia ex Concil. Trid.*sess.6.can.6.*dicitur anath. ei, *qui asserit, hominem non posse vias suas malas facere*. Quòd autem prædestinatus libertate sua gaudeat, pluries docet S.August.nam *lib.5.de Ciuit.c.9.*impugnans in Cicerone Stoicorum fatum ex eo, quòd dicebant, causarum omnium ordinem certissimum esse, & à Deo prȩsciri, ideòque omnes effectus non liberè, sed fato euenire; S.Doctor multis rationibus confutat hanc consequentiam; præcipua autem est hæc. *Non est autem consequens, vt si Deo certus est omnium ordo causarum, ideò nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Etenim ipsæ quippe nostrȩ voluntates in causarum ordine sunt,qui certus est Deo, in eiusque præscientia continetur; quoniam, & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt, atque ita, qui omnium rerum causas præsciuit, profectò in eis causis nostras etiam voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præsciuit*. Et infra inquit,*Si Deus non est præscius omnium futurorum, non est vtique Deus. Quapropter voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præsciuit; & ideò quidquid va-*

Omnes cũ fide tenentur docere prȩdestinatos liberè operari: in modo est discordia authorum.

S.Augustini discursus probans concordiam libertatis cũ prædestinatione.

valent certißimè valent, & quòd facturæ sunt, ipsæ omninò facturæ sunt, quia valituras, atque facturas ipse præsciuit; cuius præscientia falli non potest. Igitur, dum quis fuit à Deo electus, cum sua voluntate libera fuit electus, & sic à Deo præscitus, seu pręcognitus, liber fuit pręcognitus: sic ergo manet vsque ad mortem. Cur autem sic, mox dicam.

84. In cap. 10. eiusdem libri pluribus contra Stoicos, voluntatem humanam liberam adstruit à necessitate, etiam cum Dei præscientia de omnibus, quæ factura est voluntas. *Absit à nobis Dei negare præscientiam, vt liberi esse velimus, quo adiuuante sumus liberi, vel erimus. Proindè non frustra sunt leges, obiurgationes, exhortationes, laudes, & vituperationes; quia & ipsas futuras esse præsciuit, & valent plurimum, quantum valituras ipse præsciuit, & preces valent ad ea impetranda, qui se precantibus concessurum esse præsciuit, & iusta pręmia bonis factis, & peccatis supplicia constituta sunt.* Alter S. August. discursus de eadem concordia. Non frustra sunt correctiones, exhortationes &c.

85. In *lib. 3. de lib. arb. c. 4.* ait. *Cùm Deus sit præscius voluntatis nostræ, ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit (idest ad vtrumque) ergo & potestatis est præscius. Non igitur per eius præscientiam mihi potestas adimitur: quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cuius præscientia non fallitur, adfuturam mihi esse præsciuit.* Et infra, vt necessitatem, & coactionem voluntatis expellat, inquit. *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt, sic Deus facienda esse non cogit, quæ futura sunt.* Et paulò ante dixerat. *Sicut non sibi aduersantur hæc duo, vt tu præscientia, tua noueris, quod alius sua voluntate facturus est; ità Deus neminem ad peccatum cogens, præuidet eos* Tertius Augustini discursus.

qui propria voluntate peccabunt.

86. Hinc ex S. Doctore concluditur, quòd Prędestinati, sicut cum libero arbitrio, quod eis essentiale futurum erat, prędestinati, & præuisi à Deo fuerunt; sic erunt, & perseuerabunt; quia prędestinatio, & præscientia, eorum non mutant naturam, & essentiam, sed perficiunt, & faciunt, vt benè, ac iustè, sicut prędestinati, ac pręsciti, seu pręuisi sunt, finaliter viuant; nam vt postea dicam, prædestinati ad gloriam, sunt etiam prædestinati ad gratiam, & opera meritoria, ac perseuerantiam in eis finalem.

Conclusio omnis discursus. Deus liberos homines prędestinat; ideò liberi remanent.

87. Et confirmatur ex eodem *in libro de spiritu, & lit.c.35.*dicente, *Vult Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo benè, vel malè vtentes, iustissimè iudicentur &c.*ergo sunt liberi.

Augustini aliud argumentum.

88. Confirm.ex Concilio Constantiensi, quod contra *art.21.Ioannis Hus* decernit sic; *Prædestinati non sunt insolubiliter vniti cum Christo, & Ecclesia; quia possunt cadere, & recedere*; igitur liberi sunt ad bonum, & malum.

Ex Concil. Constant. Prędestinati liberè operantur.

89. Conf.2.ex Can.*obtinui* 23.*q*.4. Prædestinati saluantur, quatenus postulando merentur accipere, quod Deus ante sæcula disposuit eis donare; igitur, cùm ad meritum requiratur libertas, liberi sunt.

Ex text. Canon.

90. Prędestinati adulti saluari non possunt sine meritis, saltem sine obseruantia præceptorum legis naturæ, ac Euangelicę, sicut fides docet, *quia reddet Deus vnicuique iuxta opera sua, & opera eorum sequuntur illos*; ideò Saluator in die iudicij dicet prędestinatis, *Esuriui, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.*

Argum. validum ex natura meriti.

venite benedicti, percipite regnum vobis paratum à constitutione mundi. Sed ad merendum, ac demerendum requiritur libertas indifferentiæ, seu à necessitate, nec sufficit libertas à coactione, vt de fide definitum fuit ab Innoc.X.in Constit.*Cum occasione die vltima Maij* 1653.& ab Alexandro 7. in Constit. *Ad sanctam* sub die 16.Octobris 1656. contra tertiam propositionem Iansenij Iprensis Episcopi.

Ad salutem adultorum necessaria sunt merita. meritũ sine libertate indifferentię dari nequit.

91. Quilibet ergo Catholicus tenetur docere, si magister est, & credere, quòd omnes homines, siue prædestinati, siue non, exercere non possunt opera aliqua meritoria, nisi liberè, & cum indifferentia absque vlla prorsus coactione, aut necessitate operentur; & hoc erat nostrum intentum, scilicet, quòd prędestinatio non præiudicat libertati Prędestinatorum.

Concluditur, quòd sit de fide prædestinatos operari liberè

92. Quomodo verò saluetur hæc libertas in finalibus actibus, cùm prædestinati infallibiliter saluandi sint, & ideò infallibiliter perseueraturi sint in bonis actibus; & præsertim in sententia S.Augustini (quam ego sequor) quòd nempè prædestinatio facta fuit ante præuisa merita, nedum absoluta, sed conditionata; & quòd numerus Prædestinatorum minui non possit per lapsum alicuius in peccato, dicetur in sequentibus, *& in cap.* 18.Nunc autem sufficit scire dogma, quòd prędestinatus sit liber in operando, & suæ libertati non pręiudicat prędestinatio. Hoc autem principium in tota hac materia supponendum est, cum S.Augustino, quòd posse peccare absolutè, & vniuersaliter secundùm conceptum genericum libertatis *non est libertas, nec pars libertatis*; alioquin conueniret Deo summè libero, omnisque libertatis creatæ origini, & causæ.

CAPVT VI.

An Prædestinatio ad gloriam facta sit præuiso Adæ peccato, & ex massa damnata per originale.

93. ADu. 1. Nos hìc loqui de prædestinatione hominum, non Angelorum, aut Christi; de his enim agetur postea. Quæstio ergo est, an Deus in signo aliquo antecedente prȩuisionem peccati Adæ prædestinauerit aliquos; an verò prȩuiso peccato Adæ in eo, & in tota humana natura, & in omnibus, qui naturali propagatione ex Adamo, & successoribus erant generandi.

Sensus quȩstioni clarus.

94. Adu. 2. hanc quȩstionem à S. Augustino omnium primò fuisse excitatam; ipse verò existimans fuisse ab Apostolo affirmatiuè decisam in cap. 9. ad Rom. protestatur, eam sequi velle; ideò *in lib. 1. ad Simplicianum, q. 2.* inquit; *& primò intentionem Apostoli, quæ per totam epistolam viget, tenebo, quam consulam.*

Hæc quæstio à S. August. mota fuit.

95. Adu. 3. pro clariori S. Augustini sententiæ intelligentia, quòd Apostolus *ad Rom. 9.* de electione hominum ad gloriam, & gratiam, nec non de vocatione ad fidem, & de reprobatione complura dicit difficilia; in primis de Iacob, & Esau, ait; *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret; non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus, numquid iniquitas apud Deum? absit. Moisi enim dicit, miserebor, cui misereor, & misericor-*

Origo quæstionis ex dicto Apostoli.

ricordiam præstabo, cuius miserebor. Igitur non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Dicit enim scriptura Pharaoni, quia in hoc ipso excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Et quia hęc difficilia videri possent; & bonitati, ac misericordiæ Dei parum congrua, Apostolus sibi obijcit sic. *Dicis itaque mihi, Quid adhuc quæritur? Voluntati eius quis resistit?* Ad hoc argumentum, quasi volens adæquatè respondere Paulus ait. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non potestatem habet figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam; quos, & vocauit nos non solum ex Iudeis, sed etiam ex Gentibus;* & cętera plura.

Apostoli dicta difficilia.

Ipsemet Augustin. non soluit difficultates.

96. Ex toto hoc contextu, S. Augustinus duo infert; & quòd ex tota massa damnata per originale peccatum in Adæ peccato, Deus ex misericordia aliquos elegit ad gloriam, alios ex iustitia reliquit in statu damnationis. Secundò, quòd non ex præuisis meritis, sed ex sua libertate, ac misericordia illos ad gloriam elegerit, & consequenter ad gratiam vocationis, &c. & perseuerantiæ finalis. Id ergo ex S. Augustino nunc perpendimus, an scilicet prædestinatio electorum facta fuerit post pręuisionem peccati Adę inficientis totum genus, seu massam humanam, & de hac massa facta fuerit electio; nam de reprobatione, tàm negatiua, quàm positiua loquar postea. His præmissis

S. August. ex Pauli doctrina infert suam sententiam affirmatiuam.

 47. Di-

Prędestinatio ad gloriam facta est post prę uisionem peccati Adę, & ex massa damnata.

97. Dico iuxta S. Augustini doctrinam (quam ego sequor) Prædestinatio electorum ad gloriam facta est post pręuisionem peccati Adæ diffundendi in omne genus humanum; & ex massa illa perditionis ex Dei misericordia aliqui electi sunt ad gloriam.

98. Prob. ex pluribus S. Augustini locis. Primò *ex lib. de corrept. & gratia cap. 7. Quicunque ergo ab illa originali damnatione, ista diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Euangelium, & cùm audiunt credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, vsque in finem perseuerant; & si quando exorbitant, correpti emendantur, &c. Hęc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ. Qui verò perseueraturi non sunt, &c. in isto numero computandi non sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis, præscientia Dei, & prædestinatione discreti, & ideò nec secundum propositum vocati, ac per hoc, nec electi. Et in cap. 9. ait, scit Deus talem corripiendum, facturo Deo, aut misericordiam, aut iudicium, misericordiam quidem, si à massa perditionis ille, qui corripitur gratiæ largitate discretus est.*

Multa Augustini loca.

Ex lib. de Correct. & gratia.

99. Secundò ex Enchiridio cap. 95. vbi de futura vita sic loquitur. *Tunc non latebit, quod nunc latet, cum de duobus paruulis vnus esset assumendus per Dei misericordiam; alius per iudicium relinquendus, in quo is, qui assumeretur agnosceret quid sibi per iudicium deberetur, nisi misericordia subueniret.*

Ex Enchiridio.

Tertiò ex epist. 105. quę est ad Sixtum, contra eos qui dicunt gratis, & sine causa aliquos reprobari, seu non prædestinari, murmurat; vbi plura dicit;

Ex epist. 105. in qua plura dicit ad rem hanc.

cit; 1. *Parum attendunt, quòd debita reddatur pœna damnato; indebita gratia liberato; vt nec ille se indignum quæratur, nec dignum se iste glorietur; atque ita potiùs nullam fieri acceptionem personarum, vbi vna, eademque massa damnationis, & offensionis inuoluitur; vt liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia subueniret. Si autem gratia, vtique nullis meritis debita, sed gratuita bonitate donata*; Et postea. *Vbi quia vniuersa ista massa damnata est, contumeliam debitam reddit iustitia; honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogatiua.* 2. quęrenti causam huius respondet. *Cur autem illum potiùs, quàm illum liberet, vel non liberet, scrutetur, qui potest, iudiciorum eius tàm magnum profundum.* 3. de Iacob, & Esau dicit. *Vt intelligeretur hoc apertum postea per Prophetam, quòd antequam nasceretur erat Iacob in Dei prædestinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Iacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suę donum? Et quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* 4.dicit. *Vt cum ex eodem Patre, eadem matre, vno concubitu antequam aliquid egissent boni, vel mali, alterum Deus diligit, odit alterum, intelligat Iacob ex illa massa originalis iniquitatis, vbi fratrem suum, cum quo habuit communem causam videt per iustitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam potuisse discerni.* Clarissima Augustini documenta

100. Idem S. Doctor *in epist.* 106. quę est ad Paulinum adducit argumentum, quod aduersarij eius conficiebant, hodieque contra hanc suam conficiunt sententiam. *Sed quomodo inquiunt non est iniquitas apud Deum, si diligendo discernit, quos merita nulla discernunt? &c.* & ad hoc respondet, *Quid nos hic docuit, nisi ex illa massa primi hominis,* Ex epist. 106.

cui

cui meritò mors debetur, non ad merita hominum, sed ad Dei misericordiam pertinere, quòd liberatur; atque ita non esse iniquitatem apud Deum; quia neque remittendo, neque exigendo, quod debetur, iniustus est: ibi enim gratia est indulgentia, vbi iusta posset esse vindicta. Et hinc euidenter apparet à pena debita liberato, & gratis iustificato quantum beneficij conferatur, quod alter æqualiter reus sine punientis iniquitate punitur. Idem *in lib. 1. cont. Iul.* ait, *Cum dicuntur omnes ex vno in condemnationem, ipsa massa significatur, ex qua fiunt à figulo alia vasa in honorem, idest ea quæ assumuntur in gratiam; alia in contumeliam, idest ea, quæ ad supplicium relinquuntur.*

Ex lib. 1. contra Iul.

Exemplo figuli vasa diuersa facientis argum. validum Pauli. & Augustini.

101. Ex illo ergo modo loquendi Pauli cum similitudine figuli facientis aliqua vasa in honorem, alia in contumeliam ex eadem massa luti ex suo beneplacito, S. Augustinus suam eruit sententiam, quòd Deus ex eadem hominum massa perdita in Adamo aliquos ex sua misericordia eligere voluit ad gloriam, & dare eis media ad eam merendam; alios verò reliquit in eadem massa perdita, de quibus diuersimodè disposuit, vt postea dicetur: Propterea S. August. sæpissimè replicat hunc Dei agendi modum in prædestinatione sanctorum, nempè eruit à massa perditionis, vel discreuit à massa, vt ostendat post præuisionem peccati Adæ, & naufragij totius humani generis cum eo, factam fuisse talem discretionem, vt simul, & semel ostenderet, Deum non esse personarum acceptorem, sed misericordem cum aliquibus, & iustum cum alijs, quod difficilè saluare potuisset in sua sententia, qui sine præuisione meritorum tenet, vt videbimus, fieri prędestinationem; Ideò pluries hac phrasi liberationis, vel discretionis à mas-

massa perdita, seu damnata vtitur. *Et in epist.* 1. ad Valentinum ait, *Apostolus inquit, quis te discernit? ideò dicit, quia ex massa illius perditionis, quæ facta est ex Adam non discernit hominem, vt eum faciat in honorem, non in contumeliam, nisi Deus. In epist.*2.ad Bonifacium c.7. dicit, *Quis enim te discernit? vtique ab iræ vasis, à massa perditionis, quæ per vnum omnes misit in damnationem. In lib.*14.*de Ciuit.c.*26.ait, *Vniuersa massa, tamquam in radice damnata est*: & alibi inquit, *Pelagium nolle credere, quod in vno homine tota est massa vitiata, & tota damnata; à quo vitio, & damnatione sola sanat, & liberat gratia.* In lib.de nat.& grat.c.5. ait, *Vniuersa igitur massa pœnas debet; & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non iniustè proculdubio redderetur;* & alibi sæpè.

Vtitur August. eo exemplo, vt saluet in hoc facto Dei misericordiam, & iustitiam

Alia plura loca de discretione à massa damnata.

102. S. Augustinum secuti sunt Sancti Prosper, ac Hilarius Arelat. & omnes alij S. Augustini discipuli, quos in proemio huius opusculi diffusè retuli, & præ alijs Petrus Damianus, qui in *lib. de Incarn. & Gratia Christi* irridens multos, qui tunc docebant prędestinationem fieri ex præuisione liberi arbitrij volentis saluari, & reprobationem ex præuisione liberi arbitrij nolentis saluari, vtrumque rẹfellit; & dẹ liberatione à massa perditionis mentionem facit, sic. *Hæc si ita sunt, vt illi iactitant, comprahensa sunt ab ipsis inscrutabilia, & incomprahensibilia Dei iudicia. Si enim, sicut ipsi volunt, nolentes damnat, saluat autem volentes, nihil est omninò, quod vlteriùs quæratur, &c. Nos autem incomprẹhensibilia credentes iudicia Dei; ex vna massa perditionis, alios saluari dicimus bonitate, & gratia Dei; alios iusto, & occulto Dei iudicio derelinqui.*

Petrus Damian. irridet aduersarios, quasi fuerint Paulo doctiores.

103. Cùm

103. Cùm verò sæpissimè docuerit Augustinus discretionem hanc hominum à Deo misericorditer factam, & derelictionem aliorum in eadem damnata massa per iustitiam, & ideò aliquos fieri vasa honoris, alios verò contumeliæ; in Epist. 105. dicit. *Cur autem illum potiùs, quàm illum liberet, aut nòn liberet; scrutetur qui potest, iudiciorum eius tàm magnum profundum; verùmtamen caueat præcipitium*: & subnectit verba Apostoli Rom. 9. *inscrutabilia enim sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*; idemque replicat *in lib. 1. de Prædest. SS. cap. 9. in lib. de Bono Perseuer. cap. 8.* & alibi sæpè.

August. monet, nè quæratur, quare Deus hunc non illum elegerit, quia inueniri potest præcipitium.

CAPVT VII.

An Prædestinatio ad gloriam facta sit ex præuisione meritorum.

104. ADu. 1. vt certa ab incertis secernamus, quòd circa hanc quęstionem, quæ est vna ex difficilioribus in hac materia, plures fuerunt sententiæ, quædam hęreticæ, quædam verò probabiles inter Catholicos, Sanctosque Patres.

Plures sententiæ referuntur.

105. Prima hæretica fuit Basilidis, Valentini, & Manichei docentium, quòd sicut per eos dabantur duo principia, vnum bonum, alterum malum; ita duo hominum genera, vnum naturaliter bonum, alterum malum, & sic duo animarum genera, vnum naturaliter prædestinatarum; alterum naturaliter reprobatarum. Sic de eis refert Orig. in lib. 3. Periar. c. 1. *aiunt non esse in nostra potestate, vt saluemur, sed naturas esse animarum tales, quæ in omni genere, vel pereunt, vel saluantur, nec vllo modo possit anima, quæ mala facta est, bona fieri, aut*

Manichei quid docebant ab origine refertur, & a Clem. Alexandrino.

quæ bona facta est, mala fieri. Quòd verò præfati hęretici id docuerint, refert etiam Clemens Alexandrinus *lib.5.strom.*

106. Secunda sententia fuit quorumdam, qui dicti sunt Prædestinatiani, qui S. Augustini, & ipsius Apostoli *ad Rom.9.* doctrinam malè intelligentes, & asserentes Prædestinationem sine meritis factam, aliqua ardua, & diuinę bonitati iniuriosa docuerunt. Isti autem in duplici, ac diuerso fuerunt tempore. Primi extiterunt in quinto sęculo, de quibus loquitur Sigibertus in Chron. ad annum 415. & Baron. ad *ann.*448. Antesignanus fuit *Faustus Reiensis*, quem secutus est Lucidius, & alij: Isti præ alijs docebant, quòd si vocati non sunt de numero prędestinatorum, Deus subtrahit eis vires benè agendi, ne perseuerent in bono: et alios etiam inuitos post multa mala opera attrahat ad salutem: alios post multa bona opera reijciat, & compellat ad malum. Baron. ibi alia eorum dicta dura sic refert. *Quòd nec piè viuentibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad damnationem præsciti sunt; nec improbis obesse, etiam si improbè viuerent, si à Deo prædestinati fuissent ad vitam*. Sigibertus loco cit. alijs, sed ijsdem in substantia verbis refert eorum dicta, nempè, *quòd nec piè viuentibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati sunt, nec impijs obsit, quòd improbè viuant, si à Deo prædestinati sunt ad vitam*; addens, *quæ hæresis ex libris Augustini malè intellectis initium sumpsisse videtur*. Qua de re ait Baron. vbi supra *Faustus, ac Lucidius hanc sententiam in Concilio Arelatensi damnarunt*. Posteriores Prędestinatiani, qui ex Baron. ann. 480. in eadem Gallia extabant, eamdem sententiam, & duriorem renouarunt. Au-

Prædestinatiani quid docebant.

Duę Prędestinatianorũ Classes.

Prima in quinto sęculo. Faustus Reiensis caput.

Multa dicebant iniuriosa Deo.

Baron. eorum dicta refert, & Sigibertus.

Eam damnarunt ijdem Authores.

Posterior classis Prędestinatianorum. Gothescalcus eorum caput.

thor, & caput eorum fuit *Gothescalcus* Monachus de Orbe Dięcesis Rhemensis, de quibus Hinchmarus Episcopus Rhem. ad Hinchmarum Episcopum Laudunensem sic scribit. *Docent, quòd sicut Deus prædestinauit aliquos ad vitam æternam, sic alios etiam ad mortem ęternam prædestinauit; & quòd Deus non vult omnes homines saluos fieri: nam si vult, & non omnes saluantur, non omne fecit, quod voluit: quòd si vellet id quod non potest facere, non esset omnipotens, sed infirmus, & impotens, & quòd Christus non esset pro omnibus mortuus.* Et alia huius generis dura; & quoniam noluit vmquam Gothescalcus reuocare fuit in carcerem trusus, & punitus.

Caluinus pessimè de hac materia locutus est.

107. Post decem sæcula prodijt impius Ioannes Caluinus, qui prædestinationem absque præuisione meritorum, cum S. Augustino quidem docuit, sed hæreses plures contra Augustini sensum illius sententiæ adiunxit; cuius blasphemias adducere nunc non curo, sed in Opusculo de Reprobatione, Deo dante, aliqua de illius impietate referam.

Ex S. Aug. Prędestinatio ad gloriam ex mera Dei gratia, non merces.

108. Adu. 2. Sanctum Augustinum, sicut ex pręcedenti etiam capite patuit, firmiter tenere, quòd prædestinatio electorum ad gloriam sit pura, & mera Dei gratia, ac misericordia independens à cuiusuis merito, ita tamen, vt assecutionem ipsius gloriæ concedere velit per merita eorumdem electorum, quibus quoque in tempore daturus est gratiam ad merendum.

109. Augustinum secuti sunt omnes, quos retuli in proemio huius opusculi, & præ cæteris Sancti Prosper, Hilarius Arelatensis, Fulgentius &c. deinde Magister sententiarum Petrus Lombardus, & omnes Sententiarij; Alexander de Ales

Do-

Doctor irrefragabilis, S. Thomas *Doctor Angelicus*, S. Bonau. *Doctor Seraphicus*, Ioannes Duns Scotus *Doctor ſubtilis*, Franciſcus de Maironis Scoti diſcipulus, *Doctor illuminatus*, Academię plures, Thomiſtę omnes, ac Scotiſtę, & magna pars PP. Societ. Ieſu, qui vnanimiter ſequuntur in hac materia Sanctum Auguſtinum, vt initio demonſtraui.

110. Adu. 3. plures, & ante, & poſt Auguſtinum ſecutos eſſe, hodieque ſequi oppoſitam ſententiam, de quibus loquar infra. Vtraque tamen ſententia doceri in Eccleſia permittitur; quia neutra damnata eſt; & Auguſt. ipſe ait ſuam non eſſe de fide; immò vtriuſque authores ſuam intentionem in Sacra Scriptura fundare conantur; ideòque alterutri modeſtè ſe in alterutra impugnanda gerere debent, vt antiqui, & prudentes viri ſe geſſerunt, ſequentes Cęleſtini primi in epiſtola ad Galliæ Epiſcopos ſententiam. Is enim poſt damnationem hæreſum Pelagij, de alijs controuerſijs inter Catholicos ſic loquitur. *Profundiores verò, difficilioreſque partes quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis reſiſterunt; ſicut non audemus contemnere; ita non neceſſe habemus adſtruere; quæ ad confitendum gratiam Dei, cuius operi, ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus quidquid ſecundùm prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, vt prorſus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis ſententijs eſſe contrarium*. Hæc Cœleſtinus. Inter profundas autem, ac difficiliores quæſtiones, iſta computanda omninò eſt, quæ maxima Dei gratia eſt, à qua omnes alię gratiæ in electis toto vitę tempore promanant; ideòque ſub diſputatione relicta. At nihilominus aduertendum puto, quòd Cęleſtinus eam epiſtolam ſcripſit ad ſuge-

Alij Authores ante, & poſt. Auguſtin. tenuerunt oppoſitam ſententiam.

Modeſtia ſeruanda in alterutrius impugnatione.

Cœleſtini primi elogium pro Auguſtino.

Nota, quòd Cęleſtinus commendat eius doctrinam.

ſtionem Proſperi, & Hilarij conquerentium, quòd poſt Sancti Auguſtini obitum, doctrina eius de Gratia à nonnullis ſugillaretur; hæc autem de Prędeſtinatione pars eſt illius: & Cęleſtinus corripit Epiſcopos Gallos, quòd Auguſtinum non defendant, & eius aduerſarios retundant, vt in proemio huius opuſculi dictum eſt. His præmiſſis

Prędeſtinatio hominum ante pręuiſionẽ meritorum facta eſt, ex Dei mera, & pura gratia.

111. Dico 1. Secundùm S. Auguſtinum (quem ego ſequor) Prædeſtinatio hominum ad gloriam facta eſt ex mera Dei gratia, & miſericordia, ſine præuiſione meritorum eorumdem.

112. Prob. hæc hiſtoria, & ſententia ex multis S. Auguſtini dictis. Nota quòd adduco dicta explicita Auguſtini, non ſolùm, vt oſtendam eum ſic tenere; ſed quia in eis adeſt ratio, cur ita tenet, quę docilem quemque ſuadet. 1. *ex lib. 1. de Prædeſtinat. Sanctorum c. 18. & 19.* quæ ad idem ſunt, perpendit locum ad Epheſ. 1. *elegit nos ante mundi conſtitutionem, &c. Præſciebat eos, ait Pelagius, qui futuri eſſent ſancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideò eos ante mundi conſtitutionem, in ipſa ſua præſcientia, qua tales futuros eſſe præſciuit, elegit. Elegit ergo antequam eſſent prædeſtinans filios, quos futuros ſanctos, immaculatoſque præſciuit, vtique ipſe non fecit, nec ſe facturum, ſed illos futuros eſſe præſciuit.* Hæc Pelagius: at nota, quòd hæreticus in hoc, per hoc tantum; quia dicebat per opera præuiſa facienda viribus arbitrij ſine adiutorio gratiæ: Et Auguſt. vtrumque impugnat ſic. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti; non ergo, quia eramus futuri, ſed vt eſſemus, nempè certum, & manifeſtum eſt. Ideò quippe tales eramus futuri, quia elegit ipſe prædeſtinans, vt tales per gratiam eius eſſemus.* Idem replicat in ſequenti capite; *non quia*

Auguſtini plura loca ex Sacra Script.

Quare Auguſt. dicit hęreticam ſententiam Pelagij, qui ex meritis dicebat fieri.

quia futuros tales nos esse præsciuit; sed vt essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificauit nos in dilecto filio suo. Cùm ergo nos prædestinauit, opus suum præsciuit, quo nos sanctos, & immaculatos facit.

113. Secundò probat suam sententiam Augustinus argumento paruulorum, quorum multi saluantur, multi damnantur, & primi sine præuisis, aut exhibitis meritis: in epist. 105. sic ait. *Quam quæso allaturi sunt causam, quod alius sic gubernetur, vt baptizatus sic exeat; alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priusquam ab eis baptizandus offeratur, expiret?* Et infra. *Cur prouidentia Dei, cui nostri Capilli numerati sunt, sine cuius voluntate non cadit passer in terram, quæ nec fato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec vlla iniquitate corrumpitur, vt renascantur ad beatitudinem cœlestem, non consulit omnibus paruulis filiorum suorum, & nonnullis consulit paruulis etiam impiorum?* Quod quidem argumentum validissimum mihi videtur contra asserentes prędestinationem ex meritorum præuisione.

S. Augustini validum argum. ex casu paruulorum.

Tertiò *in lib. de Correp. & gratia cap. 13.* præ alijs dicit. *Non enim sicut sunt vocati, vt non essent electi; sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profectò electi sunt per electionem, vt dictum est, gratiæ non præcedentium meritorum suorum; quia gratia est in illis omne meritum.* Et de prædestinatione per gratiam non per merita sępissimè loquitur.

Ex lib. de Corr. & gratia.

114 In eodem capite inquit. *Hi verò, qui non pertinent ad hunc prædestinatorum numerum, quos Dei gratia, siue nondum habentes vllum suæ voluntatis arbitrium, siue cum arbitrio voluntatis, ideò verè libero, quia per ipsam gratiam liberato, perducit ad regnum. Hi ergo, qui non pertinent ad illum*

Multa ibi notanda.

lum certissimum, & fœlicissimum numerum pro merito iustissimè iudicantur. Igitur aliqui, vt paruuli, sine vllo actu voluntatis præuiso prædestinati sunt ex gratia, & beneficio Dei; & alij ex eadem gratia, & prędestinati sunt ad gloriam, & ad arbitrij libertatem à seruitute peccati, ac diaboli. Deindè assignat, quomodo damnantur, qui ex gratia prędestinati non sunt, inquiens. *Aut iacent sub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeuntes, quòd non est regeneratione dimissum; aut per liberum arbitrium alia addiderunt, arbitrium inquam, sed non liberatum, liberum iustitiæ, peccati autem seruum, quo voluuntur per diuersas impias cupiditates, &c. Aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseuerant; deserunt, & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseuerantiæ dono, iudicio Dei iusto, & occulto*. Et sic ex August. patet, quòd non prædestinati, vel ex delicto, vel originali tantùm, vt paruuli, vel ex eo cum alijs actualibus, vt Pagani, Iudæi, &c. vel si regenerati sunt, sed dimissi propriæ voluntati non perseuerantes in bono, reprobati sunt; & ita ex demeritorum præuisione; & sic iustè.

Discursus August. conuincens.

115. In cap. autem 7. de corr. & gratia dixerat. *Ac per hoc, & qui Euangelium non audierunt; & qui eo audito, & in melius commutati perseuerantiam non acceperunt; & qui Euangelio audito venire ad Christum, hoc est in eum credere noluerunt, & qui per ætatem paruulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lauacro regenerationis absolui, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam*. Igitur prædestinatio sanctorum ex Dei gratia, & misericordia, non ex meritis eorum

Quomodò reprobi dimittuntur proprio arbitrio, & iustè damnantur.

Alia loca S. August.

rum prę uisis facta est; immò merita ex prędestinationis gratia procedunt, vt in suo loco dicetur. Deus enim, qui prædestinat ad gloriam, prædestinat ad merita, quibus vult eam à prædestinatis consequendam. Nam in eodem *cap. 7.* ait, *sed quoniam secundùm propositum vocati sunt, profectò electi sunt per electionem, vt dictum est gratiæ, non præcedentium meritorum suorum, quia gratia est illis omne meritum.*

116. In Enchiridio c.98. expendens illud Rom. 9. *Non ex operibus,* inquit, *qua in re si futura opera, vel bona huius, vel mala illius, quæ Deus vtique præsciebat, vellet intelligi; nequaquam diceret; non ex operibus, sed diceret ex futuris operibus, eoque modo solueret istam quæstionem; immò nullam, quam solui opus esset, faceret quæstionem; sed qui dixit, miserebor, cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero, Iacob dilexit per misericordiam gratuitam; Esau autem odio habuit per iudicium debitum. Quod cum deberetur ambobus: in altero alter agnouit, non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causa idem supplicium non incurrit, sed de diuinæ gratiæ largitate, quia non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Merita ex Prędestinationis gratia procedunt.

Ex Enchiridio à Scrip ducit arg.

Ex eodem Enchir iterum.

117. In *cap. 99.* inquit. *Sola gratia redemptos discernit à perditis, quos in vnam perditionis concreuerat massam, ab origine ducta causa communi;* & assignat rationem, cur ita factum sit, inquiens, *sic oportuisse liberari, vt ex pluribus non liberatis, atque in damnatione iustissima derelictis, ostenderetur quid meruisset vniuersa conspersio, & quò etiam istos debitum Dei iudicium duceret, nisi eis in debita misericordia subueniret.*

118. In *cap. 10. de Corr. & grat.* in fine habetur, *Quot quot ex hac stirpe gratia Dei liberantur, à damna-*

Ex lib. de Corr. & gr.

natione vtique liberantur, qua iam tenentur obstricti. Vndè etiam si nullus liberaretur, iustum Dei iudicium nemo iustè reprehenderet. Quòd ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo autem numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit; gratię sunt agendæ quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur.

Pauci Prędestinati.

119. Item magni ponderis existimo S. August. argumentum de Perseuerantia finali, pro quo integrum librum scribit prętitulatum *de bono Perseuerantiæ*, quo respondet ad Prosperum, & Hilarium scribentes tumultum eorum, qui prædestinationem sine meritis ab eo traditam insimulabant: in omnibus 24. capitibus illius libri, varijs modis hoc argumento perseuerantiæ vtitur ad probandum, quòd electio ad gloriam, quæ ex perseuerantia finali confertur, quę est donum Dei, non ex meritis, sed ex gratia fiat: adducam vnum *ex cap.*8. vbi expendens locum quemdam Io: 8. quærit August. *cur ex duobus pijs viris, huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi non donetur.* Et respondet cum Ioanne, *si fuissent ex nobis mansissent nobiscum*. Et subdit. *Nonne vtrique vocati fuerant, & vocantem secuti; vtrique ex impijs iustificati, & per lauacrum regenerationis vtrique renouati*: & respondet. *Vera sunt hæc, & secundum hæc omnia nobiscum erant; verumtamen secundum aliam quamdam discretionem non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum*; & post aliqua inquit; *Quænam sit tandem ista discretio? Patent libri Dei, non auertamus aspectum. Clamat scriptura diuina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, qui non erant secundum propositum vocati: non erant in Christo electo ante constitutionem mundi: non erant in eo sortem consecuti; non erant prædestinati secundùm propositum eius, qui vniuersa operatur.*

Argum. August. de Perseuer. quę est donum Dei, validissimũ est, & non ex meritis.

Ideò librũ confecit de bono Perseuer.

Dicit, quòd ex libris Dei infertur sua sententia.

Qui ergo non eſt prędeſtinatus, non perſeuerat in bono ad obtinendum finem, ac terminum prędeſtinationis; igitur non poteſt dici, quòd ex meritis (inter quæ deberet primum locum tenere perſeuerantia) facta eſt electio ad gloriam: vel ſi ex præuiſione perſeuerantiæ, cùm hæc ſit ex gratia, vt de fide eſt, iam electio ex gratia originem haberet: ſatius autem eſt dicere, quòd ipſa electio ex numero perditorum in originali, ſit ex gratia, & ex ea dependeat vocatio &c. ac perſeuerantia finalis. Quod quidem argumentum validiſſimum eſſe conſpicitur, quia de fide eſt, perſeuerantiam eſſe donum Dei.

Perſeuerantię debetur gloria, ſed hęc non ex meritis.

120. Auguſtinum ſecutus eſt eius diſcipulus S. Proſper, qui pluries de hac re loquitur, præcipuè in epiſt. ad Rufinum, in qua agit de libero arbitrio, & corripit eos, qui negabant, *ex omni genere hominum per cuncta ſæcula natorum, certum apud Deum, definitumque eſſe numerum prædeſtinati in vitam æternam populi, & ſecundum propoſitum Dei vocantis electi, & ait, in illis non præcedens eligitur, nec ſecutura deuotio; non obedientia, nec diſcretio, non voluntas.* Et ſoluens illud Pauli ad Timot. dictum, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, quòd hoc non intelligatur de ſingulis hominibus, inquit. *Numquid non ſunt de omnibus hominibus, qui à præteritis generationibus vſq; ad hoc tempus ſine Dei cognitione perierunt? & ſi maioribus natu (quod non rectè dicitur) mala opera, quæ libero arbitrio commiſerunt, obfuerunt, quaſi boni non mali gratia liberentur, inter ſaluatos paruulos, & non ſaluatos paruulos, quę meritorum potuit eſſe diſcretio? Quid iſtos introduxit in regnum Dei, quid iſtos excluſit à regno Dei? equidem ſi merita conſideres, non vna pars ſaluari meruit, ſed vtraque damnari; quia omnibus*

S. Proſper in omnibus his ſequitur Aguſt.

Diſcurſus S. Proſperi profundus & clarus.

in Adæ præuaricatione prostratis, nisi quosdam assumeret misericors gratia, maneret super vniuersos inculpata iustitia. Quæ autem sit discretionis istius in secreto Dei consilio causa, vel ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur; & sine fidei diminutione nescitur, modò confiteamur, neminem immeritò perdi, neminem meritò liberari, & omnipotentissimam Domini bonitatem omnes saluare, & omnes ad agnitionem veritatis imbuere, quos vult omnes fieri saluos, & ad agnitionem veritatis venire. Nisi enim ipso vocante, docente, saluante, nemo venit, nemo eruditur, nemo saluatur.

S. Fulgentius eamdē sententiam sequitur.

121. S. Fulgentius in lib. de Remiss. peccat. cap. 4. discutiens historiam Iacob, & Esau, ait, *Quo circa ex duobus istis fratribus, quos vno concubitu Isaac Patris nostri, vnus in semine conceptus accepit, vnus in lucem partus effudit, sola quem voluit à massa damnationis misericordia diuina discreuit, cui patrocinata est gratuitorum prædestinatio munerum, non futurorum præscientia meritorum. Sic enim secundùm electionem propositum mansit, vt ex proposito Dei gratuita foret electio. Voluntas enim causa est electionis, non electio voluntatis.*

Pluries Fulgentius id repetit.

122. Idem *in lib. de Prædestinationis Veritate* plura de hac sententia dicit, presertim hoc: *ait Apostolus dum nondum nati fuissent, aut aliquid egissent bonum, vel malum, vt secundum electionem propositum Dei maneret. Quod Apostolus ideò dixit, vt non secundum hominis, sed secundum electionem vocantis propositum mansisse monstraret, neque ex nasciturі quolibet merito, sed ex voluntate Dei cognosceretur electio.*

Petrus Damianus idē docet.

123. Petrus Damianus eamdem sequitur sententiam *in epist. ad Fulgentium*, vbi contra Semipelagianos loquens, & discutiens illud Pauli super hac

hac materia, ò *quam incompræhensibilia sunt iudicia eius*, ait. *Hæc si ita sunt, vt hæretici iactitant, compræhensa sunt ab ipsis incompræhensibilia, & inscrutabilia Dei iudicia. Si enim, vt ipsi volunt nolentes damnat, volentes saluat; quod quæratur vlterius? Nos autem incomprehensibilia credentes, & demonstrantes iudicia Dei, ex vna massa perditionis, alios saluari dicimus bonitate, & gratia Dei; alios iusto, & occulto iudicio derelinqui.*

124. S.Gregorius in lib.1.Dial.c.8. ait. *Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt: sed ea quę sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio, ita est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi, pro labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare.* Et vt cæteros omittam, de quibus dixi in proemio huius Opusculi, post multa sęcula prodierunt Scholastici, quorũ antesignanus fuit Petrus Lombardus dictus *Magister sententiarum*, eo quòd plerasque sententias ex lib.S.Augustini collectas in quatuor libros redegit; qui floruit in sæculo 13. Hic sententiam S.Augustini de prędestinatione ad gloriam sine meritis factam tenuit; hunc secuti sunt Alexander de Ales dictus *Doctor irrefragabilis*, S.Thomas *Doctor Angelicus*, S. Bonauentura *Doctor Seraphicus*, Ioannes Duns Scotus, *Doctor subtilis*, & Academię multæ, vt initio retuli: ideòq; eam quasi irrefragabilem censeo. S.Greg.Magnus.

125. Aliquæ fateor adsunt contra eam difficultates, quas infra ex S.August. soluere conabor; & si non satisfaciam, dicat lector, ò *altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*: plures enim, & inextricabiles sunt in opposita sententia, vt patebit.

CAPVT VIII.

Quid alij Patres senserint de prædestinatione, cum, vel sine intuitu meritorum.

Hæc quæstio antiqua est.

Neutra sententia declarata de fide.

Cum modestia sine iniurijs disputanda.

Historicè refertur sententia de Prędest. ex meritis.

Gręci aliqui docuerunt.

126. ADu. quòd quæstio hæc de prædestinatione ex meritis, vel sine eis non est moderna; neque alterutra sententia declarata est de fide, sed vtraque permissa; quia vtraque Sanctos Patres habet patronos. Quamuis enim ante S. Augustinum non fuerit formiter hæc quæstio disputata; sed vtraque sententia ab aliquibus prælibata tantùm: tamen post S. Augustinum, qui methodicè Theologiam docuit, fuit semper acriter disputata. Fateor quidem, quòd primi vtriusque sententiæ authores zelo pietatis erga Dei misericordiam, bonitatem, ac iustitiam, solis rationibus Sacræ Scripturæ innixis, absque iniurijs, scommatibus, aut falsitatibus disputarunt. At sequaces eorum non omnes eamdem viam tenuerunt, sed plerique in scommata, & acerbitates, quæ Catholicum non decent, prolabuntur. Hìc ergo historicè referam, quid SS. Patres Gręci, ac Latini ante, & post S. Augustinum de prędestinatione ad gloriam sine præuisione meritorum dixerunt.

127. Dico I. Plures Patres Græci prędestinationem sanctorum à Deo ab ęterno factam ex præuisione meritorum asseruerunt.

128. Prob. hæc historia ex aliquibus Patribus Græcis Origene, Chrisostomo, Oecumenio, ac Theodoreto.

129. Orig. licet in hac materia aliquando claudicare videatur; tamen in Epist. ad Rom. cap. 8.

cap. 8. *quos presciuit, & prædestinauit &c.* ait, & *ideò etiam in præsenti loco constat, Apostolum secundùm Scripturæ Sacræ consuetudinem posuisse sermonem cognoscendi, vt illos ostenderet præcognitos à Deo in quibus sciens quales essent, amorem suum Deus, affectumque posuisset.* Et postea explicans illud eiusdem Apostoli, *qui secundum propositum vocati sunt sancti*, dupliciter explicat propositum, & vt propositum Dei vocantis, ac eligentis, & vt propositum eorum, qui eliguntur à Deo, præuisum, sic. *Omnes quidem vocati sunt, sed non omnes secundum propositum bonum, & bonam voluntatem, quam circa cultum Dei gerunt, vocantur. Illi enim, qui non habent bonum, fixumque propositum circa diuinum cultum, vel circa opus bonum; vocantur quidem & ipsi, ne eis excusatio relinquatur. Quòd si secundum propositum ad Deum referatur, hoc est, qui secundum Dei propositum, qui sciens in eis religiosam mentem, & salutis inesse desiderium vocati dicantur; non videbitur his, quæ exposuimus hoc esse contrarium. Hoc ergo pacto, neque in præscientia Dei, vel salutis, vel perditionis nostræ causa consistit, neque iustificatio ex sola vocatione pendebit; neque gloriari de nostra penitus potestate sublatum est.* Ex quibus patet, quòd Deus (ex Origene) ex præuisione operum humanorum, & vocat, & reprobat; ea tamen opera cum auxilio gratię facienda præuideri in suo loco dicemus cum eodem authore; nec aliter cum fide intelligi posset. Origenes eam docuit

130. S. Io: Chrisostomus pluries de prędestinatione, & reprobatione ex prę scientia operum loqui videtur: in epist. *ad Rom. 9. homil. 16.* priùs dicit, *Qui enim mentis occulta cognoscit, ipse manifestè scit, quinam coronis digni sint, quinam suppli-* S. Io: Chrisostom. idē docuit.

pli-

plicio, atque pœna. Et explicans quomodo aliqua ſint vaſa irę, & contumeliæ, alia honoris, & miſericordiæ, inquit, *Vt igitur Pharao vas iræ factus eſt propria iniquitate, ſic & iſti vaſa miſericordiæ ſua probitate fiunt. Nam etſi maiori ex parte id à Deo geritur; tamen à nobis exiguum confertur aliquid. Idcircò non dixit vaſa præclarorum facinorum; neque vaſa fiduciæ; ſed vaſa miſericordiæ, vt oſtendat totum illud Deo tribuendum.* Quod clariùs infra confirmat, inquiens, *vndè ergo alij vaſa ſunt iræ, alij miſericodiæ?* reſpondet. *Ex arbitrio proprio. Nam Deus, cùm ſit optimus, in vtriſque eamdem benignitatem exhibet. Non enim eos, qui ſaluantur ſolùm miſeratus eſt; ſed etiam Pharaonem quantum in ipſo fuit, eamdem quippè in ſe tolerando patientiam experti ſunt. Quòd autem non eſt ſaluatus, totum id illius voluntati tribuendum eſt; quia quod ad Deum pertinet, nihil minus quàm, qui ſaluati ſunt, eſt adeptus.*

Multa digna Chriſoſt.

131. Quòd autem opera illa præuiſa non eſſent facienda ex ſolis naturæ viribus, ſed ex adiutorio gratiæ per Chriſtum, docuit idem Chriſoſt. *in homil. prima in epiſt. ad Epheſ.* verſu, *qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum,* ad quæ dicit. *Non enim ex noſtris laboribus rectè factis hoc ſuppetit, ſed ex Charitate, neq; ex Charitate ſolùm, ſed ex virtute noſtra. Nam ſi id ex ſola Charitate penderet, ſaluari omnes oporteret. Sin autem ſola ex virtute noſtra ſuperuacaneus fuiſſet aduĕtus illius, & quæcumq; ab eo ſunt adminiſtrata. Verùm neque ex ſola Charitate, neque ſola ex virtute noſtra illud accidit, ſed ex vtraque.* Hæc S. Doctor. Ex quibus patet, ſententiam ſuam eſſe, quòd prædeſtinatio ad vitam æternam facta ſit ex pręuiſione operum ex Charitate, & in Charitate fiendorum. Quomodo autem

Sed merita illa ex auxilio gratię facienda præuiſa ſunt.

autem hęc eius dicta explicentur à Doctoribus contrariæ sententiæ (nam Chrisostomo multum deferendum est) videbimus in suo loco.

132. Theodoretus *in epist. ad Rom. c. 8.* explicans illud, *Omnia cooperantur in bonum, ijs, qui secundùm propositum vocati sunt sancti*, intelligit non de proposito Dei, sed de proposito vocatorum, inquiens, *Quorum propositum presciuit, eos ab initio prædestinauit. Prædestinatos, ac prædefinitos etiam vocauit: Deindè vocatos per baptismum iustificauit; iustificatos verò glorificauit:* & post. *Cæterùm nemo horum causam, præscientiam esse dicat; non enim præscientia eos tales effecit, sed Deus, vt Deus, quæ futura erant procul prospexit.* Et in cap. 9. ad Rom. ait. *Non est enim iniusta electio, sed quę hominum proposito conuenit.* Et explicans illud etiam Pauli, *numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, &c.* ait, *Recta ergo est, & iusta Dei vniuersorum sententia; iure ergo punit peccatores, vt qui hoc sua spontè facere audeant. Iure etiam lenitate, ac benignitate vtitur; à nobis enim accepta occasione præbet misericordiam.*

Theodoretus eandē sententiam docuit.

Locum Apostol. de proposito explicat de proposito hominum.

132. Oecumenius in idem c. 8. ad Rom. eodem modo explicat illud dictum, *ijs, qui secundùm propositum vocati sunt sancti*, inquiens. *Deindè nè quasi certis hominibus indulgens Deus, eos præ alijs vocare videatur, aderit eis, qui secundùm propositum vocati sunt, hoc est secundùm arbitrium suum dignati sunt vocatione: ostendens, omnes nos quidem esse vocatos; illos autem auscultasse, idcircò opitulatur eis Deus, qui secundum propositum facti sunt vocati. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, quos autem vocauit, hos & iustificauit; nè absurdum videatur, Deum quibusdam benefacere, non alijs. Quod autem additur secundùm propositum, effecit,* vt

Oecumenius eodē modo tenet, ac explic t.

vt in factis illius adscribatur laus, quia suapte voluntate crediderunt; & à personarum acceptione reddit immunem Deum.

Theophilactus eamdē docuit sententiam.

133. Addi potest ex Græcis Theofil. qui in idem caput 8. ad Rom. *quos præsciuit, & prædestinauit.* inquit. *Præcognoscit, vel præscit Deus eos, qui vocatione digni sunt, deindè sic prædestinat. Prior itaque est præscientia, postea sequitur prædestinatio. Prædestinationem autem intelliges impermutabilem Dei bonam voluntatem. Prænouit itaq; Paulum Euangelij vocatione dignum esse, sicque præfiniuit, seu prædestinauit, hoc est, impermutabiliter decreuit, ideòque statuit vocare ipsum.* Et in cap. 9. discutiens illud de Iacob, & Esau, *cùm enim nondum nati fuissent*, idem ferè dicit.

Ex latinis aliqui Patres docnerunt factā ex prænisione meritorum.

134. Dico 2. Aliqui Patres Latini priores Sancto Augustino docuerunt; prædestinationem ad gloriam factam esse ex præuisis meritis.

S. Ambros.

Prob. hęc historia. S. Ambrosius in lib. 5. de Fide, c. 5. expendens illud Christi dictum ad Iacobum, & Ioannem, *sedere ad dexteram, & sinistram meam non est meum dare vobis.* Matth. 20. ait. *Non est meum, qui iustitiam seruo, non gratiam. Denique ad Patrem referens addidit, sed quibus paratum est, vt ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis; quia Deus personarum acceptor non est: Vnde Apostolus ait, quos præsciuit, & prædestinauit. Non enim ante prædestinauit, quàm præsciret: sed quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinauit.* Immò (si commentaria in epist. ad Rom. essent S. Ambrosij (quod non creditur) in cap. 8. & 9. multo plura de hac sententia habentur.

135. S. Hieronymus in cap. 1. Isaię. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*, ait,

liberum

liberum seruat arbitrium, vt in vtramque partem, non ex præiudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit: Et in cap. 1. Malachiæ inquit, *Dilectio Dei, & odium, vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus*: Et in epist. *ad Hedibiam* de multis propositionibus 9. cap. epist. *ad Roman.* mentionem faciens, in decima quęstione, sic loquitur. *Quid ergo dicemus, iniquus est Deus? absit.* Exodi 33. ait, *miserebor, cui misertus fuero, & non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*: his suppositis, mouet quęstionem cum Paulo, *quid ergo conquæritur Deus, quòd bona non facimus, vel fecimus mala, cùm in potestate illius sit, & voluntas absque bonis, & malis operibus; vel eligere aliquem, vel abijcere.* Et respondet, cum Paulo. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo. Et est sensus. Ex eo quod respondeas Deo, & calumniam facis, & de scripturis tanta perquiris, vt loquaris contra Deum, & iustitiam voluntatis eius incusas, ostendens te esse liberi arbitrij, & facere quod vis, vel tacere, vel loqui.* Et postea ait. *Deus non saluat irrationabiliter, & absque iudicij veritate; sed causis præcedentibus; quia alij non susceperunt filium Dei; alij autem recipere sua sponte voluerunt, &c. ex quo sequitur non gentes eligi, sed hominum voluntates.* Hæc Hieron.

Hieronymus idem docuit.

Pluries ostendit motiuum prędestinandi fuisse opera humana pręuisa.

136. Post S. Augustinum immediatè, alij tenuerunt electionem ad gloriam factam fuisse ex præuisione meritorum, vt Faustus, & Massilienses, qui contra S. Augustinum oblatrabant, & habetur ex epist. SS. Prosperi, & Hilarij ad Augustinum, in qua referunt difficultates contra eius sententiam motas (quas in cap. sequenti referemus:) qua de re S. Doctor pro responsione scripsit duos illos pręclaros libros, vnum *de Prædest. SS.* alium *de bono Persen.*

Post S. August. aliqui eum impugnarunt, & docuerunt fieri per merita.

Concil. Valentinum eam tenuit

137. Concilium Valentinum ex 14. Episcopis *in cap.3.* hanc sententiam tenuit dicens. *In electione saluandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem perditorum, præcedere meritum malum, iustum Dei iudicium.* Et in cap. 2. dixerat. *Malos non ideò perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.*

Honorius Augustod.

138. Honorius Augustodunensis in Dialogo de Prædestinatione, eam sic definit. *Est pro meritis cuiusque, vel ad gloriam, vel ad pœnam æterna Dei preparatio. Porrò qui præuisi sunt in bono permansuri sunt ad vitam prædestinati; qui verò præsciti in malo vitam finituri, ad pœnam sunt vtique prædestinati, ergo quos Deus presciuit in filium suum credituros, & voluntariè mandata eius seruaturos, hos ante sæcula prædestinauit: hos suo tempore ad fidem vocauit; hos per baptisma iustificauit; hos virtutibus magnificauit; hos vasa misericordię glorificauit. Quos autem minimè facturos præsciuit, hos à regno gloriæ reprobauit, & vasa irę, & contumeliæ apta ad pœnam prædestinauit.* Et hoc etiam, ait, notificatum in Iacob, & Esau, quia eorum merita, ac demerita fuerunt à Deo ab æterno prẹuisa.

Exemplum figuli diuersa vasa facientis ex eodem luto, Authores contrarij aliter explicant.

139. Et quoniam S. Augustinus, eiusque discipuli, & sequaces illius ad probandam electionem ad gloriam, vtuntur præ alijs loco Pauli *Rom. 9.* de figulo ex eadem massa faciente vasa duo, vnum in honorem, aliud in contumeliam; Authores contrarię sententię adducunt alias Patrum huius loci declarationes Augustini sensui oppositas, quibus ostenditur vasa illa honorata, vel inhonorata fieri quidem talia, sed propria voluntate, & sic à Deo existimari.

140. Da-

140. Damaſcenus enim in lib. 4. fidei cap. 20. ait. *Vaſa illa fidei à Deo, qui eſt ſolus omnium artifex; ſed non qua honorata, vel inhonorata ſunt. Id enim vniuſcuiuſque liberum arbitrium facit.* Et vtens Pauli doctrina 2. ad Timot. 2. *In magna domo, non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea; ſed & lignea, & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum.* Quaſi dicat homines à Deo creati, ſuis operibus ſe conſtituunt vaſa, ſiue honoris, ſiue contumeliæ: Deus autem pro eorum bona, vel mala conditione eis vtitur in honorem, vel contumeliam.

Damaſcenus dicit, quòd homines ex ſe fiunt vaſa bona, vel mala.

141. Et confirmant ex Origene, qui homilia 14. in lib. Num. diſcutiens præfatum Pauli locum; *In magna domo &c.* ait; *Verùm vaſa hæc, quæ dicimus, rationabilia intelligenda ſunt, & liberi arbitrij, non caſu, neque fortuitu vnuſquiſque vas honoris efficitur, aut vas contumeliæ, ſed qui ſe talem præbuerit, vt electus eſſe mereatur, vas electum, & vas honoris efficitur. Qui verò indignis, & deterrimis ſenſibus viuit, iſte formatur vas contumeliæ, non à conditore, ſed à ſemetipſo, cauſis contumeliæ ſuæ datis.*

Ex Origene confirmant multi.

Vtuntur præterea alio argumento Pauli, 1. Timot. 2. 4. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quem locum, dicunt, à Patribus ſic intelligi, quòd Deus voluntate antecedente, & quantum eſt in ſe omnes omninò homines volebat ſaluare, ſed ab ipſorum hominum præuiſis operibus, malis, aut bonis faciendis, cum gratiæ auxilio ſufficienti omnibus dando, ortum eſt, (vt aliquos voluerit efficaciter, & voluntate beneplaciti, alios non; & ad-

Vtuntur dicto Pauli. Deus vult omnes homines ſaluos fieri.

Et ipſi homines impediunt ſuis peccatis.

ducunt Sanctorum dicta.

142. S.Io: Chrisost. hom. 2. in epist. ad Hebreos ait, *Deus quantum est in se omnes ad salutem perducere cupit:* & *hom*.44.de longitudine præmiorum, inquit. *Quod enim sæpius dixi necessitate, ac vi neminem attrabit vnquam Deus, sicut Paulus ait, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Cur igitur non omnes salui fiunt, si vult omnes saluos esse? quoniam non omnium voluntas illius voluntatem sequitur: porrò ipse neminem cogit, dixit enim Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.*

S.Io:Chrisost. id tenet.

143. S.Paulinus in epist. 2. inquit. *Omnem enim hominem quantum in ipso est saluum fieri vult, qui fecit omnes.*

144. S. Hieronymus in cap. 63.Isaiæ sic discurrit. *Si prudens lector tacita cogitatione responderit, quare multi non sunt saluati, si ipse saluauit eos, & dilexit, & pepercit filijs suis, & redemit eos sanguine suo, suscepit, & exaltauit assumptos?* Et respondet. *Infertur causa perspicua; ipsi autem non crediderunt: & exacerbauerunt Spiritum Sancti eius, &c. Voluit itaque Deus saluari cupientes, & prouocauit ad salutem, vt voluntas haberet præmium; sed illi credere noluerunt.* Et post aliqua. *Nec statim in culpa est, si plures credere noluerunt, sed venientes; voluntas fuit, vt omnes crederent, & saluarentur.*

S. Hieron. eodem modo declarat.

145. Idem S. Hieron. in cap. 1. ad Ephes.inquit. *Vult saluari omnes, & in agnitionem veritatis venire: sed quia nullus absque propria voluntate saluatur (liberi enim arbitrij sumus) vult nos bonum velle, vt cum voluerimus, velit ipse in nobis suum implere consilium,*

Iterum Hieron.

146. S.Am-

146. S.Ambros.ante Hieron. idem docuerat in psal.72.super illud, *Quàm bonus Israel Deus, &c.* dicens, *nonne omnibus bonus est Deus? ille quidem omnibus bonus est, quia saluator est omnium, maximè fidelium. Et ideò venit Dominus Iesus, vt saluum faceret, quod perierat; venit vt peccatum mundi tolleret, vt vulnera nostra curaret. Sed quia non omnes medicinam expetunt, sed pleriq, refugiunt, nè medicamentis compungatur vis vlceris; ideò volentes curat, non adstringit inuitos.* Et post multa. *Pulchrè autem Apostolus, vt præmisimus, explanauit, quia & omnibus bonus est Deus, qui vult omnes homines saluos fieri; & maximè fidelibus diuinæ pietatis prerogatiua seruatur, quibus voluntas Dei opitulatur, & gratia.* S. Ambros. idem docuit.

147. Idem S.Ambros.in lib.de Paradiso c. 8. vbi de Iuda ait, *Venerat Dominus Iesus omnes saluos facere peccatores: etiam circa tempus suam debuit ostendere voluntatem. Et ideò nec proditurum debuit præterire, vt aduerterent omnes, quòd in electione etiam proditoris sui seruandorum omnium insigne prætendit;* & post aliqua. *Et quòd in Deo fuit, ostendit omnibus, quòd omnes voluit liberare.* Iterum S. Ambros.

Et in lib.2.de Abel, & Cain c.3.dicit. *Omnibus opem sanitatis detulit; vt quicumque perierit, mortis suæ causas sibi adscribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, cum posset euadere; Christi autem manifestè in omnes prædicetur misericordia; & quòd qui pereunt, sua pereant negligentia: & qui saluantur secundùm Christi sententiam liberentur, qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Ex quibus authores huius sententiæ inferunt, quòd iuxtà eorumdem S.S.Patrum sententiam ex meritis, ac demeritis prænisis facta sit electorum, ac damnatorum prædestinatio, cùm Tertiò S. Ambros.

Deus

Deus quantum de se erat, vellet omnes saluare, & nihilominus omnibus liberi arbitrij vsum liberum permittere, & ex eo benè, vel malè in praxim redigendo ab ipsis hominibus, bonorum à malis discretionem ab ęterno decreuisse.

Cur recentiores amplexi sunt sententiam istam.

148. Mirum ergo non est, si recentiores postea hanc sententiam sibi plausibilem visam, & à Deo acceptionem personarum omninò remouentem, amplexi sunt. At de maiori, aut minori alterutrius probabilitate, in sequenti loquar.

CAPVT IX.

De qualitate meritorum, quorum intuitu à quibusdam asseritur facta prædestinatio.

Authoris intentio.

149. Adu. pro indemnitate eorum, qui tenent prędestinationem factam ex præuisis meritis; quòd tripliciter hoc posset intelligi. Primò de meritis ex naturæ viribus eliciendis absque auxilio gratiæ, quod Pelagianum est, & ab Ecclesia damnatum, vt probabitur in Opusculo de Gratia. 2. De meritis sic eliciendis ab adultis, vt supposita vocatione ad fidem, assensus primus ad eam sit ex puris naturæ viribus, cæteri autem sequentes actus tàm credendi, quàm sperandi, diligendi, ac pœnitendi, &c. sint faciendi cum auxilijs diuinæ gratiæ. Et hoc est semipelagianum, vt in eodem opusculo dicetur. Semipelagiani enim tenebant, quòd ad omnia opera bona, & meritoria, est necessarium actualis gratię auxilium, & per hoc recedebant à Pelagio, qui omne auxilij adiutorium negabat, saltem ad simpliciter operandum; nam aliquando concessit eius necessitatem ad faciliùs operandum. At semipela-

Quę merita asseruntur fecisse.

Motiua prędestinationis. Sẽsus Pelagianorum. sensus semipelagianorum.

pelagiani cum Pelagio in hoc prę cęteris conueniebant, quòd initium fidei dicebant esse ab homine solis naturæ viribus operante. Quæ sententia pariter hæretica est. 3. intelligitur de meritis pręuisis eliciendis, cum auxilio diuinæ gratię, & hæc sententia improbata non est ab Ecclesia, sed in scholis controuertitur; & hęc tantùm ab Authoribus Prędestinationis ex meritis tenetur, ex eo quòd doceatur à Patribus.

Sensus quorumdam Catholicorum, sed controuersi.

150. Adu.2. quòd alia adhuc, & grauior superest difficultas de qualitate auxiliorum, quæ pręuisa sunt ad merita necessaria, & consequenter à Deo danda, seu offerenda. An scilicet sint generis auxilij *sine quo*, vel auxilij *quo* (de quibus in suo loco dicemus) idest, an sint auxilia ex natura sua intrinsecè efficacia, quæ cùm à Deo dantur faciunt facere infallibiliter, & ineluctabiliter: an sint, seu debeant esse eius generis, vt oblata, seu offerenda hominibus sint ita indifferentia, vt homines, si velint consentiant, & sic euadant efficacia; si autem non consentiant, sine effectu maneant, & sic inefficacia. Certum quidem est, quòd hæc difficultas spectat ad Opusculum de auxilijs diuinę gratiæ: at res istę sic sunt concatenatæ, vt vna sine alia percipi nequeat. Qui enim tenent prædestinationem factam ex meritis, tenentur defendere, quòd ex meritis cum Dei auxilio eliciendis. Et si interrogentur, vel vrgeantur de qualitate auxilij, tenentur respondere, an de auxilio *quo*, seu ab intrinseco efficaci; an de auxilio *sine quo*, seu, vt ipsi dicunt, indifferente, & à voluntate humana imperante, determinando.

Alia difficultas de genere auxilij.

An efficax ex sua natura, an indifferens.

Auxilium quo idest efficax ex se. Auxiliũ sine quo ex consensu efficax.

151. Adu.3. Quòd multi Authores moderni, qui prædestinationem ex meritis pręuisis factam tenent, sic eam explicant. Deus ab æterno volun-

luntate antecedenti voluit saluare omnes, ideò decreuit dare omnibus media sua auxilia necessaria ad salutem toto eorum vitæ tempore (de adultis loquor:) vidit autẽ, quòd aliqui eis essent consensuri, eisq; vsuri; alij verò non, ideò decreuit priores adiuuare, vt opera illa ad quæ daturus est auxilia, perficiant; illos verò, qui non consensuri sunt, relinquere. Hæc, aliaque plura de his auxilijs indifferentibus, & de operibus ex illis faciendis à Deo per scientiam, quam dicunt mediam, præuisis, docent, vt in suo loco dicetur. At pro re nostra, de qua nunc agimus hęc pręlibasse sufficiat.

Quomodo Authores modũ hunc prędestinãdi explicant.

152. Dico 1. merita, ex quorum præuisione Authores dicunt factam prædestinationem, nequeunt dici elicienda ex viribus naturæ, sed cum auxilio gratiæ.

Merita, quorum intuitu facta est prędestinatio, nequeunt dici elicienda viribus naturæ, sed ex auxilio gratię.

153. Prob. Illa prorsus debent afferi, quæ in tempore sunt à prædestinatis elicienda; & pro quibus vita ęterna, seu gloria est eis reddenda, sed hæc non eliciuntur ex viribus naturę, sed cum auxilio gratię, ergo. Maior prob. ex Rom. 2. 6. *reddet vnicuique secundum opera eius. & 2. Cor.* 5.10. nec non *Apocal.* 22.12. ista igitur, quæ præmianda sunt, præuisa mouerunt ad prædestinandum: neque de hoc est dubium. Prob. min. pro nunc (quia in proprio loco de ea loquemur) Nullum opus bonum ad salutem conferens fieri potest absque auxilio gratię, quia *ex Io:15. sine me nihil potestis facere*. Et sub eisdem verbis hęc propositio fuit definita in pluribus Concilijs *Mileuit. can. 5. Arausf. 2. c. 7. & vlt. Trid. cap. 10. & can.* 2. ab Innocentio 1. in epist. 24. 25. & 26. à Cœlestino 1. *epist. 1. cap.* 10. & hæc fuit tota concertatio S. August. cum Pelagio.

154. Dico 2. Aliqui Historici Authores, qui

tenent prędestinationem factam ex pręuisione meritorum eliciendorum cum auxilijs gratię, vt consequenter loquantur, docent ea auxilia non fore ex sui natura intrinsecè efficacia, siue phisicè, siue moraliter prædeterminantia; sed fore indifferentia, & à voluntate humana determinanda.

Consequenter loquentes authores docent auxilia esse indifferentia.

155. Prob. hæc eorum sententia. Eatenus negant prædestinationem factam sine antecedenti pręscientia meritorum, quia præiudicaretur libertati humanę; cùm enim voluntati illi diuinæ antecedenti, volenti efficaciter aliquem ad gloriam, & statuenti media efficacia pro eius consecutione, non posset prędestinatus resistere; in nullo signo, neque naturę, voluntas illius remaneret libera ad operandum oppositum. At idem argumentum vrget, si dicatur, quòd meritum præuisum est eliciendum cum auxilio gratiæ ex intrinseca sui natura efficaci; quia ei nequibit resistere voluntas humana: pluries enim in Sacro Textu hoc insinuatur. *Gen.vlt.19.* Ioseph loquens fratribus de sui venditione, quasi eos excusans, inquit, *Nolite timere; numquid Dei possumus resistere voluntati?* Psal. 75. 8. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Rom.9.19. Voluntati eius quis resistit?* Et sic si talia erunt auxilia danda, & ex meritis cum eis eliciendis, Deus, saltem de congruo, motus est ad prædestinandum, duplici modo præiudicium (inquiunt) fieret libertati, scilicet ob auxilia illa non permissura aliter facere, & ob Dei efficacem voluntatem prædestinantem; & sic duplici vinculo remaneret ligata voluntas: ideò auxilia ex se efficacia reijciunt. 2. dicunt, si ex meritis, cum talibus auxilijs ab homine eliciendis; vel ea forent omnibus hominibus conferenda, vel non: Si primum; igitur omnes homines essent prędestinati;

Ratio eorū est libertatis immunitas.

Quia voluntati efficaci Dei, & gratiæ intrinsecè efficaci resisti nequit.

Aliud argumentum pro hac sententia.

L

nati; quod & falsum, & hæreticum est: Si secundum, recurrunt omnia argumenta (infra adducenda) quæ fiunt, & olim facta fuere contra S. Augustinum de prędestinatione sine meritis; nempe, quòd non omnes habituri sint necessaria ad merendum, & ideò repræhendi, aut damnari non possent, si viderentur non merituri, cùm non viderentur habituri necessaria ad merendum: quod videretur maximè derogare bonitati diuinę, & suæ iustitiæ, dum exigeret ab homine suis viribus impossibilia; & sic à primo ad vltimum; authores isti dicere tenentur, sicut de facto dicunt, auxilia cum quibus elicienda sunt merita, quæ Deum mouerunt, saltim de congruo, ad prædestinandum, non fore illius generis ex sui intrinseca natura efficacium: sed alterius generis, nempe ex sua natura indifferentium, quæ possit homo acceptare, vel eis resistere: de quibus *Act.* 7. 51. ait Sanctus Stephanus ad Iudæos: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos*, & Prou. 1. 24. Deus Prou. 14. inquit, *quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, &c.* Et Saluator Matth. 23. 38. ait ad Iudęam. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Et alia multa sunt huiusmodi dicta in Sacro Textu, quibus innotescit (inquiunt) natura auxiliorum, quæ Deus offert hominibus, vt sanctè operentur, relinquens eos in sua libertate, vt acceptent, vel non acceptent: & Paulus Apostolus Act. 13. 46. hoc improbat Iudæis: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ*, ecce

Ducens ad inconueniens.

Spiritui sancto Iudei resistebant

Aliqua exempla scripturæ de hac resistentia.

ecce conuertimur ad Gentes, sic enim praecepit Dominus, &c.

156. Huius generis dicunt esse auxilia, quę danda erant hominibus ad exequenda merita, ex quorum pręuisione facta est prædestinatio; & hoc modo putant occurri posse ad omnia inconuenientia, quæ ex æterna prædestinatione oriri possent. Sic enim (inquiunt) obstruitur os iniqua loquentium, quòd Deus sit acceptor personarum: saluatur benignitas Dei, quòd velit omnes saluos fieri, dans omnibus necessaria media: saluatur eius iustitia, quòd renuentibus correspondere diuinis auxilijs, decreuerit supplicium, & sic *ex homine perditio eius*, & ex acceptantibus decreuerit conferre maiora, perseuerantiam finalem, & vitam ęternam.

Ob merita cum his auxilijs eliciend a dicunt factam prędestinationem.

Hoc modo saluant inconuenientia, quę torquent etiam doctos.

157. Hæc sunt præcipua dicta eorum, qui tenent prædestinationem factam ex meritorum præuisione. Quantum verò subsistant, ex Opusculo de Gratia patebit. Ego eam sententiam non sequor, quia cum S. Augustino sentio; sed eam non iudico.

CAPVT. X.

Quęnam ex his sententijs de præuisione, vel non præuisione meritorum in prædestinando, sit probabilior.

158. ADu. quòd in ijs controuersijs Theologicis, quę adhuc definitæ non sunt per Concilia Generalia, vel Prouincialia à Sancta Sede approbata; vel per ipsam Sanctam Sedem immediatè declaratę, sed Doctorum disputationi relictæ; licitum est sequi alterutram partem;

Alterutra sententia teneri potest, & quādo.

dummodo eam ſequens ſincerè, & non zelo contradicendi, ſed rationibus, & authoritatibus grauium, & Sanctorum Doctorum iudicet, & conuincat ſe innixum; & nouitates vitare velit.

159. Adu. 2. quòd quamuis de reuelatis dari non poſſint rationes euidentes, quia creduntur fide, quę *ex Hebr. 11. eſt argumentum non apparentium*: poſitis tamen, & creditis rebus reuelatis, poſſunt ex eis deduci rationes, & concluſiones, vel euidentes, vel probabiliſſimæ, & in huiuſmodi illationibus conſiſtit tota, quanta eſt Theologia, tùm ſpeculatiua, tùm practica; quia tota ex principijs fidei reuelatis dependet; at, quia Eccleſia non exiſtimauit ad ſalutem neceſſarium definire omnia, quæ diſputantur inter Theologos, probabilitates eorum diſputari permittit: Sed vtinam omnes modeſtè, ac religioſè pro veritate inuenienda id agerent: Qui enim contra faciunt, caueant diuinam iuſtitiam, quia, & otioſè nimis, ac ſcandaloſè procedunt: et quod peius eſt, ſcandalum in cartis impreſſum perpetuò permanet.

Cur Eccleſia non definierit omnes Theologicas controuerſias.

160. Adu. 3. quòd probabilitas triplex eſt; quędam intrinſeca, quædam extrinſeca, & quædam mixta. Prima eſt illa, quę oritur ex rationibus deductis, vel ex ſubſtantia, vel ex cauſis, vel ex effectibus, vel ex proprietatibus, vel ex accidentibus alicuius rei, non tamen euidentibus; alioquin non eſſet probabilitas, ſed eſſet ſcientia certa, & euidens, non admittens vllum gradum formidinis. Econtra verò probabilitas ſemper admittit gradum aliquem formidinis: quotieſcumque enim intellectus rem non cognoſcit euidenter, naturaliter formidat de eius veritate; aliquando autem magis, aliquando minus, iuxta rationum pondera, vt diffuſè de hac re locutus ſum

Probabilitatis ſpecies tres intrinſeca, extrinſeca, & alia mixta ex vtraque.

Intrinſeca, quæ

Probabilitas ſemper gradum aliquem formidinis admittit.

sum in tomo 2 *super tertium sent.disp.11.per totam.*

161. Probabilitas extrinseca est illa, quæ oritur ab authoritate Doctorum, quæ maximi ponderis est, si Authores sunt insignes, & præsertim, si sint SS.Patres, aut Ecclesiæ Doctores; nam *Ecclesiastici* 8.11.habetur. *Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à Patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum*. Et Patres Concilij Vienn. vt habetur *in Clem. de summa Trinit. &c.* §. *ad hoc*, decreuerunt se tenere, tamquam probabiliorem sententiam illam, quòd etiam paruulis in Baptismo infundantur virtutes habituales, & gratia; & dicunt, *tenere hanc sententiam, tamquam probabiliorem, & dictis sanctorum, ac doctorum magis consonam, & concordem*. Immò, quod maximè notandum est, in Concilijs Generalibus antequam ad definitionem de fide deueniretur, semper adducta sunt priùs dicta Sanctorum Patrum de re illa, quę tractabatur; deindè Patres Concilij Spiritu Sancto afflati decreuerunt de fide id, quod ex solis Patrum dictis antea erat probabile. Legatur præ cæteris Ephesinum, & si libet quodcumque ex 18.Concilijs Generalibus.

Extrinseca probabilitas ex Authoritate Doctorum pendet.

Praxis Conciliorum est, vt videatur quid Sancti Patres dixerint de re, quę discutitur.

162. Dixi, probabilitatem extrinsecam magnifaciendam, si oritur ex concordia Doctorum insignium, & maximè Sanctorum Patrum, & Ecclesię Doctorum ad excludendam praxim quamdam, quam, nedum in scholasticis, & moralibus, sed in canonicis, & ciuilibus doctrinis teneri ab aliquibus cum stomacho cerno; qui ad conclusionem aliquam probandam, nulla textus habita ratione, farragine Doctorum, vel incognitorum, vel paruæ entitatis, vel paulò ante defunctorum vtuntur, qui cùm viuerent in nullo pretio ha-

Qui nam Doctores faciunt probabilitatē extrinsecā.

habebantur. Hi quidem nullam se solis, quoad me, faciunt probabilitatem: maximè si nouum aliquod ex proprio cerebro contrarium senioribus, & antiquis Patribus, *in quibus est sapientia*, ex Ecclesiastico, in medium proferunt, ac tenaciter defendunt.

Probabilitas mixta.

163. Probabilitas tandem mixta, illa est, quę ex rationibus Patrum, Sanctorum, & Doctorum insignium, ac seniorum, & in tali Ecclesiæ conceptu existentium authoritatibus coalescit: nec sufficere arbitror ad maximam probabilitatem ex parte Doctorum, si Doctores sint vnius tantùm nationis, vel scholæ, aut instituti; quia tales sæpènumerò, vel iurant in verbo magistri, vel propriæ seruiunt passioni: sed quoad me puto, quòd debent esse Doctores diuersarum nationum, diuersorum institutorum, & scholarum; hi certè magnam, ac sufficientem faciunt probabilitatem; tum quia, vt ait Philosophus, *communitas difficilè fallitur*; tum etiam, quia vnus ex octo locis Theologicis, quibus independenter à fide probatur veritas nostrę fidei *est concordia diuersorum Doctorum diuersimodè dispositorum, & multum inter se distantium*. Quòd autem hæc mixta ex rationibus, & ex prefatis insignium Doctorum authoribus sit digna, maxima, & sequenda probabilitas, ex praxi Ecclesiæ, quæ decipi non potest, probatur.

Doctores vnius instituti, vel scholę tantùm non faciunt maximam probabilitatem.

164. In omnibus Concilijs id practicatum videtur, quòd ad inueniendas, & firmandas veritates rerum, de quibus erat controuersia, Conciliorum Patres, vel se solis, vel adhibitis etiam Theologis diuersarum regionum primò diligēter inuestigarunt, si veritates illæ in Sacra Scriptura explicitę continebantur, vel saltem ex explicitis inferri

Ex diuersarum nationum Doctoribus desumenda.

inferri possent; deindè Sanctorum Patrum, & insignium, ac veterum Doctorum euoluerunt libros, si in eis reperirentur; & facta tàm Scripturarum, quàm Patrum, & veterum Doctorum collatione, Deo ad sic, vel sic dicendum inspirante, facta sunt decreta. Et hæc est in huiusmodi agendis regula ex Can. *De libellis dist.* 20. estque Leonis 4. dicentis, quòd dum veritas alicuius doctrinæ inquiritur, *Si in Sacra Scriptura non inueniatur, ad canones Conciliorum, & decreta Romanorum Pontificum est recurrendum; & si in eis non inueniatur, ad dicta Sanctorum Doctorum Hieronymi, Augustini, Isidori, & cæterorum Doctorum habeatur recursus.*

Ordo inquirendi veritatem in Concilijs.

Hęc est Leonis 4. regula, vt ad Patrum dicta recurratur

165. Idem pręceperat ante illum Innoc. primus, & habetur in Can. *De quibus* eadem *dist.* 20. & vt huic argumento valdè necessario pro omnis materiæ resolutione in eligendis opinionibus finem aliquando imponam, si aliorum acta Conciliorum pigeat reuoluere, libeat Concilij Trident. acta semel inspicere in Historicis ea referentibus. Omnium enim primò Theologi, & Canonistæ respectiuè, priuatim pro materijs studentes, ex Sacra Scriptura, & alijs Concilijs, ex Sanctis Patribus, alijsque pręclaris Doctoribus rationes decernendorum eruerunt; deinde in Congregationibus adunati eas discusserunt: postea conclusiones ab ipsis firmatas, Patribus Concilijs pręsentauerunt. Isti verò pręuio semper solemni sacrificio, ad suffragandum coeuntes, Deo inspirante, quod eis placuit decreuerunt. Doctorum ergo illorum regulæ, rationes, & Patrum dicta fuere. His positis

Idem docuerat Innoc. primus

Hęc praxis Conciliorũ

Ex Concilij Trid. actis probatur.

156. Dico igitur resolutè: Sententia docens prædestinationem sanctorum ad gloriam, factam

fuisse,

Sententia docens Prædestinationem absque præuisione meritorum est longè probabilior, quàm opposita.

fuisse, absque præuisione meritorum, sed ex sola gratia, & misericordia Dei discernentis illos à massa damnata ex Adæ peccato, est longè probabilior ea, quæ asserit factam ex meritorum præuisione.

Est innixa probabilitati mixtę.

167. Prob. Sententia illa fundata est in probabilitate mixta ex rationibus ex Sacra Scriptura erutis; & in dictis, seu authoritatibus sanctorum Patrum, & Doctorum veterum diuersarum nationum, Academiarum, seu hominum diuersimodè dispositorum, & multum inter se loco, & tempore distantium, & de ea non simplici modo, & quasi obiter loquentium, sed acriter pro ea certantium; qualis non est sententia opposita, vt mox patebit: ergo.

Primò, intrinsecę.

Rationes ex S. Scriptura desũptæ sunt.

168. Probantur singula. Primum scilicet, quòd fundetur in rationibus ex Sacra Scriptura erutis iam patuit *in cap. 6. & 7.* vbi cum S. Augustino loca scripturæ adducta sunt. Primus est *ex Rom. 9. 10.* vbi Apostolus docens, quòd ex eodem concubitu Rebeccæ cum Isaac geniti sunt Esau, & Iacob; & tamen dictum est; *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, & non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et quia hoc videbatur Apostolo arduum, ac difficile, inquit. *Quid ergo dicemus, numquid iniquitas apud Deum?* Absit. Et quasi augens difficultatem subdit. *Moisi enim dixit, miserebor, cui misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur*

Locus Pauli ad Rom. 9.

nomen meum in vniuersa terra. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Postea mouet contra se difficultatem, quæ fieri poterat, hodieque fit. *Dicis itaque mihi. Quid adbuc quæritur; nam voluntati eius quis resistit?* Et respondet. *O homo tu quis es; qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum; vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, &c.* ostendens, & ex Iudæis, & ex Gentibus electos esse ad gloriam. Hic autem locus nimis clarus est; & quòd de massa perditionis Deus ex misericordia multos elegit ad gloriam; & quòd non ex præuisis operibus; &, quòd non sit iniquitas apud Deum, qui Dominus est misericors, sed etiam iustus. Mirabilis quidem locus iste est, sed Pauli, organi Spiritus Sancti est, & ipsemet profunditatem similis mysterij considerans in c.11. 35. exclamat dicens. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incompræhensibilia sunt indicia eius, & inuestigabiles viæ eius!*

Paulus agnoscit difficultatem suæ sententiæ, sed hãc tenet.

Locus valde clarus.

Paulus recurrit ad secretum Dei iudicium in hac re.

169. Secundus Sacræ Scripturæ locus, ex quo desumitur secunda ratio de Prædestinatione sine præuisis meritis, est ille Ephes. 1. 4. *elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius in Charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*; vbi notat S. Augustinus, quòd non dicit elegit nos sanctos, sed *vt essemus sancti*; idest, vt faceret nos sanctos, quod consequitur ad electionem.

[Secundus Scripturæ locus pro hac sententia.

Tertius Scripturę locus pro eadem.

170. Tertius S.Scripturæ locus, ex quo desumitur tertia ratio pro eadem sententia, habetur in 1.Cor.4.7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Si igitur ex meritis, poterit prędestinatus gloriari, quòd non fuerit sibi decreta prædestinatio ex dono, & gratia Dei; sed erat sibi ex iustitia debita ob præuisa merita.

Quartus Scripturæ locus pro eadem.

171. Quartus locus pro hac sententia sumitur ex Marc.10.14.Saluator ait, *sinite paruulos venire ad me, talium enim est regnum Cælorum.* Paruuli enim regenerati per baptismum, si moriuntur, saluantur; & tamen sine meritis; igitur sine eorum preuisione erant prędestinati. Quòd autem pueri baptizati decedentes ante vsum rationis, seu annos discretionis, gloriam statim in Cœlo obtineant, definitum est in Concilio Tridentino sess.5.de pecc.orig. §.5.vbi dicitur,quòd *baptizati veterem hominem exuentes, & nouum qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, & Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, itaut nihil prorsus eos ab ingressu Cæli remoretur.*

Paruuli baptizati saluantur si moriuntur.

Quintus Sacræ Scripturę locus pro ea sententia.

172. Quintus locus S.Scripturæ est ex Rom.11.6. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia. Quid ergo quod quærebat Israel, non est consecutus, electio autem consecuta est; cæteri verò excæcati sunt.* Quod confirmatur ex Ephes.2.8. *Gratia estis saluati per fidem. Et hoc non ex nobis; sed donum Dei est, non ex operibus, ne quis glorietur.* At maxima, & omnium potissima in homines Dei gratia est, quòd electi sint ad gloriam, & ex ista maxima pendent omnes alię, quæ pertinent ad seriem salutis; nam ait idem

Maxima gratia est prędestinatio; igitur sine meritis.

idem Apostolus Rom.8. 30. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit;* igitur omnia hæc pendent à gratia prædestinationis; quia volens efficaciter finem, vult media ad illum: & sic non ex operum præuisione; alioquin non esset gratia.

173. Quo verò ad probabilitatem extrinsecam huius sententiæ de Prædestinatione ad gloriam, sine prçuisione meritorum, notandum est priùs documentum S.Vincentij Lirinensis, qui *in Commonitorio p.1.c.3.* inquit, *quòd in illis rebus, quæ in Sacra Scriptura non sunt clarè expressæ, sed remanent dubiæ, antiquitatem, & consensionem sequi debemus; antiquitatem quidem, si ab ijs sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos, maiores, ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel penè omnium sacerdotum pariter, & magistrorum definitiones, sententiasque sectemur;* quod quidem documentum valdè conuenit cum eo, quod tradit Spiritus Sanctus, à nobis *in 2. notabili* allato, *Narrationem Patrum tuorum ne præterea,&c.* — Probabilitas extrinseca pro hac sententia.

174. Quot autem, & qualibus vallata sit authorum dictis hæc Sancti Augustini sententia, in huius Opusculi vestibulo aperuimus: Omnes siquidem doctrinam Augustini de Gratia, & libero arbitrio mirificè exaltant: inter omnes autem gratias, de quibus Deus dignatur homines honorare, & exaltare, hæc prædestinationis ad vitam æternam, summa omnium est; tum quia est de obtinenda perpetua Dei visione, & fruitione; tum etiam quia omnes aliæ, quç in via obtinentur, vt filiationis Dei, hæredis eiusdem, & cohæredis Christi, ad eam consequuntur; & pro hac — Extrinseca etiam maxima est, & ostenditur.

docenda multum laborauit Augustinus, vt *in libro de Prædestinatione Sanctorum, in libro de bono Perseuerantiæ*, & *in libro de Corrept. & Gratia* videre est; hunc enim postremum scripsit, vt primos defenderet, contra quos Faustus, & Massilienses obloquebantur; quia prędestinationem ab æterno factam absque meritorum præscientia docuerat, sed à Dei voluntate, ex misericordia secernente quosdam à massa perditionis, cęteros autem in ea relinquente. Maximam siquidem, sicut reuera est, gratiam eam existimabat S. Augustinus. Imò pro hac Massiliensium contra Augustinum murmuratione, quam à Sanctis Prospero, & Hilario audierat Cęlestinus Papa, scripsit ad Episcopos Galliæ grauem illam epistolam, & admiratione plenam (cuius particulam in proemio retulimus) quòd non retunderent eorum audaciam, qui doctrinam carpebant Augustini à se, suisque prędecessoribus commendatam, &c. Hęc obiter volui dicere, vt tacitæ alicuius respondeam obiectioni, si diceret; quòd Pontifices, & Authores graues, & sancti commendarunt Augustini doctrinam de Gratia, & non descenderūt ad particulam de prędestinatione; hic enim deciperetur; quia hæc est prima, & maxima gratia; & de hac locutus est Cælestinus. Hanc in indiuiduo secuti sunt Illustres Scholastici, & Sancti Ecclesiæ Doctores.

Prędestinatio ad gloriam, summa gratia est.

Pro hac laborauit multum S. August.

Pro hac defendenda Cælestinus scripsit ad Episcopos Gallię

Tacitę obiectioni respondet Author.

275. Cùm ergo viri præclari, ac doctissimi omnis status, & conditionis, & in Ecclesia, tàm dignitate, quàm scientia sublimes, in proemio relati, eam sententiam approbent; eamque secuti sint, ac sequantur, vt Summi Pontifices, Sancti plures, Ecclesiæ Doctores, Thomas, ac Bonauentura; Episcopi multi, Concilia Prouincialia appro-

probata, Religiones plures, Academiæ celebres in toto orbe, cæterique magni nominis, non moderni (quos non retuli) sed quatuor, aut quinque sæculorum Theologi, Magister sententiarum, Alexander Alensis, Albertus Magnus, Scotus, alijque eorum temporum famigerati magistri; non video quis alius extrinsecę probabilitatis gradus possit sententiæ huic accedere, quin dicatur omnibus numeris absolutè probabilissima, vnoque tantùm gradu distans ab euidentia, si de secretis Dei consilijs dari posset in via.

Quinam eam sequantur.


176. Scio aliquas contra eam, ab aliter dispositis, renouari difficultates, ante duodecim sæcula à Fausto, cæterísque Massiliensibus euulgatas, testibus Prospero, & Hilario in Epistolis ad Augustinum: & ab eo, quantum sibi datum est, solutas. Ingenuè tamen fassus est sanctus, pius, humilisque Doctor, quòd in aliqua earum cum Paulo clamandum est, *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Et monet legentem, vt caueat præcipitium; & si non acquiescit ad ea, quæ ipse docet, *quærat doctiorem, sed caueat, nè inueniat præsumptiorem.*

Omni gradu probabilitatis fulcita est.

Augustini humilitas.

177. Ego verò in his, alijsque Philosophiæ, ac Theologię (quibus operam, licet inutiliter, dedi) difficultatibus, memor fui semper cuiusdam Aristotelis documenti, *quòd imbecillitas ingenij est, propter apparentem rationem, sensatam, ac fundatam relinquere probationem.* Hic est pro me præsens casus; & quoniam oppositam sententiam non sperno, sequens Caput adijcio.

Arist. sapiens dictū de sequendis sententijs doctrinalibus.



CA-

CAPVT XI.

Quanta sit probabilitas sententiæ docentis prædestinationem factam esse ex meritis præuisis.

Authoris sincera intentio aperitur.

178. ADu. quòd hęc sententia suos habet Patronos, qui gloriantur etiam de probabilitate mixta rationibus ex Sacra Scriptura deductis, & authoritatibus Sanctorum, ac Doctorum veterum, & modernorum, immò, & ipsius S. Augustini, & aliquorum ipsiusmet discipulorum: Placuit autem mihi vtriusque sententiæ fundamenta sincerè, ac fideliter referre. Cùm enim hęc etiam publicè in Academijs, & priuatis scholis doceatur, vt quilibet suę studiosę satisfaciat curiositati, possitque eam, ad quam se videt ex ratione inclinatum, sequi, & habeat fundamentum, cui innitatur; etiamsi Theologicæ professionis non sit, vt valeat rationum pondera discutere,

Probabilitas intrinseca, quòd prędest. facta sit ex prçuisis meritis.

179. Dico ergo 1. Probabilitas intrinseca, idest, rationibus ex Sacra Scriptura deductis, in quibus fundatur sententia, quòd Prędestinatio facta sit ex præuisione meritorum, in sequentibus scripturę locis per eos consistit.

Primus locus ex S. Scriptura, quòd reddet Deus cuique iuxta opera sua.

Primus locus est, quòd in vtroque Testamento habetur, Deum redditurum pręmium, aut supplicium vnicuique iuxta opera eorum. *Psal.16.12. semel locutus est Deus, duo hæc audiui; quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique secundum opera sua*. Iob.34.11.*opus hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis*. Rom.2.6. *Reddet vnicuique secundum opera eius*. Et Gal. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet*.

tet. Tim. 4. 6. *Bonum certamen certaui, &c. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex: non solùm autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.* Si ergo pro meritis Deus daturus est præmia, & supplicia, sic decreuit facere. At hoc decretum est prædestinatio ab ęterno facta; & sic ex præuisis cuiusque meritis, ac demeritis.

180. Secundus locus ex S. Scriptura desumptus est de Dei voluntate, ac benignitate volente omnes saluos facere; at non faciente, quia non omnes seruant eius pręcepta; & proinde, quia aliqui pręuisi sunt obseruaturi, alij non, illos, non istos prædestinauit ad gloriam. Illa autem generalis voluntas probatur ex vtroque Testamento. Isaiæ 5.1. dicit Deus. *Nunc ergo habitatores Ierusalem, & viri Iuda iudicate inter me, & vineam meam, quid est, quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci ei?* Item Ezechielis 18.23. *Numquid voluntatis meæ est mors impij dicit Deus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?* Et infra. *Nolo mortem peccatoris dicit Dominus Deus: conuertimini, & viuite.*

Secundus Script. locus, quod Deus vult omnes saluare, sed multi impediunt.

181. Ex nouo Testamento Matth. 18. 14. Saluator ait. *Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in Cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis.* Et in cap. 23. dixerat. *Ierusalem, Ierusalem, quę occidis Prophetas, & lapidas eos, qui missi sunt ad te. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Celeberrimus autem, & clarior omnibus est Pauli locus Tim. 5. *Hoc enim bonũ est, & acceptum coram saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ex quibus concluditur, quòd Deus, quantum est ex se, non

Ex vtroque Testamento

vult iſtos tantùm, & non illos, ſaluos, ſed omnes. At quia vidit aliquos tantùm, & non omnes ſeruaturos legem, ideò decreuit illos saluare, non iſtos. Alia Scripturę loca pro hac ſententia non valui inuenire.

182. Dico 2. Hæc ſententia de Prædeſtinatione ex meritorum præuiſione, innixa eſt etiam probabilitati extrinſecæ, ſcilicet authoritatibus Sanctorum Patrum, & aliorum, & ſic mixta gaudet probabilitate.

Extrinſeca probabilitas ſententiæ, quòd fiat ex meritis prçuiſis.

183. Prob. Sancti Patres, quorum authoritates adduximus in capite octauo hanc ſententiam ſequuntur; & ſunt, S. Ioannes Chriſoſtomus, Origenes, Theodoretus, Oecumenius, ac Theofilatus ex Græcis: ex Latinis verò, Sancti Ambroſius, & Hieronymus: ex Gallis multi, qui alio modo ſentientes contra Auguſtinum circa hoc inſurrexerunt; & Concilium Valentinum, vt ibi.

Authores Sanct., qui eam ſequũtur.

184. Immò Authores huius ſententiæ aſſerunt S. Auguſtinum idem aliquando tenuiſſe. Nam in lib. *de Gratia, & libero arbit. c. 6.* contra Pelagium, & ſequaces loquens, diſcutiens illud Apoſtoli, *bonum certamen certaui, &c. ideò repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ &c.* ait, *cui redderet coronam iuſtus iudex, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? & quomodo eſſet iſta corona iuſtitiæ niſi præceſſiſſet gratia, quæ iuſtificat impium? Quomodo iſta debita redderetur, niſi prius illa gratuita donaretur?* Et poſtea ad rem noſtram de Pelagianis loquens, qui docebant ex meritorum prçuiſione factam prædeſtinationem, S. Auguſt. ſubdit. *Si merita noſtra ſic intelligerent, vt etiam ipſa dona Dei eſſe cognoſcerent, non eſſet reprobanda iſta ſententia. Quoniam verò merita humana ſic prædicant, vt ea ex ſemetipſo habere hominem dicant, prorſus rectiſſimè reſpon-*

Et dicunt S. Auguſt. idem docuiſſe aliquando.

S. Auguſt. dictum pro hac ſententia.

respondet Apostolus, quis te discernit? 2. idem S. Augustinus *in lib. 1. ad Simplic. q. 2.* hæc habet de Iacob, & Esau, *electionem ex proposito, non propositum ex electione manere, idest non quia Deus inuenit bona opera in hominibus, quæ eligat, ideò manere propositum iustificandi: sed quia illud manet, vt iustificet credentes; ideò inuenire opera, quæ iam eligat ad regnum Cælorum*: Et post aliqua. *Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo qui reijcitur, vnde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia.* Alia S. Augustini dicta pro eadem.

185. 3. Idem S. August. in lib. de Gratia, & libero arb. c. 8. mouet hanc quæstionem. *Si vita æterna bonis operibus redditur sicut dicit scriptura, quoniam Deus reddet vnicuique secundum opera eius: quomodo gratia est vita æterna cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur?* & sibimet respondet. *Ista quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolui; nisi intelligamus, & ipsa bona opera nostra, quibus redditur æterna vita ad Dei gratiam pertinere. Itaque si vita bona nostra nihil aliud est, quam Dei gratia; sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est. Et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur tantummodo gratia est; hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tamquam merces pro iustitia, vt verum sit, quoniam reddet vnicuique iuxta opera eius.* Idem S. August. in lib. 83. qq. quæst. 68. post medium, ait, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Sed hæc Dei voluntas, iniusta esse non potest; venit enim de occultissimis meritis eorum.* Sibi obijcit S. August. & soluit pro hac sententia. Videtur difficilis locus hic.

186. Preter hæc S. August. loca, Authores huius sententiç alia discipulorum Augustino coe-

taneorum adducunt. S.Prosper *in lib.respons. ad Gallorum capitula in cap.* 3. habet. *Quòd ergo in hec prolapsi mala sine correptione pœnitentiæ defecerunt; non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt: sed ideò prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præsciti sunt*: et sic ex demeritis preuisis non fuerunt prædestinati. Idem dicit *in cap.7. & 12.* & proindè electio quoque ad gloriam ex meritis facta dicenda est. Et confirmare conantur ex eodem Sancto *in lib.de vocatione Gentium* c. 35. vbi ait. *Nec per electionis propositum liberi arbitrij deuotio relaxatur, cum implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum, & qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum merita coronentur*. Ex quibus deducunt, quòd si pro meritis datur corona glorię, ex eorum præscientia sit destinata.

S.Prosper pro ea sententia.

Pluries S. Prosper.

187. Idem S. Prosper lib.2.de Vocat. Gent. cap.10.aliàs 35. ait, *frustra dicitur quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur, vt electi sint*. At in epistola ad Augustinum propè finem dicit, quòd hæc sententia, quam cœpit oppugnare Augustinus, erat communis omnibus antiquis Patribus, & petit ab eo solutionem argumenti, quod ex eius sententia deducebatur: sic autem scribit, *illud etiam argumentum, qualiter diluatur quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres, quod retractatis priorum opinionibus pene omnium par inuenitur, & vna sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam Dei receperunt, vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem*

Dicit Prosper, quòd hęc sententia ante Augustinum erat communis.

vniuscuiusque prauiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate præscierit; & sic antiquorum Patrum doctrinis ante Augustinum vallata videtur manere hęc sententia.

188. S. Fulgentius non obscurè videtur eam tenuisse *in libro* 1. *ad Monimum cap.* 24. inquiens, *Deus prædestinauit ad Regnum, quos ad se præsciuit misericordiæ prauenientis auxilio reddituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio remansuros*.

S. Fulgentius affertur pro eadem.

189. Alios Authores ante vndecimum seculum non video à sequacibus huius sententiæ adduci, sed nonnullos posteriores, nempè Guglielmum de Rubione in primo sententiarum *dist.* 40. *q.* 1. *art.* 1. & 2. *conclus.* 3. Ioannem de Bononia *Opusc. de Prædest. part.* 1. & *parte* 2. post sextam opinionem. Catarinum *in Opusc. de Prædestin. lib.* 1. *cap. vlt.* & *lib.* 3. *c.* 1. & 2. Turrianum *in dogmatico de electione*. Ex Patribus Societatis, incipiendo à primo, innumeros ferè referunt, à quorum relatione abstineo, tum quia maior ferè eorum pars tenet oppositam, tum etiam quia, & moderni sunt, quamuis docti; & quia argumenta noua, aut validiora ad hanc sententiam fulciendam adducere non video.

Alios Authores non adducunt pro sententia.

Cur modernos non refert Author.

190. Concludunt ergo huius sententię Autores, quòd ea gaudere debet titulo probabilis mixtæ probabilitatis, ex rationibus nempè à Sacra Scriptura desumptis, & ex Patrum, ac Doctorum Authoritatibus.

Conclusio eorum, quòd hęc sententia de pręuisione meritorum omni gaudet probabilitate.

191. Adducunt prætereà argumenta ducentia ad impossibile, nempè ad absurda plura. Primò, quòd si hoc modo prædicatur prędestinatio, homines ad ignauiam, & pigritiam alliciuntur; dicent enim, si sumus prædestinati, saluabimur, etsi nihil operemur; quia decretum Dei infallibile est,

Alia adducunt argumenta; quæ ducunt ad inconueniens.

est, & suum effectum infallibiliter obtinebit. 2. frustranea esset prædicatio, & correptio malorum operum, quæ facerent prædestinati; nam etiam si eis non prædicaretur, & de pessimis operibus non corriperentur, adhuc ex speciali Dei prouidentia, vt firmum maneret propositum, & infallibile decretum, emendarentur, & finaliter iusti reperirentur, & saluarentur; & sic etiam Christi prædicatio, tàm pro prædestinatis, quàm pro reprobis frustranea fuisset: priores enim ea non indiguissent; posteriores verò fuissent incapaces. In sententia contraria non videtur æquè bene saluari benignitas, & misericordia Dei, qui vult omnes saluos fieri; neque videtur satisfieri curiositati hominum de acceptione personarum; quòd aliqui eligantur; alij despiciantur; Ideò sequens appono caput, vt difficultates istę ponderentur, & soluantur, si fieri potest.

Multa, sed antiqua.

CAPVT XII.

In quo resoluitur quæstio pro S. Augustino, & soluuntur argumenta contraria.

192. PErpensis ergo rationibus, & authoritatibus pro vtraque sententia hucusque allatis, existimo sententiam S. Augustini, quòd nempè prædestinatio ad gloriam facta sit ex mera Dei misericordia, qua discreuit ab ęterno multos à massa damnata per Adæ peccatum, absque præuisione meritorum; sed cum prędestinatione ad gratiam, & merita pro consecutione eiusdem gloriæ tamquam mercedis, & coronæ, seu brauij, ac præmij, esse longè, latèque probabiliorem, quàm sit opposita.

Author censet August. sententiam tenendam.

193. Prob.

193. Prob.hæc assertio. Rationes ex Sac. Scriptura desumptæ pro hac sententia, vt consideranti patet, sunt magis claræ, & magis exprimentes rem hanc, quàm illæ, quę adducuntur ad oppositum, licet non euidentes: si enim tales essent, frustra dixisset Apostolus; *ò homo tù quis es, vt respondeas Deo? O altitudo diuitiarum Sapientiæ, & scientiæ Dei! incompræhensibilia sunt indicia eius, & inuestigabiles viæ eius: quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Rom. 11. 34. quia si rationes essent euidentes, iam iudicia Dei essent compræhensibilia, & viæ vestigabiles in hac materia, & cognosceretur sensus Domini clarissimè, si diceretur, Deus prædestinauit hos, quia præuidit hos benè vsuros libero arbitrio, & sanctè operaturos obseruando Dei legem, & abstinendo à peccatis, & perseueraturos immaculatos vsque ad exitum vitę: alios verò non prædestinauit, quia pręuidit eos non benè vsuros libero arbitrio, nec sanctè operaturos, & vsque ad vitæ finem non perseueraturos in gratia.

Quia rationes ex S. Scriptura desumptę clariores sunt.

Et indicia Dei sunt incompręhésibilia.

194. Quo verò ad probabilitatem extrinsecam, vt dixi *in cap.* 10. non video, an dari possit maior, ac validior, tàm ratione personarum, & Academiarum, & ipsius primi Authoris de eadem non simpliciter loquentis, & vt dicitur obiter (sicut alij Patres eo priores aliter sentientes, vt cum eodem Augustino infra dicam) sed disputantis, & tot libros de ea implentis, acriterque illam defendentis; tàm etiam ratione temporis, ex quo sententia hęc cępit doceri, & perseuerauit; quam primarij Scholastici, etsi diuersarum scholarum institutores, vt S. Thomas, & Scotus amplexati sunt. Si autem huic probabilitati (qua credo, quòd maior dari nequeat) comparetur pro-

Extrinseca probabilitas maxima

Comparata oppositæ maior est.

probabilitas oppositæ sententiæ, qualiscumque illa sit, quam in suo statu relinquo, exigua, tenuisque mihi videtur.

195. Addendum præterea, quòd magnum, immò maximum affert pondus, totalemque probabilitatem, ita vt nullum ferè gradum formidinis in ea relinquat, commendatio doctrinę S. Augustini in materia de gratia toties à Sancta Sede Apostolica commendata, vt in proemio huius Opusculi legi potest. Prędestinatio autem etiam in sententia opposita negari non potest, quòd pertineat ad gratiam: Authores enim huius, vt à Pelagianis discrepent, docent Prædestinationem factam ex meritis pręuisis ex gratię adiutorio eliciendis, & ex gratia æternæ vitę pręmio coronandis: Et sic ad gratię materiam pertinet Prædestinatio.

Sentent. S. August. laudata à Pontificibus.

196. Immò quod notatu dignum est, Sancti Prosper, & Hilarius, nedum ad S. Augustinum, sed ad Sanctum Papam Cœlestinum scripserunt, quòd quidam S. Augustinum carpebant de eius doctrina circa prædestinationem sine meritis, quòd esset noua, & dura, ac plurium inconuenientium causa: Et Cœlestinus scripsit ad Episcopos Galliæ (vt in proemio, & *in cap.* 10. dixi) admirans, quòd tales homines non compescerent; laudans S. Doctorem de vitæ, ac doctrinæ bonitate. Non video, quid ampliùs requiratur ad summum gradum probabilitatis huius sententiæ: Sola Ecclesiæ definitio deficit, ne possit ampliùs vllo modò impugnari.

Cœlestinus defendit in ea August.

297. Restat modò, vt soluamus argumenta, quæ contra eam militare videntur. Sed priùs aduerto, quòd, cùm neque Apostolo, neque Augustino, alioue doctore maior, aut ęqualis, vel pro-

Difficultates soluuntur.

proximus in doctrina ego esse prętendam, non puto adęquatè, me posse omnibus argumentis satisfacere, cùm nec ipsemet Augustinus eis pro omnium captu satisfecisse se declaret, & protestetur, rem esse difficilem, & cum Paulo clamandum, *O altitudo diuitiarum, &c.* Sed pro viribus ex Augustini, & sequacium dictis, satisfaciam: infra verò in proprio capite aliquas S. Augustini regulas, & documenta adducam, de modis loquendi, ac prædicandi de Prædestinatione.

Authoris modestia.

198. Ad primum ergo argum. ex S. Scriptura desumptum, & in cap. præcedenti adductum, de iustitia Dei reddituri in die iudicij *vnicuiq; iuxta opera sua*; Resp. dicendum sic esse, & de fide hoc esse, quia, cùm Deus prædestinauit homines, decreuit etiam, vt ipsi opera meritoria operentur proportionata mensurę gloriæ, ad quam sunt prædestinati, & sic iuxta merita confert Deus gradus gloriæ. At indè non sequitur, quòd merita illa præuisa sint causa prædestinationis, sed econtra, ait Augustinus, Prędestinatio est causa omnis meriti in prædestinatis; & sic etiam respondetur ad illud Pauli, *Bonum certamen certaui, &c. ideò reposita est mihi corona iustitiæ*. Ipse enim in suis meritis Dei misericordiam exaltat, inquiens, *Gratia Dei sum id, quod sum, & misericordiam consequutus à Domino, vt sim fidelis. Quis te discernit? Quid habes, quòd non accepisti?* & alia plura, quæ adducam *in Opusc. de Gratia*.

Reddendū cuilibet iuxta opera, quia opera etiam sunt prędestinata.

Prędestinatio est causa omnis meriti.

199. Ad secundum locum, quòd Deus non vult mortem peccatoris, & quòd facit viuere suæ, quod potest facere, & tamen non conuertitur ad pęnitentiam, &c. *vt in cap. præcedenti*, Resp. salua pace, non esse ad rem, quia tangit materiam reprobationis, quę vt in suo loco dicam, sit ex

Ad aliud, quòd Deus non vult mortem peccatoris.

Non est ad rem, quia loquitur de reprobatione.

præuisione demeritorum, siue originalis, vt in paruulis cum illo decedentibus, siue cum eo, & actualibus, vt in adultis Paganis, & Iudęis, siue ex solis proprijs actualibus, vt in solutis ab originali; quia reprobatio procedit ex iustitia: nos autem loquimur de prædestinatione, quæ procedit ex misericordia, seu gratia. Ideò omnibus ijs authoritatibus, quæ de prędestinatione non loquuntur, negatur consequentia, quia ab ijs locis legitimè nequit deduci; nisi argumento à pari, quòd sicut Deus decreuit supplicium ex pręuisione demeritorum, & ideò exprobat impijs, quòd non Dei, sed sua voluntate tales sint: ita dicendum de prędestinatione, quòd ex meritis facta sit; sed statim assignaretur disparitas, quia, vt dixi, in primo casu procedit iustitia; in secundo misericordia.

Ad alia argumenta de probabilitate extrinseca.

200. Ad primum argumentum secundæ conclusionis de probabilitate extrinseca, Cùm multi Patres, etiam Augustino priores, docuerint fieri ex meritis, vt ipsimet Augustini discipuli Prosper, & Hilarius id rescripserint Augustino (sicut supra retulimus) quòd scilicet Massilienses dicebant, Patres docuisse contrariam sententiam, Resp. cum eodem Augustino, quòd quidam sancti obiter id dixerunt, & de hac sententia non disputarunt. Hæc sunt Augustini verba *in lib. 1. de Prędest. SS.* cap. 14. *Quid igitur opus est, vt eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis (Pelagiana scilicet) oriretur, non habuerunt necessitatem de hac difficili ad soluendum quæstione versari, quod proculdubio facerent, si talibus respondere cogerentur. Vndè factum est, vt de gratia Dei, quid sentirent, breuiter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent: immorarentur*

Patres ante August. obiter de hac re locuti sunt, nec de ea disputarunt, ait August.

verò

verò in eis, quæ aduersus alios inimicos Ecclesiæ disputabant, & in exortationibus ad quascumque virtutes, quibus Deo viuo, & vero pro adipiscenda vita æterna, & vera fælicitate seruitur, frequentationibus autem orationum apparebat simpliciter Dei gratia quid valeret. Sed qui sententijs tractatorum instrui nolunt, oportet, vt istum librum Sapientiæ, vbi legitur, raptus est, nè malitia mutaret intellectum eius omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sibi eum anteposuerunt etiam temporibus proximis Apostolorum egregij tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi diuinum testimonium crediderunt. Deindè adducit doctrinam Sancti Cipriani, qui locum istum, *raptus est*, in solam Dei gratiam refundit. Hic autem est effectus prædestinationis, vt scilicet non permittatur prędestinatus viuere vsque ad tempus, in quo peccare posset finaliter.

Ad alia Ecclesiæ necessaria cōtra eius hostes attendebant antiqui Patres.

201. Hęc ergo est Augustini responsio: licet alij Patres aliter senserint de prędestinatione, nempè ex meritis, non multum refert; quia de ea non disputarunt, sed obiter aliquid dixerunt; quia de alijs rebus disputarunt; & de virtutibus, quibus ęterna acquiritur vita nauiter egerunt; quòd si de prædestinatione tractassent, debuissent locum illum sapientiæ præ oculis habere, vt fecit S. Ciprianus, & sic agnouissent, quòd non ex meritis præuisis, sed ex Dei gratia, & misericordia facta est prędestinatio; alioquin Deus non raperet prædestinatum ne caderet finaliter, sed relinqueret eum cadere, & ex demerito illo ipsum damnaret.

Adducit August. locum S. Cipriani.

202. Ad loca, quæ adducuntur ex Augustino, Resp. ad primum vbi dicit, quòd si Pelagius doceret prędestinationem factam fuisse ex

Ad loca ipsius Augustini.

Ad primũ, quòd non improbat, non tamen ſequitur, ſed dicit ſo re minus malum pro Pelagio.

meritis præuiſis cum auxilio gratiæ eliciendis, *non eſſet reprobanda hæc doctrina*, concedo, quia ſaltem minus malum, ſeu aliquod bonum docuiſſet; neque ego reprobo, quia Eccleſia non reprobat: ſed Auguſtinus eam non ſequitur, immò impugnando, contra eam diſputat. Igitur non poteſt ex hoc dicto inferri, quòd eam, vel ſequatur, vel approbet.

Ad 2. Author miratur, quia nihil tale ex eo loco deducitur.

203. Ad ſecundum Auguſtini *ex lib. 1. ad Simplicianum q. 2.* deductum fateor meam inſcitiam, neſcio quomodo ex ea quęſtione ſumatur argumentum pro contraria ſententia ex paucis, mutiliſque verbis; & quomodo cordati etiam viri ita putent, immò aliqui eum excuſent, quòd in iuuentute fuerit eius ſententiæ; cùm in libris retractationum, nec verbum quidem de hac re faciat, dum alia etiam minuſcula retractet: Immò in tota illa prolixa quæſtione ſecunda neruosè ſuſtineat, ac propugnet ſententiam, quòd prædeſtinatio facta ſit ſine pręuiſione meritorum; ſitque ex mera miſericordia Dei. Patienter (oro) legat lector. Quęſtio ſibi propoſita, vt initio patet, eſt de diuerſitate ſortium Iacob, & Eſau vno concubitu, vt dicit Apoſtolus Rom. 9. genitis, & eodem die natis, & dicit Auguſtinus, *Intentionem Apoſtoli, quæ per totam illam epiſtolam viget tenebo, quam conſulam*; Et poſtea multa dicit. 1. *eo ipſo quod gratia eſt, operibus non debetur.* 2. ex Apoſtolo Eph. 2. dicit, *non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, vt ne quis glorietur, de his, qui nondum nati erant documentum dedit. Nemo enim poſſet dicere, quòd ex operibus promeruerat Deum Iacob. 3. Vocantis eſt ergo gratia; percipientis verò gratiam, conſequenter ſunt opera bona, nec quæ gratiam pariant; ſed quæ gratia pariantur.*

Author excuſat ſe de prolixitate, quia iniuria fit Auguſtino.

204. Deinde mouet sibi difficultatem; quomodo electio ista Iacob facta sine præscientia meritorum, aut fidei, cùm nec aliquid boni egisset, vt electio secundùm propositum maneret, Iacob dilexit, c.14.ait. *Non ergo secundum electionem, Dei propositum manet, sed ex proposito electi. Ideſt, non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideò manet propositum iustificationis ipsius: sed quia illud manet, vt iustificet credentes; ideò inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum Cælorum, nam nisi esset electio, non essent electi.* Et quia subdit verba illa, quę opponuntur. *Vndè, quod dictum est elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia*, putant, quòd teneat ex pręscientia meritorum factam esse electionem ad gloriam:& non aduertunt, non esse hunc S. Augustini sensum, tùm ex antecedentibus, tùm ex sequentibus; quia statim subdit. *Quod ait non ex operibus, sed ex vocante dictum est; non de electione meritorum, quæ post iustificationem gratię proueniunt; sed de liberalitate donorum Dei voluit intelligi, nè quis de operibus extollatur. Gratia enim salui facti sumus, & hoc non ex operibus, sed donum Dei est; non ex operibus, nè fortè quis extollatur.* Et postquam multum discussit, quomodo Iacob dilexit Deus, & Esau odio habuit, antequam nati essent; aut aliquid boni, vel mali egissent dicit Sanctus, *Deus faciet misericordem, vt etiã benè operetur. Vndè admonemur, nec ipsis operibus misericordiæ quemquam oportere gloriari, & extolli, quòd eis quasi suis Deum promeruerit, quandoquidem, vt haberet misericordiam ipse præstitit, qui misericordiam præstabit, cui misericors fuerit.* Et post multa ait, *Cur non & Iacob præscientia Dei approbatus est futuræ bonæ*

Multa consideranda pro lcco cit. S.Aug.

Ex quibus patet, quod docet oppositum.

Clarè loquitur S.Aug.

voluntatis eius? quòd si semel concesseris potuisse quemquam, vel approbari, vel improbari ex eo quod nondum in illo erat, sed quia Deus futurum esse præsciebat; conficitur, eum potuisse etiam ex operibus approbari, quæ in illo Deus futura esse præsciebat: videtur ei absurdum id dicere; quia ait ex Apostolo, *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*. Et infra post alia multa causam diuersitatis dilectionis, & odij reducit ad illud principium, quòd in multis suis operibus statuit; nempe ad peccatum originale, ex quo aliquos, non omnes voluit Deus discernere, sic: *In Adam omnes moriuntur, à quo in vniuersum genus humanum origo ducitur offensionis Dei, vna quidem massa peccati, supplicium debens diuinæ, summęque iustitiæ, à quo siue exigatur, siue donetur, nulla est iniquitas. A quibus autem exigendum sit, & quibus donandum, superbiæ indicant debitores*. Et post aliqua. *Itaque huius impudentiam quæstionis ita retundit Apostolus. Homo tù quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare me sic fecisti? an non habet potestatem figulus luti ex eadem consperstone facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Ecce quòd August. non recurrit ad merita vasis honoris, & electionis, sed ad occultum, sed iustum Dei iudicium. Et infra. *Illud tantummodo inconcussa fide teneatur, quod non est iniquitas apud Deum, qui siue donet, siue exigat debitum, nec ille à quo exigit, rectè potest de iniquitate eius conqueri; nec ille, cui donat debet de suis meritis gloriari*. Et statim mouet contra se aliam quæstionem, quomodo verificetur, quod *Sapientię* 11. dicitur, *nihil odisti eorum, quę fecisti, si nondum natum, nec aliquid facientem Esau, illum odio habuit?* Et soluit, quòd intel-

Pro absurdo videtur habere August. quod prędestinatio fiat ex meritis.

Quod apertè pluribus probat.

Multis modis confirmat suum dictum.

intelligitur de naturis hominum, non de peccatis eorum; hęc enim odit, eas verò diligit: & post multa, ait, *Deus fecit vasa perditionis ex consperſione impiorum; non odit, quod facit, ideſt opus ordinationis ſuæ in pœna debita pereuntibus, in qua occaſionem ſalutis illi, quorum miſeretur, inueniant. Si autem volens Deus oſtendere iram*(vt ait Apoſtolus Rom.9.)*& demonſtrare potentiam ſuam, attulit in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem, tù quis es, qui reſpondeas Deo? & vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ?* Et cùm diffusè Sacræ Scripturæ teſtimonijs oſtendiſſet, quòd ex omni natione, tàm ex Iudęis, quàm ex Gentibus Deus fecit vaſa miſericordiæ, & vaſa irę, honoris, & contumeliç, ad oſtenſionem miſericordiæ, & iuſtitiæ, concludit, illos non debere ex meritis gloriari, quia totum illud gratia eſt; ſi autem gratia, non ex operibus; alioquin gratia non eſſet gratia, ait, Apoſtolus, ſed merces. Et poſtquam alia multa, & præclara, ſuo digna ingenio, dixit S.Doctor, etiam quæſtionem de electione ad gloriam, & gratiam, & de modis vocationum, & deſertionum, & de Sauli perſecutoris Eccleſiæ vocatione, & electione in Doctorem Eccleſię, ac Gentium, ſic concludit. *Et tamen, quid dicemus? numquid iniquitas eſt apud Deum exigentem à quo placet, donantem, cui placet, qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum? numquid iniquitas eſt apud Deum? abſit. Quare tamen huic ita, & huic non ita? Homo tu quis es? debitum ſi non reddes, habes, quod gratularis, ſi reddes, non habes quid quæraris. Credamus tantum, & ſi capere non valemus, quoniam, qui vniuerſam creaturam, & ſpiritualem, & corporalem fecit, & condidit, omnia in numero pondere,* &

Deus non odit naturas hominum, ſed peccata eorum.

Sauli vocatio gratio.

Ex tota iſta Auguſt. doctrina nequit deduci, quod prędeſtinatio fiat ex meritis, ſed oppoſitum.

pro gratia, vt dicit Ioannes, ideſt vitam æternam pro meritis ex gratię adiutorio elicitis.

207. Ad illud deſumptum *ex lib.83. quæſt.q.* 68. dico, quòd ſi opponens legiſſet totam illam quæſtionem non oppoſuiſſet paucula illa verba *de occultiſſimis meritis*, quę non reſpiciunt prædeſtinationem, ſed glorificationem. Thema ergo illius quæſtionis eſt, quomodo intelligitur, *quod non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, ex Rom.8. & primò multa dicit de humanis miſerijs, de dominio paſſionum carnalium pugnantium cum ſpiritu: deinde loquitur de libertate ſpiritus, quæ acquiritur per gratiam, & de gloria ęterna. Et quia hęretici legentes illud Pauli, *cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat; quid adhuc quæritur, nam voluntati eius, quis reſiſtit?* contemnunt præcepta, quæ ad gloriam perducunt; & dicunt Paulum neſciuiſſe, quid reſponderet, ideò dixiſſe, *ò homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* vel hoc non dixiſſe Paulum: S. Doctor ſæpè inculcat, hęc eſſe Pauli verba, & ſic reſpondendum curioſis inquirentibus de voluntate Dei in operibus gratiæ, & iudicij. Et poſt multa ait. *Cum ergo meritum peccando amiſerimus, & miſericordia Dei remota, nihil aliud peccantibus, niſi æterna damnatio debeatur, quid ſibi vult homo de hac maſſa, vt Deo reſpondeat, & dicat, quare me ſic feciſti? Si vis cognoſcere, noli eſſe lutum, ſed efficere filium Dei per illius miſericordiam, qui dedit poteſtatem filios Dei fieri credentibus in nomine eius.* Et poſt multa de hoc argumento tandem dicit, *ò homo tù qui es qui reſpondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quare me ſic feciſti? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem conſperſione facere aliud quidem*

Ad locum ex lib. 83. quęſt. dicit Author, quod opponens non videtur legiſſe illam quęſt. 68.

S. Auguſt. defendit Apoſtolum.

Curioſis in hac materia, cum verbis Pauli reſpondendum.

dem vas in honorem, aliud in contumeliam? Expurga vetus fermentum, vt sis noua consperfio, & in ea ipsa, non vt paruulus in Christo, vt lacte potandus sis, sed perueni ad virum perfectum, vt sis inter illos, de quibus dicitur, Sapientiam loquimur inter perfectos. Tum demum rectè, & non præposterè audies, si qua sunt de animarum occultissimis meritis, & de gratia, vel iustitia secreta omnipotentis Dei. Postea loquitur de operibus iustitiæ in Pharaone, inde de operibus gratiæ in vocatis, & credentibus, iustificatis, ac prædestinatis, referens factum Iacob, & Esau, antequam nascerentur. Et subdit; *nec compræhendi potest, nisi fortè ab eis, qui diligunt Deum ex toto corde, virtute &c. & proximum sicut seipsos. Tanta enim Charitate induti possent fortasse cum Sanctis compræhendere longitudinem, latitudinem, & profundum; illud autem tenendum constantissima fide, nihil Deum iniustè facere.* Nihil ergo ad rem pro aduersarijs colligitur; immò totum oppositum.

Argum. ex S. ProsPero soluitur, quòd non sit ad rem.

208. Ad argumentum ex S.Prospero desumptum *in resp.Gall.c.3.* dico ad rem non esse; quia loquitur de non prædestinatis, seu reprobis. Et isti, vt dicemus in suo loco, ex demeritorum præuisione, incipiendo ab originali, & prosequendo per actualia, si adulti morituri sunt, siue vocati ad fidem, & non perseueraturi, siuè non vocati, & vltra originale contrahendum, alia etiam actualia patraturi, siue tandem in originali tantùm decessuri. Id cum Augustino, & cum omni Catholico concedemus, quia de modo operandi Dei ex iustitia, agitur. At, cùm de prędestinatione fit sermo, agitur de modo operandi ex pura misericordia; ideò nihil ad rem.

Loquitur de reprobatione.

209. Ad aliud desumptum *ex lib. de Vocat. Gra-*

Gentium c. 35.dico, quòd vt diſtinctè legere eſt, S. Proſper docet quod nos *in cap.* 5. diximus, nempè, propoſitum firmum Dei in prędeſtinando non lædere propoſitum liberi arbitrij humani in operando opera, quæ perducunt ad finem, ſeu terminum prędeſtinationis, nempè vitam ęternam, quia illa liberè facit. Aliud arg. ex Proſpero ſoluitur

210. Ad aliud, quod dixerat *in cap.* 10. quòd *electi ideò operantur, vt electi ſint,* dico non poſſe intelligi de prima electione, quia hæc non fit in tempore, cùm ab æterno facta fuerit; ſed intelligi debet de conſecutione electionis, ideſt de eius termino, nempè vita æterna, cùm vt ſupra vidimus ſequatur Auguſtinum. Tert. arg. ex Proſpero.

211. Ad dictum Fulgentij reſpondetur, hunc Sanctum Auguſtini diſcipulum intelligendum, & declarandum eſſe conſequenter ad ea, quæ vt in *cap.* 7. retulimus, idem Sanctus docuit, quòd nempè Deus præſciebat ea, quæ ipſe facturus erat in prædeſtinatis, ſuppoſita prędeſtinatione; & conſequenter, quia gratia præuenturus erat prædeſtinatos, & cum ſequentibus auxilijs eos adiuturus vſque in finem præſciuit eos in ſuamet voluntate, quę hæc omnia erat factura. Ad argum. ex S. Fulgẽtio S. Auguſtini ſequaci, reſpondetur, ſicut ad illa Auguſt.

212. Ad aliorum Doctorum authoritates, quæ in eodem capite adducuntur, vnica reſponſione videtur reſpondendum. Vel enim conſiderantur argumenta eorum, quæ ex Sacra Scriptura deſumpta ſunt; & cùm hæc ſint eadem, quæ ſupra ſoluta ſunt, non eſt neceſſaria alia reſponſio; vel conſiderantur perſonæ authorum; & his opponuntur authores *in cap.* 7. *&* 10. & in proemio huius opuſculi, numero, qualitate, ac antiquitate multò maiores. Ad argumenta aliorum quomodo reſpondetur.

213. Ad argumenta ex abſurdis, reſp. quòd

sunt eadem, quæ tamquam facta à quibusdam misit S. Prosper ad Augustinum, vt habentur in suis epistolis, poscens ab eo solutionem, vt aduersantium ora obstruerentur: et nihil penitus mouerunt Augustinum, vt à sententia recederet: sed scribit preclaros illos tres libros, nempè *de Prædestinatione Sanctorum* primum; *de Bono Perseuerantiæ* alterum; tertium *de Correp. & Gratia*, in quibus ea, & alia soluit argumenta; & docet insuper, quomodo minus doctis, vel penitus indoctis prædicandum sit de Prædestinatione. Nihilominus ex eodem Augustino breuiter respondeo pro nunc (quia postea de effectibus prædestinationis, & de operibus ad effectum illius obtinendum loquar). Ad primum ergo de ignauia, dicò cum Augustino, quòd Deus prædestinauit sanctos ad gloriam proprijs meritis obtinendam, si adulti sunt, si verò paruuli per sola merita Christi; ideòque adulti omnes laborare debent in obseruantia legis, & exercitio virtutum, aut consiliorum iuxta formam, & mensuram prædestinationis. Quidam enim sunt prędestinati ad gloriam consequendam per martirium, & in hoc consistit eorum labor; quidam per statum, seu ordinem Ecclesiasticum, siue sæcularem, siue regularem, siue eremiticum, vel anacoreticum: quidam per coniugalem; quidam per virginalem; & sic discurrendo per omnes hominum status honestos. Ijs enim Deus dat auxilia congrua pro quocumque statu; & cùm in peccata labuntur, dat auxilia ad resurgendum; omnes autem sunt operarij inuicem Dei.

Ad argumenta ex absurdis, quę antiqua sunt.

Ad primũ resp. quòd prędestinatio non adducit ignauiam.

Prędestinati adulti per diuersa media obtinent effectum eius

214. Ad 2. de prędicatione, & correctione, respondetur per idem; cùm enim non omnes prædestinati sint confirmati in gratia, immò rarissimi;

Correctio est facienda prędestinatis.

mi; ideòque labi possint, & labuntur in peccata, erit ei necessaria prædicatio, & correptio, vt resipiscant;& ideò Saluator præcepit faciendam correptionem fraternam, vt fratres lapsos lucremur. Cum his ergo modis, & circumstantijs sunt prędestinati omnes sancti: et hæc debent agere, ac pati, vt gloriam, ad quam prędestinati sunt, consequantur.

215. Ad 3. de acceptione personarum, dico primò hoc argumentum, etsi difficillimum videatur, tale non esse, nec nouum, neque in quinto Ecclesiæ sæculo Augustini tempore prodijsse, sed in primo sęculo tempore Pauli; at quid dico tempore Pauli? immò tempore Moisis potuisse fieri, scilicet in sęculo mundi circa 30. immò in primo, vel saltem in secundo, tempore Cain, & Abel. At isti, prudentiores nostris, certi de iustitia, ac misericordia, & dominio Dei, & quòd non possit in eo esse iniquitas, hoc argumento vsi non sunt, sed caput flectentes, benè de Deo sentientes humiliter incompræhensibilibus Dei iudicijs se submittentes, ori manum imponentes, siluerunt.

Cain non fuit conquestus de Deo, quòd dilexit magis Abel.

216. Declaremus singula. In primo, vel secundo sęculo Gen.4. *Respexit Dominus ad Abel; & ad munera eius* (idest mittens de Cœlo ignem consumentem eius sacrificia) *ad Cain autem, & munera eius non respexit, iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque ei Dominus, quarè iratus es, & cur concidit vultus tuus? Nonne si benè egeris recipies, &c.* At Cain, etsi zelo, ac inuidia commotus, non respondit (sicut nostri) quia acceptas Personam, & munera fratris mei, & me, ac munera mea despicis? non ita dixit, sed tacuit, quasi dicens, Dominus est.

217. Circa 30. mundi sæculum ex Saliano, cùm Moises in deserto, Domino loquente, scriberet librum Exodi, cap. 33. petijt videre Deum, aiens, *ostende mihi gloriam tuam*. Respondit Dominus. *Ostendam omne bonum tibi. Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placebit*. Tacuit Moises; poterat, tamquam Deo familiaris, dicere; Domine nonnè es Deus, omnium Pater, & creator omnium; nonnè misericordia, & Charitas tua infinita est? cur aliquorum tantùm, & non omnium misereberis; cur in aliquos tantùm, & non in omnes clemens eris? et tamen audiuit clarè, quòd pro libito hæc facturus erat. Existimo, quòd Moises, de Dei natura, ac proprietatibus optimè conscius, id non interrogauerit; quasi intra se dicens, donorum suorum Dominus est; nemini debet; si alicui dat, & alteri non dat, non facit huic iniuriam, sicut de Domino vineę dante denarium æquale omnibus, qui diuersis horis in sua vinea laborauerant, murmurantibus primis, dixit, *an non mihi licet facere, quod volo? tolle, quod tuum est, & vade*.

Moisis prudentia, & humilitas.

218. De Paulo manifesta sunt dicta; loquens enim, vt sæpè patuit, de Dei dominio in genus humanum, de misericordia, & iustitia, quę in illud exercet; adducit casum Iacob, & Esau, quorum *primum dilexit, Esau autem odio habuit, antequam nati essent, aut aliquid boni, vel mali egissent*. 2. adducit, quod nuper relatum fuit dictum Moisi à Deo, *miserebor cui voluero*; & concludit, *igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Deindè facit argumentum, quod nostri faciunt curiosi. *Dicis mihi quid adhuc quæritur, nam voluntati eius quis resistit?* Et respondet. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum*

Paulus manifestè id docet.

tum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum: vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Quid voluit per hoc dicere Paulus, nisi quia Deus, cùm sit Dominus gloriæ, misericors, & iustus, videns genus humanum in massa perditionis demersum, voluit cum aliquibus exercere misericordiam, & facere eos vasa honoris, & cum alijs exercere iustitiam relinquendo eos in massa damnata, & facta iam vasa contumeliæ. Hac responsione ait Augustinus contentus esse debet omnis Christianus, nec profundiùs inuestigare, ne inueniat præcipitium.

Paulus conuincit curiosos quærentes, cur hunc, non illum prædestinauit: eo quòd Dominus est, misericors, & iustus.

Responsio Pauli sufficit.

219. Ad illud de acceptione personarum, dicendum, quòd est indignum Christiano argumentum; fides enim contrarium docet. 2. Paralip. 19. habetur; *Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec Personarum acceptio, nec cupido munerum* Rom. 2. 11. *Non enim est acceptio personarum apud Deum*: idem repetit *ad Ephes. 6. 9.* & ad Coloss. 3. 23. Ratio verò à priori est, quia Deus nemini debet; ideò nemo potest conqueri, quod non habet à Deo illa quæ alijs concedi cernit, nec aliam causam debet quærere; sed vel dicere, *Dominus est*, vel cum Apostolo Rom. 11. exclamare. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.*

Fides docet non esse in Deo acceptionem personarũ.

220. Ad illud tandem, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, cùm argumentum hoc famosum sit, & per ora omnium, etiam vulgarium personarum

ver-

versetur, decreui vnum integrum caput, quo erit vigesimum, conficere pro intelligentia huiu Apostolici dicti, pro quo nonnulli etiam scelest sibi blandiuntur. Nunc cum eodem Augustino & cum instantia duplici ad arguentem respon deo. Primò. *Si vult, quare non saluat? Deus enin quęcumque voluit, fecit; & voluntati eius nemo po test resistere*, ait Psalmista: & cur dicit, *Iacob dile xi, Esau autem odio habui*, si vult omnes saluare 2. instantia, cur paruuli non omnes saluantur cum multi sine baptismo, & in ventre matris mo riantur? ad rem ergo nunc non est; infra verò ex plicabitur.

Ad famosũ argumentũ quòd Deus vult omnes homines saluos fieri

CAPVT XIII.

An ex parte Prædestinatorum assignari possit aliqua causa saltem congruentiæ suæ prædestinationis.

Intentio Authoris

221. Adu. quòd præter errores hęreticorum Pelagij, Origenis, & Manicheorum de causa prædestinationis, quã dicebant fuisse merita ex naturæ viribus facienda: & pręter Catholicorũ quorumdam sententiam, quòd causa prædestinationis fuerit pręuisio meritorum ex auxilio gratiæ eliciendorum, vt in precedentibus patuit; insurrexerunt alij, qui nequeuntes comprehendere, quomodo æqualium hominum æqualiter dispositorum, siue ante, siue post præuisionem Adæ peccati, à Deo iusto, & benignissimo, omnium suorum operum, & maximè animarum amantissimo, facta sit inęqualis illa discretio, vt alij eligerentur ad gloriam, gratiam, & merita, quibus gloria acquirenda est: alij verò derelicti, vel ex præ-

præuisione demeritorũ, in quæ cadere necesse erat moraliter destitutis Dei gratia; ex pietatis, vt credo, in Deũ zelo aliqui dixerunt, quòd merita, eliciẽda ex gratia, & demerita futura prę uisa, vel absoluta, vel saltim conditionata, etsi non sint causa inducentia Deum absolutè ad prædestinandum, aut reprobandum; saltim merita illa alterutro modo prę uisa sint velut quędam congruentię non autem motiua cur Deus prædestinauerit illos, & non istos: hoc ergo discutiendum, an sustineri possit.

Dubium, cur aliqui electi, alij derelicti, cum Deus diligeret.

Sensus quæsiti.

222. Dico 1. Ex parte prædestinati nequit assignari aliqua causa, neque per modum congruentiæ, neque per modum motiui influens in sui prędestinationem.

Nequit assignari causa congruẽtiæ ex parte prędest.

223. Prob. 1. omnibus argumentis adductis cum Augustino ex Sacra Scriptura desumptis ad excludendum merita, nam ad idem sunt. Et Apostolus respondens ad obiectum, cur vnus sic, alius non sic, non reccurrit ad aliquam causam, motiuum, vel congruentiam; facile enim fuisset ei ab hac difficillima quæstione se liberare, dicens, quòd Deus ab ęterno præuidit in vno bonam aliquam qualitatem, vel bonum vsum liberi arbitrij, vel saltem assensum prębendum primę vocationi ad fidem; vel aliquid simile. At non sic respondit, sed reprehendens interrogantem, ait; *ò homo tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic?* Et adducit exemplum de figulo, qui vnum vas facit in honorem, aliud in contumeliam, & tamen ex eodem luto. Sicut ergo non ex aliquo motiuo, vel congruentia reperta in luto, sed ex voluntate figuli nascitur vasorum diuersitas, sic ex Dei voluntate volente misericordiam exercere, non ex

Omnia argumenta facta pro meritis sunt propria pro hac Conclusione.

Responsio Pauli soluit omnem quęstionem

ex aliquo motiuo, vel congruentia visa in luto humano, scilicet in massa damnata hominum ob Adæ peccatum, aliquos elegit, & prędestinauit ad gloriam, & gratiam.

224. Prob.2.ratione à sufficienti partium enumeratione. Res illa præuisa, quæ asseri posset, non meritum, sed simplex motiuum inducens congruentiam mouentem Deum ad eligendum hunc potiùs, quàm illum, vel esset natura alicuius, vel aliqua eius bona qualitas, vel bonus vsus liberi arbitrij consentientis vocationi diuinæ saltim primę; vel aliquid aliud, vel tandem humana miseria hominum per lapsum Adę lapsorum. Nullum horum dici potest; ergo absque vllo motiuo in eligendis pręuiso, facta est à Deo electio, & Prædestinatio; Prob.min.de primo. Non natura quouis modo considerata; hic enim fuit error Basilidis, & Valentini, vt supra patuit. Præterea natura humana quoad essentialia, est eiusdem rationis in omnibus; nullum ergo motiuum, nullaque congruentia apparere, & præuideri potuerunt in vno humano indiuiduo, quæ non apparuissent, & præuideri potuissent in alio.

A sufficienti enumeratione arg.

Non natura, quia hic fuit error Basilidis, & Valentini.

226. Neque potest asseri secundum de bona qualitate. Nam hęc, vel esset naturalis, vel supernaturalis: neutrum dici potest. Sic prob.primò quid dicendum de paruulis regenerandis, & sine vlla tali qualitate prædestinatis, & ante rationis vsum decessuris? 2. Si qualitas esset naturalis, recurrit argumentum contra Valentinum, & Basilidem. Si supernaturalis deberet esse donum Dei; & gratis datum: & sic non ex motiuo in prædestinando reperto, ac præuiso; sed ex suo beneficio ei conferendo, Deus moueretur: Et si sic, recurrit argumentum, quòd contra prædestinatio-

Non bona qualitas.

Argum. de paruulis vrget.

nationem gratuitam fit. Cur huic bonam illam qualitatem supernaturalem Deus confert, & non alteri? Quod ergo responderetur ad hanc quæstionem; quia nempè Dominus est, responderi debet ad quęstionem, quare sine vllo motiuo ex parte electi, elegit hunc, non illum, nempè, quia Dominus suæ glorię est.

226. Neque potest asseri bonus vsus liberi arbitrij. Primò, quia vrget argumentum paruulorum valdè molestum, vt sępè replicat Augustinus; decedunt enim sine vllo vsu liberi arbitrij statim post baptismum, & in Cęlum euolant. 2. quia hic vsus liberi arbitrij præuisus, vel esset purè naturalis, vel eliciendus cum auxilio diuinæ gratię; neutrum dici potest. Non primum, quia Pelagianum est, posse aliquem sine auxilio gratiæ vti libero arbitrio, vel in consentiendo, vel in assentiendo vocationi ad fidem, vel in obseruando, vt oportet, aliquod legis preceptum. Hinc etiam Semipelagiani damnati sunt, qui asserebant, quòd assensus, & consensus ad primam vocationem ad fidem, naturę viribus haberi possunt; cæteri autem actus Religionis, ac pietatis nequaquam, sed ad eos necessaria sunt diuinæ gratię auxilia. Neque potest dici secundum; quia recurrit idem argumentum, quod fieri solet ab aduersarijs Augustini contra prædestinationem sine meritis. Nam gratia illa, vel aliquibus tantùm danda esset, vel omnibus. Si primum, vrget difficultas, cur potiùs vni, quam alteri: præterea ita præualeret misericordia in hoc casu, sicut in casu, quòd dicatur prędestinationem factam esse absque cuiusuis meriti pręuisione: & si secundum non admittitur neque primum; eadem enim esset ratio quærelarum, & acceptionis per-

Nec vsus liberi arbitrij ob argumentum paruulorũ

A sufficiẽti arguitur non posse asseri.

ſonarum, quod timent aliqui. Si verò dicatur ſecundum, quòd ſcilicet gratia illa omnibus danda, pr̨edeſtinata, decreta,& præuiſa fuerit ad bonum vſum liberi arbitrij; iam in omnibus hominibus eſſet vnum, & idem motiuum, eademque congruentia mouens Deum ad pr̨edeſtinandum; & ſic omnes fuiſſent prædeſtinati: gratia enim illa fuiſſet futura efficax; alioquin fruſtranea eſſet futura.

Diſcurſus neceſſariò conſiderandus.

227. Quòd ſi dicas, vt aliqui ex modernis dicunt, gratiam illam futuram indifferentem, ſeu (vt nunc dicitur) ſufficientem, talis nempè natur̨e, vt ſi liberum arbitrium conſentiat habeat effectum; ſin minus, nequaquam; & ſic quia Deus ab æterno decreuit homines omnes creare, & omnibus dare gratiam ſufficientem ad benè operandum, & vidit aliquos ea benè vſuros, & conſenſuros, alios non; illos, non iſtos pr̨edeſtinauit: Fateor, quòd ſi hæc ſententia fundamentum haberet in Sacra Scriptura, vel in Concilijs, aut Patribus, mihi apprimè placeret, & liberaret nos, & Sanctum Auguſtinum, immò & Sanctum Paulum à difficultate reſpondendi, cur illum, non iſtum prædeſtinauit. At quia fundamentum hoc ego non inuenio, ideò

Solutio validi argumenti.

Si haberet fundamentum in ſcriptura concluderet.

228. Dico 2. Motiuum prædeſtinandi in Deo, non fuit pr̨euiſio boni vſus liberi arbitrij conſenſuri gratiæ indifferenti, vel ſufficienti, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè ei offerend̨e. Declaratur. Quidam enim olim dicebant, quòd Deus decreuit dare omnibus abſolutè gratiam ſufficientem, ſeu indifferentem, & vidit quòd aliqui eſſent conſenſuri, alij non, ideò illos, non iſtos prædeſtinauit. Quidam verò dicunt, quòd Deus pr̨euidit, quòd ſi daret gratiam ſufficientem, aliqui conſen-

Motiuum prædeſtinandi non fuit vſus liberi arbitrij conſenſurus gratįe ſufficienti.

ſentirent, alij non; ideò illos prædeſtinauit, non iſtos, & iſta prǽſcientia eſt illa, quam dicunt mediam, quia non eſt ſimplicis intelligentię, puta poſſibilium, nec viſionis, puta futurorum abſolutorum; ſed conditionatorum, eſto nunc nullus Catholicus his nullis modis loquatur. Quodcumq; horum dicatur, exiſtimo non poſſe ſuſtineri cum Auguſtino: ideò

229. Prob. 1. argumento paruulorum, qui baptizati, ante vſum rationis decedunt. In his nullus penitus eſt conſenſus futurus ad aſſertum indifferens, ſeu ſufficiens auxilium: nullum etenim habent, neque habituri erant. Et hoc in tota hac materia argumentum S. Auguſtino viſum ſemper fuit, ſicut eſt, inſolubile.

Argum. ex paruulis.

330. Quòd ſi diceretur, vt quidam tempore Auguſtini dicebant, Deum præuidiſſe, quòd ſi paruuli ad ætatem perfectam peruenturi eſſent, benè fuiſſent operaturi, & Dei auxilijs conſenſuri, & cooperaturi, & ſic ſaluaretur caſus paruulorum, quia ex ijs conditionatis, etſi numquam futuris conſenſibus prædeſtinentur, contra hos acriter inuehitur S. Auguſtinus *in lib. 10. Gen. ad lit. c. 16.* inquiens. *Cum ergo ſic reſpondent, quid eis contradici poteſt, niſi incertos nos eorum ſalutis fieri, qui hac vita benè geſta in Eccleſiæ pace defuncti ſunt, ſi non ſolum ſecundum id quod quiſque vixit, verùm etiam ſecundum id, quòd victurus eſſet, ſi amplius viuere potuiſſet, quiſque iudicandus eſt; quandoquidem valent apud Deum merita mala, non tantum præteritorum, ſed futurorum etiam delictorum, à quorum reatu, nec mors liberat, ſi antequam fuerint commiſſa prouenerit, nec aliquid ei præmium, qui raptus eſt, nè malitia mutaret intellectum eius. Deus enim præſcius illius malitiæ futu-*

Argumentum, quod fit de bono vſu futuro in paruulis ſi vixiſſent elidiεur.

ræ, cur si cum secundum ipsam potius iudicaturus est, si morituræ animæ infanti, nè obesset ei ex corpore peccati participata colluuies, ideò subueniendum iudicauit per baptismum, quia præsciuit eam si viueret piè, fideliterque fuisse victuram. His, & alijs pluribus concludit S. Doctor, quòd nullus iudicatur ex præuisione eorum, quæ facturus esset, bona, vel mala, si longiorem vitam duceret; & ita dici nequit, quòd paruuli aliqui fuerint prædestinati, vel reprobati ex præuisione operum, quæ facturi essent, si viuerent: alioquin etiam de adultis id esset dicendum, & sic de ijs, qui sanctè vixerunt, dubitandum esset de eorum salute, si non pro præteritis tantùm, sed pro futuris, si vixissent, iudicandi essent: & hoc est primum absurdum, quod initio adducit Augustinus. Igitur effugium illud de præuisione futurorum, si vixissent, non soluit Augustini argumentum, quòd vrget contra defendentes prædestinationem ex præuisione conditionati consensus ad indifferens auxiliũ, ratione paruulorum.

Acriter in illud inuehitur S. August.

231. Prob. 2. Si tàm facilè mysterium hoc compræhẽdi potest, inquit Petrus Damianus, iam non esset adeò difficile, vt Paulus exclamasset, *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incompræhensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?* Neque diceret. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non potest figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Quod & Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ, &c.* Ecce quid respondet Paulus interroganti, cur Deus queritur, quòd homo nõ saluetur, seu salutis opera

Petri Damiani dignum argumentum contra sic defendentes.

Non essent inuestigabilia Dei iudicia, si tàm facilè soluitur hæc quæstio.

non

non faciat; cùm ipse, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*? Si sententia de operibus bonis conditionatè visis subsisteret, Paulum Ecclesiæ, & totius mundi Doctorem, ac Magistrum non latuisset: & docuisset, & totum mundum lætificasset, cum hac doctrina adeò clara, & aliquibus plausibili, & non reliquisset rem hanc inexplicatam, & tamquam profundum mysterium. Quis enim Paulo doctior, magisque ad docendam Ecclesiam illuminatus?

Nō latuisset Paulum Doctorem omnium à Deo edoctum.

232. Quòd si dicatur, hoc mirum non esse, quia non omnes veritates, maximè, quæ non sunt de necessitate salutis ab initio Ecclesiæ fuerunt scriptæ, vel alio modo manifestatæ, sed successu temporis creuerunt, vt notorium est, & Patres, Ecclesiaque ipsa experitur, sic dici potest de sententia ista, licet tempore Pauli nota non fuerit. Immò hoc punctum de prædestinatione, sine vllo præuiso merito, siue absolutè, siue conditionatè futuro, dici potest esse vnum illorum, de quibus loquitur S. Petrus epist. 2. cap. 3. 16. *Frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit nobis, &c. in eius epistolis sunt quædam difficilia intellectu, quę indocti, & instabiles deprauant*. Fieri ergo potuit, vt inexplicata eius doctrina pro tunc, tractu temporis sit explicata.

Instantia de nouiter Ecclesię notis.

233. Resp. Verum quidem esse, quòd successu temporis multę veritates in Ecclesia clarè innotuerunt, quæ ab initio, vel obscuræ erant, vel penitus ignotæ. Istę autem sunt in duplici differentia, quædam enim pertinent ad fidem, vel mores, quæ vel traditione Apostolica per manus ad nos vsque peruenerunt, vel à Sacris Concilijs Generalibus, ex Sacra Scriptura, vel ex traditionibus erutæ sunt, & de his non loquimur. Quædam

Eliditur.

Veritates nouę, quomodò notę fuerunt.

dam verò ſunt veritates, ſeu propoſitiones inter Catholicos Doctores controuerſę, & in Eccleſia exiſtentes atque diſputari permiſſę; cuiuſmodi eſt iſta. Et in his tenendis, vel introducendis duæ regulę obſeruandæ ſunt ab earum ſequacibus. Prima, nè nouæ ſint; nouitas enim ſæpè ſcandalum, & turbationem parit. Secunda, conſiderandum eſt quis ſit primus talis nouę ſententię author, ſi in magna exiſtimatione Eccleſię, ſi rationi validæ innitatur, ſi magni nominis viri eam approbent, & tandem ſi Sancta Sedes eam tantummodo toleret, ac permittat, vel potiùs in eam inclinet. Conſideret lector, ſi hæc faueant huic ſententiæ. Ego quidem, vt ingenuè fateor, non puto, ſed eam permittere exiſtimo, vt diſputabilē.

Nouę doctrinę, quādo introducendæ.

234. Prob. vlteriùs. Si ex conſenſu illo conditionato ad auxilium illud ſufficiens facta ſit prædeſtinatio, quęro primò, an omnes homines fuerint pręuiſi, & conſtituti in eodem tempore, & cum eiſdem circumſtantijs; & ſimul omnibus dandum illud auxilium; & aliqui pręuiſi conſenſuri, alij non; & ſic priores prędeſtinati, non poſteriores. Vel præuiſi ſunt conſtituti in diuerſis temporibus, & in diuerſis circumſtantijs. Neutro modo ſaluatur intentum pro hac ſententia, ergo. Prob. min. de primo. Nam decreta diuina de animarum creatione ſupponi debent in aliquo rationis ſigno præcedere decreta prædeſtinationis; nam priora reſpiciunt ſubiectum; poſteriora reſpiciunt accidentia. At decreta de creatione facta ſunt de animabus creandis pro diuerſis temporibus, ſicut de facto creatæ ſunt ab initio mundi vſque nunc, & creantur, atque creabuntur vſque ad finem mundi; igitur aſſeri non poteſt decretum illud de conſtituendis omnibus

Aliud argumentum à diuiſione contra eā ſententiam

nibus

nibus animabus in eodem tempore, & in eisdem circumstantijs, ac dispositionibus; quia cùm tale decretum habiturum non esset vnquam illum effectum, esset frustratorium. Et sic præuideri non potuerunt omnes animę simul pro eodem tempore futuræ, & in eisdem circumstantijs constitutæ cum auxilio illo, cui possent assentire, & dissentire; quia Deus nihil videre potest futurum, siue absolutum, siue conditionatum, nisi decernat se illud facturum, seu cum creatura ad illud concursurum.

Homines non fuerũt præuisi omnes futuri pro eodem tempore, & circumstantijs.

235. Neque dici potest secundum, de animabus scilicet in diuersis temporibus, & circumstantijs constitutis: tum propter pręcedens argumentum de frustraneitate talis conditionati decreti: tum etiam, quia recurrit eadem difficultas, quam authores huius sententię declinare vellent, nempè inęqualis electionis circa æqualiter dispositos, in qua diceretur esse apparentia acceptionis personarum. Nam in hac sententia omnes animę illę quantum est ex se, essent ęqualiter dispositæ, & non à se haberent, quòd ponerentur in diuersis circumstantijs loci, temporis, & dispositionis corporum, quibus erant coniungendæ. Ex his autem omnibus pendet, quòd aliquis operetur sic, vel sic; consentiat, vel dissentiat alicui vocationi, cũ in eius libertate sit assentire, vel dissentire, vt esset in casu talis auxilij sibi exhibiti ex se non efficacis; & sic eodem modo, quo æqualiter dispositę, & non electæ possent conqueri, *quid me fecisti sic*? idest posuisti in tali incongrua circumstantia, vt assentire facilè non potuissem, sicut in alia circumstantia fecissem. Sicut si res ita se haberet, dicere possent pro alio casu conuersionis Tyrus, & Sydon, si factę fuissent in nobis vir-

Si dicatur animas præuisas pro diuersis temporibus futuras, non sequitur intentum.

Idem absurdum acceptionis personarum semper sequitur, quòd effugere vellent.

virtutes, quę factæ sunt in Corozaim, & Bethsaida, pœnitentiam eg issemus; Nam Matth. 11. 21. sic ait Christus; *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ in vobis factæ sunt olim, in cilicio, & cinere pænitentiam egissent*. Idem subdit contra Capharnaum, quę vsque ad Cęlum exaltata vsque ad infernum descensura erat, *quia*, ait, *si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt fortè mansissent vsque in hanc diem*. Sic, inquam, dicere potuissent animæ illæ in circumstantijs diuersis præuisæ constituendę. Non ergo meo videri, saluari potest modus iste dicendi.

236. Confirmari potest Conclusio principalis alio argumento fusiùs discutiendo *in Opusculo de Gratia*, quod tale est. Auxilium illud, cui visus est à Deo aliquis consensurus, est illud, quod offert Deus de facto ei, qui ex ea pręuisione prædestinatus est. Sed auxilium, quod de facto isti confert Deus non est talis naturæ, vt sine speciali Dei concursu voluntas ei consentiat; sed Deus ipse (vt ibi dicam) *qui ex Philip. 2. 13. dat velle, & perficere*, facit, vt homo faciat, quia diuinæ gratiæ auxilium ex S. Augustino non solùm dirigit liberum arbitrium ad benè operandum, *sed se habet ad illud, sicut sessor ad equum*, ita *in Hippognosticon lib. 3. m.* & ideò est auxilium *quo*, nempè faciens facere, non verò tantum *sine quo*, quod non facit facere. Et sic efficacia illius asserti consensus præuisi, esset (sicut nunc est) à Deo: Ideòque non adesset ex parte hominis sic consensuri motiuum aliquod prędestinandi; sed esse Dei donum, quòd vnus consentiret, non alius. Fateor meam imbecillitatem: hoc argumentum me conuincit, sicut & alia; & vnum auxiliatur alteri.

Alio argumento valido ille modus dicendi impugnari posset.

Gratia se habet ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum.

alteri. Si non placet mea, seu Augustini sententia, teneatur quæ placet, si habet modum satisfaciendi hisce argumentis, & deponendi formidinem de opposita; & maximè, quia Sancti Augustini menti consona non videtur.

CAPVT XIV.

An Christi Domini Prædestinatio fuerit causa Prædestinationis nostræ.

237. ADu. 1. rationem dubitandi esse duplicem. Prima est quia Christus Dominus *est Princeps Regum terræ, Apocal.* 1.5. *Est primogenitus omnis creaturę, Colos.* 1.18. Est prædestinatorum caput, *& Prędestinatus in virtute Rom.* 1.4. & omnes homines, qui prędestinati sunt, ad imaginem ipsius prædestinati fuerunt. *Rom.* 8. 29. Secunda ratio est; quia Christus est causa meritoria mediorum, per quæ prædestinati obtinent finem, seu terminum prædestinationis. Ipse enim reconciliauit humanum genus Deo; aperuit Cœlum; instituit sacramenta, quibus ex inimicis Dei euadimus amici, & ex filijs iræ, filij, & hæredes Dei. Obtinuit etiam nobis auxilium, & habitum gratię, & habitus virtutum Theologicarum, & dona Spiritus Sancti: quibus medijs operamur meritoria opera, per quæ acquirimus vitam æternam, quę est prędestinationis finis. Ideò meritò quęrimus, an idem Christus Dominus aliquam influentiam, vel causalitatem saltem meritoriam, aut exemplarem in hominum prædestinationem habuerit.

Authoris mens.

Duplex huius quęsiti causa.

Beneficia priora, quę nobis meruit, Christus.

238. Adu. 2. ex dictis in primo tomo in 3. sent. disp. 18. per totam, quòd Christus, vt homo,

fuit ex *Rom.* 1. 4. ab æterno prædestinatus ad filiatonem Dei per vnionem hypostaticam, ad summam gloriam, summam gratiam, & alia dona supernaturalia(vt in toto illo tomo) & ad gradum mediatoris inter Deum, & humanum genus, ad effectum reconciliandi istud cum Deo; & insuper, quòd eius prædestinatio facta fuit antecedenter ad prædestinationem hominum, & Angelorum; immò antecedenter ad præuisionem lapsus Adæ, vt ex eodem tomo *disp.* 11. per articulos quinque; & inferiùs eadem explicabimus. Hinc oritur quæstio, an prædestinatio Christi influxerit in prædestinationem hominum.

Christus prædestinatus, & quomodo.

Sensus quę siti clarus quis.

239. Adu.3. ad vitandam æquiuocationem, quòd non loquimur de actu illo, quo Deus prædestinauit, quasi quæramus, an Christus, eiusue prędestinatio in actum illum influxerit; quia hic est actus diuinæ voluntatis tantùm: sed quęrimus de passiua prædestinatione, quod est quærere, an ad hominum passiuam prædestinationem, Christi prędestinatio aliquo modo influxerit, siue efficienter, siue meritoriè, siue saltim exemplariter; sicut de causa exemplari dicimus in phisicis cum Arist. quòd *domus extra fit à domo intra*, vt omnes architecti, omnesque artifices experiuntur; & Deus ipse præcipiens Moisi formationem tabernaculi, *Exodi* 25.40. ait, *inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*; & cap. 26. *Eriges tabernaculum iuxta exemplar*; Quæri ergo potest, an prædestinatio Christi fuerit saltim ipsi Deo exemplar in prædestinatione hominum.

Christus, aut eius prædestin. nō fuit causa efficiens nostrę prę destinat.

240. Dico 1. Christus, vt homo, eiusue prædestinatio non fuit causa efficiens nostræ prędestinationis ab æterno factæ.

241.Pro-

241. Prob. de primo. Causa efficiens realiter debet existere; nam ex phisicis effectus in actu exigit causam in actu. Christus autem, vt homo, ab æterno, cùm facta fuit hominum prædestinatio, non existebat; ergo non potuit esse efficiens causa nostræ prædestinationis.

242. Prob. de secundo. Nequit percipi, quomodo Christi prædestinatio, siue actiuè, scilicet vt actus diuinæ voluntatis, siue passiuè concepta, vt importat prædestinatum esse, possit esse causa efficiens nostræ prędestinationis; nam, vt est actus voluntatis Dei, efficit id tantùm, ad quod tendit, nempè eligit, ac prædestinat Christum: vt verò passiuè sumitur, nihil efficit, sed ipsamet est quid effectum, seu volitum; igitur in nullo statu accepta potest dici causa efficiens nostræ prædestinationis.

243. Dico 2. Christi prædestinatio dici potest, ac debet causa exemplaris nostræ prædestinationis ad gloriam, gratiam, & filiationem Dei, hæreditatis Dei, & cohæreditatis Christi. Christi prę destinatio fuit causa exemplaris nostræ.

244. Prob. 1. ex Rom. 8. 29. *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, &c.* 2. ex Ephes. 1. 5. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ in laudem glorię gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo.* Priùs autem dixerat, *sicut elegit nos in ipso* (Iesu) *ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate.* Igitur Christi Domini prædestinatio se habuit, vt exemplar, idea, ac prototypus aliarum prædestinationum. ex Apost.

245. Prob. 2. ex S. August. in lib. 1. de Prædest. Sanct. c. 15. *Est etiam praeclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ, ipse Saluator, ipse mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus*: & infra. *Appareat itaque in nostro capite ipse fons gratiæ; vndè secundum vniuscuiusque mensuram se per vnita eius membra diffundit*: & postea. *Ipsa est igitur prædestinatio Sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maximè claruit, quam negare quis potest rectè intelligentium eloquia veritatis?* & infra. *Sicut ergo prædestinatus est ille vnus, vt esset caput nostrum; ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus.*

ex August.

246. Lyranus in epist. ad Rom. 8. in illud *conformes fieri imagines filij sui*, ait, Quia filiatio adoptiua est quædam similitudo filiationis naturalis diuinæ. Sicut ergo Deus hominem Christum præordinauit ad filiationem diuinam naturalem ponendam in eo per vnionem hypostaticam Verbi; ita præordinauit electos ad aliam filiationem, non quidem naturalem, sed adoptiuam cum iure hereditatis ad regnum: hęc Lyranus.

ex Lyran.

247. Dico 3. Prędestinatio Christi, siue actiuè, siue passiuè sumatur, non fuit causa meritoria nostrę prędestinationis.

Prędestinatio Christi non fuit meritoria prędestin. nostrę.

248. Prob. prima pars facilè. Actiua prædestinatio Christi aliud non est, nisi actus diuinæ voluntatis, quo Christum hominem ab ęterno elegit ad vnionem hypostaticam, vel filiationem Dei naturalem, ad summum lumen glorię, summam gratiam, summam gloriam; & ad omnes alias Christi perfectiones, ad statum mediatoris, ad septem dona Spiritus Sancti, ad gratias omnes gratis datas, &c. Hic autem actus eligendi ad

hęc

hęc omnia, non est meritum; quia est actus Dei, seu Sanctissimæ Trinitatis, cui repugnat mereri: tum etiam, quia est actus liberalitatis, & beneficentię, atque Charitatis Supremi Principis in Christi humanitatem. Alioquin actiua nostri prędestinatio, immò quęlibet cuiuslibet doni elargitio diuina erga creaturas esset Dei meritum, & causa meritoria; quę in terminis repugnant.

A priori ratio de actiua Christi prædestinatione.

249. Prob. de 2. scilicet de passiua prædestinatione Christi, sic. Hęc passiua prędestinatio Christi, siue ad vnionem hypostaticam, ac filiationem Dei, siue ad summam gratiam, ac glorìam, cæteraque bona, quæ supra dicta sunt, aliud non est, nec aliud importat, quàm Christi humanitatem tunc non existentem, fuisse à Deo ad ea electam, ac prædefinitam, & præordinatam. Id autem nullam habet conditionem meriti, sed potiùs passio quædam grammaticalis est, & denominatio extrinseca Logicalis, vt est esse visum, esse volitum, esse amatum, esse electum, & cœtera similia.

De passiua Christi prędestinatione ratio.

250. Dico 4. Si prædestinatio nostra sumatur pro fine, seu termino ipsius, nempè pro gloria, & gratia, alijsque bonis, ad quæ prædestinati sumus, dici potest, Christi prædestinationem fuisse causam exemplarem, ac etiam meritoriam nostræ prędestinationis: hoc modo scilicet; quatenus Deus statuit per merita Christi aperire Cœlum, liberare animas de potestate diaboli, facere eas hæredes regni, filiasque adoptiuas, & conferre eis gloriam.

Quomodo Christi prædestinatio influit in nostram.

251. Prob. prima pars ex dictis pro secunda Conclusione. Sicut enim Christus prædestinatus filius Dei, licet ex meritis non meruerit incarnationem, & filiationem Dei, & prædestinatio-

nationem ad gloriam, vt docet S. August. *lib.* 1. *de Prædest. Sanct. c.* 15. tamen plenitudinem gloriç consecutus est per sua merita: Sic etiam nos, qui ad gloriam prędestinati sumus sine meritis; tamen eam non assequimur (loquendo de adultis) nisi per merita; ergo quoad consecutionem, Christi prædestinatio fuit causa exemplaris prædestinationis nostræ. Maioris prima pars pro nunc ex August. loco cit. prob. dicente. *Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis, & gratię ipse Saluator, ipse mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus; qui, vt hoc esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei meritis præcedentibus, natura humana, quę in illo est, comparauit? Respondeatur quæso, ille homo, vt Verbo, Patri coęterno in vnitatem personæ assumptus filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit? vnde qualecumque eius bonum pręcessit? Quid egit antè, quid credidit, quid petiuit? vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret?* & subdit. *Ipsa est prædestinatio Sanctorum,* idest facta sine meritis, &c.

Christus quid meruit pro se, & pro nobis.

Christus sine præuisis meritis prędestinatus.

252. Prob. modò secunda pars maioris, quòd plenitudinem gloriæ Christus consecutus est per merita, ex oraculo ipsius Christi, qui Lucæ 24. iungens se discipulis euntibus Emmaus, dixit, *Nonnè hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Nota tamen, quòd dico plenitudinem gloriç, non gloriam absolutè, quia vt *in tom. in 3. sent.* cum comuni Ecclesiæ sententia docui, ac tenui, quòd à primo instanti suæ conceptionis Christus obtinuit gloriam, fuitque beatus, gratis, & sine prçcedentibus meritis, at, quia erat simul viator, & passibilis vsque ad sepultu ram, immò vsque ad resurrectionem, non habuit pro illo tempore plenitudinem glorię, sed exple-

Sed plenitudinē gloriæ per merita assecutus est.

expleta passione, in reunione animę ad corpus, cùm resurrexit, cessauit ratio viæ, & collata sunt ei dona corporis beati, nempè impassibilitas, splendor, subtilitas, & agilitas; tunc plenè beatus effectus est: hanc ergo beatitudinem per merita passionis acquisiuit. Hoc ergo modo nos Deus ad gloriam prædestinauit; sed per merita consequendam; vndè ait Paulus, *Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex; non solum autem mihi, sed his, qui diligunt aduentum eius.* Quenā fuerit hęc plenitudo.

253. Prob modò secunda pars Conclusionis, quòd scilicet prædestinatio Christi, seù vt legitimè, & propriè loquar, Christus prędestinatus filius Dei fuerit causa meritoria nostræ prędestinationis quoad effectum, idest gloriæ consecutionem; ex 1.Corin.15.22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur.* Ephes.5.23. *Christus caput Ecclesiæ, ipse est Saluator corporis eius. Vnus est mediator Dei, & hominum Christus Iesus.* 1.Tim.2.5. ex Io. 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi.* Act. 4. 12. *Non est in aliquo alio salus; non enim aliud nomen est sub Cælo datum, in quo oporteat nos saluos fieri.* Christus fuit causa meritoria termini nostrę prędestinationis, quoad consecutionē.

254. Confirmatur. Christus redemit nos à potestate Diaboli, instituit Sacramenta, per quæ reconciliamur Deo; obtinuit nobis per sua merita gratiam sanctificantem, & auxilia actualia, per quæ meremur gloriam, aperuit Cœlum, quod ob Adæ peccatum obseratum erat, &c. quæ omnia de fide sunt. Sine his autem gloriam non consequeremur, igitur dici potest, & debet, quòd prędestinatio Christi, seu (quod idem est) Christus Beneficia nob's per Christum collata.

ſtus prædeſtinatus fuit cauſa meritoria prædeſtinationis noſtræ quoad effectum, ſeù terminum; & hanc exiſtimo fuiſſe D. Thomæ mentem, in 3. p. q. 24. ar. 4. in corpore, vbi dicit; *Si conſideretur prædeſtinatio Chriſti ſecundum prædeſtinationis actũ, non eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis. Si autem conſideretur ſecundum terminum; prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa prædeſtinationis noſtræ. Sic enim Deus præordinauit noſtram ſalutem ab æterno prædeſtinando, vt per Ieſum Chriſtum compleretur.*

S. Thom. mens.

Obijcies contra 1. & 3. Chriſtus eſt caput Eccleſię, & omniũ prędeſtinatorũ, ergo vt prædeſtinatus, cùm ſit caput, in hoc genere influit in omnia membra.

Arg. cont. 1. & 3.

255. Reſp. diſt. conſequ. influit modo ſibi competente iuxta Dei prouidentiam, concedo, alio modo, nego. Stando enim in ſimilitudine capitis ad cœtera membra corporis, euidens eſt, quòd argumentum nihil concludit, nam caput Phiſicum influit quidem in alia membra corporis, at non facit, ſeu generat illa membra; ſed idem agens naturale, quod gignit caput, gignit alia membra cum facultate influendi in ea. Sic ergo Chriſtus influit in membra prædeſtinata; at ipſe nec membra facit, nec prædeſtinat, ſed Deus, qui ab ęterno ſtatuit Chriſtum efficere, & ex tunc eum prædeſtinauit; alios homines facere ſtatuit membra eius, & prędeſtinauit ad imaginem, & conformitatem Chriſti. Totum hoc præclarè explicauit Paulus *Rom.* 8. vt in probatione ſecundæ Concluſionis patuit. Ratio ergo capitis in Chriſto circa Eccleſiam conſiſtit in hoc, quòd Chriſtus fundauit Eccleſiam viſibilem, conſtantem ex miniſtris diuerſi ordinis, & ex alijs fidelibus in vnum coadunatis per vnitatem fidei, baptiſmi,

Quando Chriſtus influit in nos, vt caput ad mẽbra.

Similitudo capitis ad membra in Chriſto, & in nobis.

tismi, ac cæterorum Sacramentorum, quæ respe-ctiuè communia sunt. Ipse autem suis meritis hæc omnia facere meruit, & per eum, eiusque merita omnia spiritualia beneficia, & consecutionem æternę gloriæ obtinemus. At ratio capitis non videtur vllo modo importare influentiam, nec phisicam, nec moralem in actiuam, vel passiuam hominum prædestinationem, vt supra patuit.

Christus fundauit Ecclesiam.

CAPVT XV.

An saltem ex præuisione meritorum Christi facta fuerit hominum prædestinatio.

156. ADu.1. quæsitum hoc non coincidere cum precedentibus. Quærimus ergo an Deus prædestinando Christum, vt hominem ad filiationem naturalem diuinam per vnionem hypostaticam,& ideò etiam ad summam gratiam, summumque lumen gloriæ,ac summum meritum, ex præuisione istius summi meriti prædestinauerit aliquo, homines ad gloriam; itaut omnes prædestinati, sicut omnia bona, quæ habent à Deo per Christi meritum recognoscunt, sic destinationem ad illa, & ad gloriam debeant per Christi meritum à Deo recognoscere.

Sensus quęsiti diuersus à præcedentibus.

157. Adu.2. solutionem huius quæsiti pendere à solutione alterius famosæ controuersiæ, an si Adam non peccasset, Verbum incarnatum fuisset, seu venisset Christus in carne impassibili, vt cum sua Schola Scotus docet *in 3.Sent. dist.7. q.3.* & nos cum illo *tom.1. in 3. Sent. disp. 2. art.2.* At præscindendo ab hoc quæsito pro nunc satis molesto; inquiram quid in vtraque, vel alterutra

Solutio huius quæsiti pendet à solutione alterius.

sententia, S.Thomæ, scilicet, vel Scoti, dicendum sit ad præsens dubium.

258. Adu. 3. quòd sicut dixi de merito Christi in eodem *tomo disp.19.* ab *art.4.* & deinceps, Christus de facto meruit non solùm per actiones, & passiones potentiarum sensitiuarum, per effusionem sanguinis, ac per mortem, &c. sed etiam per actus potentiarum spiritualium, præsertim per charitatem, seu dilectionem erga Deum, & homines, & per actus pietatis, & adorationis Dei, & obedientiæ erga Patrem, &c. ita quòd in Scoti, eiusque Scholæ, ac mea in hac re sententia, si Adamo non peccante Verbum fuisset incarnatum, quia non in carne passibili; licèt non potuisset mereri agendo, & patiendo sensibiliter; adhuc mereri potuisset operando intellectualiter.

Quibus actibus meruit Christus.

259. Adu 4. quòd pro defensione huius Scoti sententiæ, & stabilienda illa, quam inquirimus de merito Christi pro nostra prædestinatione, hic ordo secundùm nostrum intelligendi modum statuendus est inter decreta diuina circa futura facienda, vt docet Scotus *in 3.Senten.dist.7. q.3.* ab æterno suppositis productionibus ad intra; in primo signo sequente, Deus intellexit omnes creaturas possibiles: in secundo signo, decreuit se summè communicare creaturæ rationali; & in hoc signo decreuit vnire hypostaticè Verbum cum humana indiuiduali natura, & in hoc prædestinauit Christum ad summam gloriam, summamque gratiam, ad summam charitatem, ac pietatem in Deum, atque charitatem in proximum: in tertio signo decreuit creare Adamum, & alios homines: in quarto signo vidit Adamum cum tota posteritate casurum: in quinto signo decreuit modum vnionis, nempè in carne passibili,

Ordo Dei in prædestinando iuxta Scoti sententiam.

Decretum de Incarnatione in quo signo factum.

bili, & per actiones, tàm intellectuales, quàm per corporales Christi passiones reconciliare sibi genus humanum: & quoniam cum S. Augustino prædestinatio hominum facta fuit post præuisionem peccati Adæ, dici consequenter cum eo debet, quòd in hoc signo facta sit hominum prædestinatio, & in hac sententia non est difficile saluare, quòd prædestinatio hominum facta sit ex præuisione meritorum Christi. Item si teneatur sententia contraria de decreto Incarnationis post prçuisum Adæ peccatum, adhuc distinguendum est: vel enim tenetur, quòd Adæ, & aliorum prædestinatio facta fuerit ante præuisionem peccati Adæ; & hoc præuiso decreta fuerit incarnatio ad reparandum genus humanum, & tunc fuisse prædestinatum Christum; non apparet via saluandi, quòd ex merito prædestinati Christi præuiso, facta sit prædestinatio Adæ, & aliorum, quia hæc supponeretur facta ante illum. Si verò teneatur, quòd, & Adamo non peccante facta non fuisset incarnatio, & quòd ante præuisionem peccati Adæ nullius facta fuerit prædestinatio, sed supposita Adę peccati præuisione, decreta fuerit incarnatio, & consequenter prędestinatus fuerit Christus, & postea prædestinati sint homines, & discreti à massa damnata, vt docet S. Augustinus, & nos supra cum eo docuimus, facilis, & conueniens est via saluandi, quòd ex præuiso Christi merito facta sit hominum prædestinatio; si enim hæc via teneatur, vt amicis meis consulo tenendam, in magnam redundat Redemptoris gloriam. Parcat Lector si prolixa sit adnotatio; cedit enim ad Christi Domini nostri laudem, de quo omnia summè bona prædicare debemus, quæ Sacræ Scripturæ non repugnant, inquit,

Saluatur in hac sententia, quòd ex meritis Christi fieri potuit nostra prędestinatio.

In alia sententia non videtur posse saluari.

Alia via saluandi facilis, & tenenda consulitur.

pugnant, inquit cum alijs Scotus.

260. Adu. vltimò cum Scoto *in 4. Sent. dist. 2. quæst. 1. ad 3.* & est valdè notandum dictum illud, quòd gratia non cadit sub merito, sicut docet Apostolus Rom. 9. *Si gratia ex meritis, iam non est gratia, sed merces*, quod intelligi potest, vel de merito de congruo, vel de merito de condigno. De primo non est tanta difficultas; sed de secundo; pro quo etiam aduertit Scotus, quòd vel est sermo de causa intrinseca, idest de ipsomet merente, qui per sua opera non potest mereri gratiam de condigno, & de hoc intelligitur Pauli dictum; *Si gratia ex meritis, idest proprijs, iam non est gratia*: vel est sermo de causa meritoria extrinseca illi, cui confertur gratia, & sic gratia cadere pótest sub merito: talis autem est Christus respectu omnium gratiarum, quas nobis meruit: his notatis

An, & quomodo gratia cadit, vel non cadit sub merito.

Christus meruit nobis omnes gratias.

261. Dico 1. In ea sententia Scoti, quòd Verbum fuisset incarnatum, etiamsi Adam non peccasset, sustineri potest probabilissimè, quòd ex preuisione meritorum Christi per potentias intellectuales eliciendorum facta fuerit hominum prædestinatio ad gloriam, & gratiam.

In sent. Scoti probabilissimè sustinetur, quòd ex præuisione meritorum Christi facta sit nostra prædestinatio.

262. Prob. In hac suppositione maximè commendatur Christi meritum, & non asseritur aliquid Sacræ Scripturæ, traditioni, aut communi Ecclesiæ opinioni repugnans: ergo. Consequ. prob. ex famoso illo Scoti axiomate, *in commendando Christum malo excedere, quàm deficere, si in alterutrum ex ignorantia incidere oporteret*. Hinc est, quòd Ecclesia in hymno illo Angelico, *Gloria in Excelsis*, sic eum collaudat. *Tù solus Sanctus. Tù solus Dominus. Tù solus Altissimus Iesu Christe*. Anteced. quoad primam partem prob. quia

Commendari maximè debet Christus.

quia hoc modo omnis ratio capitis myſtici, ac moralis in omnia bona ſupernaturalia ſuorum membrorum influentis, dignè, & abundè ſaluaretur; maximum enim hominis cuiuſque ſpirituale, ac ſupernaturale bonum eſt ad gloriam, & conſequenter etiam ad gratiam prædeſtinari. Anteced. quoad ſecundam partem probatur: nullus Scripturæ locus, nullaque traditio huic dicto refragatur; immò aliqua Scriptura ei opitulatur. Paulus enim Rom.8.29. inquit. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit cõformes fieri imaginis filij ſui, &c.* Tunc ſic: ſi ex merito præuiſo in carne paſſibili, & intellectuali operatione Chriſti Deus ab ęterno decreuit nos ſibi reconciliare, filios ſuos adoptiuos efficere, heredes ipſius Dei, & cohęredes Chriſti ad imaginem ipſius filij naturalis: cur ex merito, in illa ſuppoſitione pręuiſo non potuit Deus prædeſtinare homines etiam ad gloriam, & gratiam?

263. Quòd ſi dicas prædeſtinatio paſſiua hominum eſt maxima gratia, quę poſſit ijs à Deo conferri; igitur cadere non poteſt ſub merito; reſponſio facilis eſt ex notabili vltimo. Non poteſt cadere ſub merito hominum: concedo; ſub merito Chriſti, quem Deus voluit, ac ſtatuit eſſe caput hominum, & in eos meritoriè influere, nego. Ratio euidens eſt: de facto redemptio à ſeruitute diaboli; collocatio in ordine filiorum Dei; aperitio ianuę cœli pro hominibus, omnia dona ſupernaturalia, gratia tàm habitualis, quàm omnes actuales, Sacramentorũ inſtitutio, & cętera omnia nobis, & Eccleſiæ conferuntur ex meritis Chriſti; item & conſecutio gloriæ; & proinde Eccleſia omnes collectas, quibus beneficia ſpiritualia, immò & omnia alia à Deo petit, ſic con-

Sub merito noſtro non potuit cadere gratia; ſed benè ſub merito Chriſti.

concludit, *Per Christum Dominum nostrum*. Hæc autem omnia ab æterno Deus statuit, & præscinit, se nobis daturum per merita Christi; igitur idem dici potest de prædestinatione, quòd nempè ex merito Christi in ea suppositione præuiso, eam decreuerit circa homines. Neque in hoc video vllam esse difficultatem, si principium illud Scoti teneatur.

264. Dico 2. in alia sententia, quòd non fuisset facta incarnatio, non existente Adæ peccato; si tenetur, quòd omnes prædestinationes, tàm Christi, quàm hominum factæ fuerint ante præuisionem peccati Adæ; adhuc probabiliter sustineri posset, quòd prædestinationes hominum factæ fuerint ex preuisione meritorum Christi.

In alia sententia idē teneri potest, si omnis prædestinatio facta sit preuiso Adæ peccato.

265. Prob. sicut præcedens; quia nulla est implicantia, quin in aliquo signo præcedente facta sit Christi predestinatio ad filiationem Dei, per vnionem hypostaticam, ad summam gloriam summam gratiam, & summa merita: & ita saluaretur in eo omnimoda ratio capitis, & causæ meritoriæ, respectu omnium bonorum, quæ hominibus à Deo à mundi initio hucusque concessa sunt, & concedentur: & ita, sicut est causa meritoria consecutionis gloriæ, respectu nostri, & mediorum ad talem consecutionem obtinendam; ita esset causa meritoria destinationis ad eam; ita quòd Deus in gratiam dilectissimi filij sui predestinati voluerit alios prædestinare, & in gratiam eiusdem, ac per merita eius decreuerit possessionem termini prædestinationis, idest gloriam eisdem conferre.

Saluatur maxima Christi laus in hac sententia.

266. Prob. 2. si quid obstaret huic sententiæ, esset, quia in signo illo antecedenti non

essent

essent prȩuisa merita, ac genera, & qualitates meritorum per passionem, ac sanguinis effusionem, quia adhuc non esset decreta permissio peccati Adȩ, nec damnatio eius cum tota posteritate; & sic nec decreta passio, & mors Christi, quȩ sunt merita Christi; & ideò, cùm in eo signo merita Christi adhuc non existerent in mente Dei, non potuit intuitu eorum prȩdestinare homines. Sed posset (in hac sententia) responderi, quòd licet pro illo signo non essent prȩdefinita merita per afflictiones, mortificationes, ieiunia, labores, itinera, passionem, & mortem elicienda: dici posent prȩdefinita merita per intellectuales actus, prȩcipuè dilectionis Dei, atque hominum, & Angelorum exhibenda; vel quòd ipsamet dignitas; magnitudo, ac sublimitas Christi pro illo signo ad ea iam prȩdestinati, se haberent, vt meritum, vel saltem, vt motiuum prȩdestinandi homines, immò & Angelos ad dignificandum, magisque exaltandum dilectum suum filium, constituendo illum omnium prȩdestinatorum caput, vt ei omnes etiam in hoc prȩclarissimo fauore, se in æternum cognoscerent obnoxios.

Refellitur obstaculū.

267. Dico 3. si teneatur, quòd decretum incarnationis factum fuerit post prȩuisum Adȩ peccatum, & sic Christus prædestinatus tunc ad filiationem Dei, & ad summam gloriam, summamque gratiam, & ad statum mediatoris inter Deum, & hominem; & postea facta fuerit hominum prȩdestinatio discernendo eos à massa perditionis; faciliùs videtur sustinendum, quòd ex Christi meritis prȩuisis facta fuerit hominum prȩdestinatio.

Melius sustinetur influxus Christi in prȩdestinationem nostrā in alia sententia.

268. Prob. facilè. Eatenus in omni sententia

tia, & cum fidei principijs defenditur, quòd ex prȩuisis Christi meritis decreuit Deus ab ȩterno reconciliare sibi genus humanum, liberare illud à potestate diaboli, aperire Cœlum, & conferre generi humano media necessaria ad salutem, vt Sacramenta, virtutes, auxilia, dona, &c. ipsamque gloriam; quatenus videns genus humanum lapsurum, & perditionis massam ex eo constituendam, voluit eius misereri, & per viam iustitiȩ illi reconciliari; disposuit hoc facere mediante filio suo incarnando, & per eius merita in actionibus, & passionibus consistentia, & sic intuitu istorum omnia præfata spiritualia bona humano generi conferre. Quid autem impedit, quin dicamus, quòd pariter Deus videns genus humanum sic cum Adamo lapsurum, & massam damnatam futuram; ex eodem Christi præuiso merito motus fuerit ad prȩdestinandum aliquos, discernendo, seu secernendo eos à massa perditionis, sicut ex præuiso eiusdem merito decreuit prȩfata alia bona conferre? Immò existimo, quòd in hac sententia Augustini de prȩdestinatione post prȩuisum Adȩ peccatum, loquendo consequenter, negari non possit, prȩdestinationem quoque factam fuisse ex merito Christi. Ratio enim euidens est, quia vt cum Augustino mox dicemus, omnia bona supernaturalia, quæ prædestinatis conferuntur, sunt prædestinationis effectus. At omnia illa conferuntur ex merito Christi, & sic ab æterno decreta sunt conferenda, ergo multo magis bonum prædestinationis, quod est eorum causa: nam vt inquit Philosophus, & omnes amplectimur, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*.

Ratio clara pro hac sententia.

Argum. à pari de alijs bonis dandis ex merito Christi.

269. Confirmatur: hanc viam sequendo, magis

magis quàm in alijs relucet Christi Domini dignitas, ratio capitis influentis in omnium prædestinatorum præcipuè spiritualia, ac supernaturalia bona, & sic sublimitas Principatus; immò, & quòd per ipsum facta sint omnia; & nihil impedit, quin sic dicamus.

Relucet Christi dignitas.

270. Confirmatur 2. Per Christi meritum efficimur filij Dei, & hæredes, atque Christi cohęredes, inquit Apostolus; & hęc omnia ab ęterno sic prędefinita sunt. At filiatio, & hęreditas Dei sunt essentialiter cum prædestinatione connexa, & ita, cùm Deus prędefiniuit vnum, prędefiniuit simul & alterum: & sic ex merito Christi vtrumque. Cur enim Deus præcisionem fecisset, vt ex merito Christi prædefinisset vnum, & non alterum; cùm in vtroque æqualiter reluceat benignitas, ac misericordia Dei in homines, & beneuolentia in Christum, cuius præuisione meriti voluerit illum exaltare, & constituere caput prędestinatorum influens in eos quoad omnia; *& dare illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur Cælestium, &c. & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris*?

271. Confirmatur 3. Non videtur saluari perfecta ratio mediatoris in Christo, nisi dicatur, quòd ex intuitu sui meriti facta sit hominum prædestinatio ad gratiam, & gloriam; ergo ita dicendum. Quòd autem sit mediator Dei, & hominum de fide est, ex 1.*Tim.* 3. 5. Prob. maior. Mediatio in genere sumpta consistit in hoc, quòd existente inter duos, siue æquales, siue superiorem, & inferiorem inimicitia, ratione alicuius offensæ, aliqua tertia persona grata offenso se interponit pro reconciliatione offendentis cum

Ex perfecta ratione mediatoris argum.

offenſo; quod perfici poteſt per ſatisfactionem procurandam ab offendente; vel ſi hic ſit impotens, aut inhabilis, aut minus idoneus, ipſamet mediatrix perſona, id acceptante, aut diſponente offenſo, aliquo modo huic benè viſo, ſatisfaciat pro offenſa. Hoc tanquam certiſſimo poſito, ad rem noſtram accedens, ſic diſcurro. Per Adę peccatum omnes homines (excepta B. Virgine iuxta noſtram ſententiam) cum eo peccarunt, & inimici Dei conſtituti ſunt. Placuit benigniſſimo Domino Deo homines ſibi reconciliare, & per viam iuſtitię, ac ſatisfactionis pro grauiſſima (intenſiuè, & extenſiuè) offenſa id perficere: non inueniebatur inter homines puros, qui condignè ſatisfaceret: ſtatuit filium ſuum ſanctiſſimum incarnandum, ad hoc peragendum in terram mittere: Hic ergo cùm eſſet nos reconciliaturus, vt adæquatè ſuo muneri mediandi ſatisfaceret, erat effecturus, vt Deus in ſuam gratiam nos reciperet filios; & hęredes æternę vitę eos, qui ſibi placerent, efficeret. Totum autem hoc per prædeſtinationem ad gratiam, & gloriam efficitur. Igitur, vt plenipotentiam mediatoris Deus Chriſto conferret, in gratiam eius, ac ſuorum meritorum, hanc gratiam prædeſtinationis, iuſtificationis, &c. conſequentium debuit ex ſua liberali benignitate concedere, ſecernendo ex tunc quos voluit à maſſa perditionis, efficiens ſuos filios, regnique cœleſtis hęredes, & Chriſti cohęredes.

In quo conſiſtat mediatio.

Quomodo Deus ſtatuit ſatisfactionem accipere pro offenſa humani generis.

272. Tandem exiſtimo Paulum id docere voluiſſe Epheſ. 1. 3. inquiens de Deo; *Qui elegit nos in ipſo (Chriſto) ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in*

Paulus fortè id docuit.

ado-

adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ, & gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, &c. Interl. Hier. *Elegit nos in ipso ait per Christum*: infra, *gratificauit nos in dilecto filio suo*, dicit, *per Christum*; modus ergo iste loquendi toties à Paulo replicatus, *Deus elegit nos in Christo; qui prædestinauit nos per Iesum Christum. Qui gratificauit nos in dilecto filio suo*; & hæc ante mundi constitutionem, aliud significare nequeunt nisi prædestinationem nostram per Iesu Christi mediatoris nostri merita factam esse.

CAPVT XVI.

De præcipuis Prædestinationis effectibus.

273. ADu. quòd licet multa bona, tàm supernaturalia, quàm naturalia sint communia prædestinatis, & non prædestinatis, seu reprobis; quædam tamen solis primis competunt, & de his loquimur. Certum quidem est, quòd multa supernaturalia bona obtinent reprobi, quæ tamen temporalia, idest ad tempus tantùm durant, & non perseuerant vsque ad finem vitæ. *Multi enim*, ait, *Saluator sunt vocati, pauci verò electi.* Veniunt enim ad fidem innumeri, baptismum suscipiunt, gratiam sanctificantem, cum Theologicis virtutibus, & Spiritus Sancti dona, aliaque Sacramenta recipiunt, & actualibus auxilijs diuinis ad sanctè operandum adiuuantur; & tamen, quia donum perseuerantiæ non obtinent, sed in peccato decedunt, damnantur: immò plures præter hæc dona, gratias gra-

Multa supernaturalia bona obtinent etiã reprobi, sed sunt temporalia.

Gratias etiam gratis datas.

tis datas obtinuerunt, vt sapientiam, prophetiam, gratiam virtutum, seu miraculorum, & curationum, genera linguarum, &c. & tamen damnati sunt: De quibus dicit Saluator, Matth. 7. 22. *Multi dicent mihi in illa die Domine, Domine, nonnè in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis, quia numquam noui vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Patet ergo, quòd hæc etiam supernaturalia dona, non in omnibus sunt effectus, ac signa prędestinationis: Iudas enim fuit à Christo cum alijs missus ad prędicandum cum virtute miraculorum; alij plures per aliquod tempus sanctè viuunt, prædicant, alios ad fidem conuertunt, Sacramenta frequentant; & nihilominus, vel quia in pessima aliqua consuetudine inueterati sunt, vel quia à fide decidunt, in fine pereunt: aliquos ergo proprios, & præcisos prędestinatorũ effectus ex Sacro Textu, & ex Sanctis Patribus referemus.

Præcipui, effectus prędestinationis, qui sint

274. Dico 1. Primi, & præcipui effectus prędestinationis, ad quos alij consequuntur, sunt illi, quos refert Apostolus Rom. 8. 30. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, quos autem vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* At primi duo effectus declaratione indigent.

1. Efficax vocatio ad fidem.

275. Prob. & declarantur singula. Primus effectus prædestinationis est efficax vocatio ad Catholicam fidem, ac proinde hæreticorum fides cum baptismo recepta (exceptis paruulis in ea decedentibus) non est prædestinationis effectus, quia *extra Catholicam Ecclesiam non est salus, ex Concil. Later. 4. c. 1. de summa Trin. & fide Cath. c. 1.* At quia multipliciter fit vocatio, dicendum, quòd paruu-

paruuli, quibus confertur baptismus, per huius collationem vocantur, & per fidem habitualem credunt, & vocationi respondent, & fides actualis offerentium, vel ministri, seu Ecclesiæ eis sufficit; *de Consec.dist.4.cap.In Ecclesia, cap.Paruuli fideles,& cap.Mater Ecclesia*; immò dicuntur fideles; non quia actualiter credunt, sed quia fidei Sacramentum recipiunt, idest, baptismum, per quem eis infunditur fides,*ead.dist.c.Nihil est aliud.* Alij vocantur, & recipiunt fidem per baptismum sanguinis, cùm Catecumeni, siue valdè instructi, siue incipientes tantùm pro fide Catholica martyrium patiuntur. Alij vocantur, sed per baptismum flaminis; idest, per votum, seu desiderium baptismi nequeuntes illum in effectu recipere, è vita decedunt. Alij tandem adulti vocantur ad fidem ex Paganismo, Mahometismo, vel Iudaismo, & benè instructi baptizantur. Verùm,vt in Not.dixi, hæc vocatio, & responsio per baptismi, ac fidei etiam Catholicę receptionem in adultis, non est præcisum signum, nec certus prædestinationis effectus; alioquin omnes Catholici essent prædestinati, & tamen Christus, *Matth.20.10.* ait, *multi sunt vocati, pauci verò electi*. Vocatio ergo est quidem in aliquibus, at non præcisus, & proprius prędestinationis effectus.

Paruuli dicuntur vocati per habitum fidei & per eum dicuntur fideles.

Alij per martirium.

Alij per votū baptismi si nequeunt eum habere.

276. De iustificatione pariter idem dicendum; quia innumeri vocati sunt, & nedum per baptismum iustificati; sed & alijs vicibus per Sacramentum pœnitentiæ; & tamen pereunt. Et proinde iustificatio etiam est prędestinationis signum, & effectus in aliquibus,at non proprius, ac præcisus; sed alia (vt infra) debent esse ipsi adiuncta; nempè finalis iustificatio, & perseuerantia

2. Est iustificatio in aliquibus, non in omnibus, nisi sit finalis.

rantia in illa. Hæc est verus prædestinationis effectus.

3. Glorificatio.

277. De glorificatione tandem nulli dubium est, quòd sit vltimatus effectus, ac terminus prædestinationis; ad hanc enim Deus prædestinauit: ideò ait Saluator Matth. 25. 46. *Ibunt iusti in vitam æternam*. Vndè Magist.sent.in lib.2.dist.40. ait, *Sicut enim prædestinationis effectus illa gratia est, qua in præsenti iustificamur, atque ad rectè viuendum, & in bono perseuerandum adiuuamur, & illa quâ in futura beatificamur.*

Alij effectus proprj prędestinationis ex S.August.

278. Dico 2. effectus prædestinationis, qui solis prædestinatis competunt sunt sequentes ex Augustino.

Quomodo prædestinati corripiũtur,& resipiscunt.

S.Doctor in lib.de Correp. & gratia cap.7.inquit. *Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista diuinæ gratiæ largitate discreti sunt; non est dubium, quod, & procuratur eis audiendum Euangelium, & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ dilectionem operatur, vsque in finem perseuerant, & si aliquando exorbitant, correpti emendantur; & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt; & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate periculis huius vitæ, mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui elegit eos in filio suo ante mundi constitutionem per electionem gratiæ*: & in fine capitis ait, *aut si qui deficiant, reparentur antequam vita ista finiatur, & deleta, quæ intercurrerat iniquitate, vsque in finem perseuerantia deputatur*: & in cap. præced. discutiens illud Act. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, ait; *Quis in æternam vitam potuit præordinari, nisi perseuerantiæ dono? Quandoquidem, qui perseuerauerit*

rauerit vsque in finem, hic saluus erit: qua salute, nisi æterna?

279. Et in cap. 2. distinguens adiutorium gratiæ datum Adamo ab illo, quod datur hominibus post lapsum, vt benè operentur (de quibus nos in suo loco) loquens de adiutorio dato prædestinatis ad perseuerandum, inquit non sufficere adiutorium *sine quo non perseueraret*, sed datur eis adiutorium *quo*, ideſt quo Deus facit perseuerare, ideſt, efficax, *nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam prædestinatis; non tamen tale adiutorium (* ideſt sine quo *) perseuerantiæ datur; sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solum, vt sine illo dono perseuerantes esse non possint, verum etiam, vt per hoc donum, non nisi perseuerantes sint*: efficacia ergo ad perseuerandum finaliter in sanctitate, eſt verus, & proprius prædestinationis ad gloriam effectus.

Adiutoriũ datum prędestinatis, eſt quo perseuerent finaliter.

280. Ijs autem, qui curiosè inuestigarent, cur donum perseuerantię finalis vni detur, alteri non detur, æqualiter vtroque disposito, ad rem nostram respondet S. Auguſt. in lib. *de Bono Perseuerantiæ cap. 9.* sicut respondet de Prædestinatione vnius, & non alterius, his verbis, *ex duobus itaque paruulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate grandibus impijs, cur iste vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem pijs, cur huic detur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt iudicia Dei.* Et pro nostra, ac sua conclusione statim subdit. *Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse.* En ergo prędestinationis indissolubilis effectus; fina-

Cur ijs detur, nõ alijs respõderi nequit.

Nisi quia inscrutabilia sunt iudicia Dei.

finalis nempè perseuerantia.

281. In lib. 1. Retract. cap. 18. de eiusmodi Prædestinationis effectibus ait. *Sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundum propositum Dei. Non enim omnium, qui vocantur talis est, sed tantum electorum.* Et verum hoc esse probatur ex illo Act. 13. 48. cùm prędicante Paulo cum Barnaba in Perge Pamphiliæ coram multitudine Iudæorũ, & Gentium, Gentes crediderunt, Iudæi verò eos eiecerunt. Dicit autem textus, *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam*; igitur effectus prædestinationis est aliquem ita vocari, vt vocantem sequatur.

Vocatio eorũ fit secundũ propositũ Dei.

282. Alij præclari effectus prædestinationis sunt, quos vno verbo enunciat Apostolus Rom. 8. 28. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Interl. *bonum*, dicit, *non recedentibus, sed vsque in finem manentibus.* Gloss. ord. *Scimus*, ait, *non solum hoc facit Spiritus Sanctus, sed etiam facit omnia diligentibus se prouenire in bonum, prospera, vel aduersa. Tales enim Deus consolatur prosperis, exercet aduersis. Prosunt enim mala, quæ fideles piè perferunt, vel ad emendanda, siue demenda peccata, vel ad exercendam, probandamque iustitiam, vel ad demonstrandam huius vitæ miseriam; Quamuis enim mors carnis de peccato primi hominis originaliter venit; tamen bonus eius vsus gloriosos martires fecit, &c.* & infra, *secundum propositum*, ait, inde est, *quod omnia cooperantur in bonum, non ex merito.*

Prędestinatis omnia cooperantur in bonum.

Prospera, & aduersa eis prosunt ex Dei gratia.

Et S. August. *lib. de Grat. & lib. arbitr. cap.* 17. hunc Apostoli locum valdè exagerat pro electis, dicens primò, cum eodem Apostolo ad Philip. 2, *Certus sum quoniam, qui operatur in vobis bonum opus*

opus perficiet vsque in diem Christi Iesu. Vt ergo velimus sine nobis operatur, Cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo, vel operante, vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus; De operante illo, vt velimus dictum est, Deus est, qui operatur in nobis, & velle. De cooperante illo, cùm iam volumus, & volendo facimus; *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quid est omnia? nisi, & ipsas terribiles, sæuasque passiones? Sarcina quippè illa, quæ infirmitati grauis est, leuis efficitur Charitati.*

S. Augustini quomodo omnia cooperantur in bonum prædestinatis.

283. Et in can. 27. *Talibus*, *de Pœnitentia dist.* 2. habetur. *Talibus diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, vsque adeò prorsus omnia, vt etiam si qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum.* Glossa ibi, ait, dupliciter accidere potest, quòd electis, seu sanctis deuiatio, seu exorbitatio possit in bonum proficere; primò per pœnitentiam fortiores resurgunt; & citat pro hoc dicto multos Canones: secundò ait, potest intelligi proficere ad bonum, pœnas, quibus à Deo affliguntur, quia se recognoscentes, humiliores fiunt; pro quo firmando canones plures citat. Quoquo ergo modo intelligatur, in bonum prædestinatorum est.

CAPVT XVII.

De diuersis Prædestinatorum gradibus.

284. ADu. quòd prædestinati considerari possunt dupliciter; vel respectu finis, vel respectu mediorum, per quę perueniunt ad finem; Sensus quæsiti.

 idest,

ideſt, gloriam. De vtriuſque gradus differentijs in præſenti loquimur.

285. Dico 1. Reſpectu gloriæ, ad quam Sancti ſunt prædeſtinati, diuerſi ſunt gradus eorum iuxta diuerſitatem meritorum.

Reſpectu termini diuerſi ſunt prędeſtinatorum gradus.

286. Prob. 1. ex 1. Cor. 15. 41. *Stella enim differt à Stella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* Gloſs. ord. ait, *Vna eſt beatitudo, quam iuſti percipiunt, & diſpar retributionis qualitas.* Omnes enim beati recipiunt denarium iuxta parabolam Chriſti, *Matth.* 20. ideſt viſionem, & fruitionem Dei, in quo conſiſtit beatitudo eſſentialis, ſed inæqualiter, tàm intenſiuè, quàm extenſiuè; ideſt aliqui intenſiori modo, & vident alia plura obiecta ſecundaria in Deo, quàm videant alij, qui, & minus intensè; quia ad talem, ac tantam fuerunt à Deo prędeſtinati.

287. S. Auguſtinus hunc Pauli locum pluribus in locis, ſed eodem modo de Beatitudine Sanctorum declarat: in lib. de Spir. & lit. ad Marcellinum c. 28. ait, *Verumtamen ſicut in Regno Dei velut ſtella à ſtella in gloria differunt Sancti; ſic & in damnatione pœnæ ſempiternæ tolerabilius erit Sodomæ, quàm alteri Ciuitati; & erunt quidam duplo amplius quibuſdam filij gehennæ.* In lib. de Sancta Virginitate c. 26. loquens de beatitudine eſſentiali, & accidentali, iuxta Chriſti, & Pauli dicta, inquit, *quos prædeſtinauit, vocauit, iuſtificauit, & glorificauit. Hic eſt ille denarius merces omnium. Stella tamen differt à ſtella in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum; hæc ſunt merita Sanctorum. Si enim cælum ſignificaretur illo denario; nonnè in Cælo eſſe eſt commune omnibus fidelibus? & tamen alia eſt gloria Solis, alia Lunæ, alia Stellarum.*

Locus Pauli iuxta Auguſtini ſenſum declaratus.

288. At in *lib. de cognitione veræ vitæ*, ſi ſit Augu-

Augustini cap.45. nedum repetit idem; sed soluit argumentum, quod fieri posset contra dictum Pauli de claritate beatorum, stellis comparata, nam Saluator comparat beatos soli, non stellis, dicens Matth.13. *Fulgebunt iusti sicut Sol in regno Cælorũ*,inquiens,*videtur Apostolus Domino contrarium sentire, quia hic velut solem fulgere asserat,ille quosdam velut diuersas stellas,alios velut Lunã,alios velut Solẽ fulgere astruat.Sed sciendum est,quòd Dominus gloriam Sanctorum generaliter expressit: Apostolus autem singulorum gloriam pro meritis distinxit. Vltimus ergo in regno Cælorum, vt Sol fulgebit, qui tunc septies clarior, quàm nunc erit; & in hac claritate tantum quisque ab alio pro meritis differt, quantum stella à stella in claritate; Alij autem hos in tantum diuersæ claritatis gloria ita præcellunt sicut Lucifer Pleiades,Luna Luciferum, Sol Lunam in claritate excellunt. Nos autem omnes, tantum corpus Christi in claritate excedit, quantum Creator creaturas transcendit. Vndè & in dextera Patris sedere scribitur; quia in gloria diuinæ maiestatis fulgere creditur,&c.* vbi S.Doctor, nedum de diuersitate gloriæ animarum, sed etiam corporum, cùm post resurrectionem erunt in Cœlo, loquitur; & consequenter ad dictum Pauli dicentis, *sic & resurrectio mortuorum*; immò principaliùs de hac loqui videtur Apostolus, quia de resurrectione corporum loquitur.

Cur Christus sanctorum gloriã soli tàm comparat, Paulus verò stellis.

Idem prædixerat Daniel c.12. *Qui docti fuerint fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Diuersitas gloriæ in beatis.

289. Prob.2. ex Io. 14. 2. vbi ait Saluator, *in domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Interl. dicit, *diuersa præmia meritorum*.Glos.ord.inquit,

Ex Christi oraculo diuersæ, sunt gradus gloriæ.

beati, etsi differentes, nullus tamen alienabitur à domo, in qua quisque habet mansionem pro merito. Per denarium quidem omnibus significatur vna, & non diuersa viuendi in æternitate mensura. Per mansiones significantur diuersæ dignitates in eadem æterna vita; quia alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. In domo Dei idest in templo Dei, in regno Dei, hominibus iustis multæ sunt differentiæ inter se, & hæ sunt mansiones ipsius domus Dei. Hæ autem sunt paratæ in prædestinatione, sicut ait Apostolus, qui elegit nos ante mundi constitutionem in prædestinando, &c.

Denarium quid significat, quid mansiones diuersæ.

290. Prob. 3. ex alijs Sac. Scripturæ locis, Psal.61.*Reddet vnicuique iuxta opera sua*. Matth. 16.dicit. *Christus filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua.* 2. Cor. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet*, & tandem Concil. Florent.in decr.Vnionis Græcorum, quod est in *Const.*17. *Eugen.*4. *§.6.* ait *Innocentium, ac decedentium in gratia, &c. animas in Cælum mox recipi, & clarè intueri ipsum Deum Trinum,& vnum, sicuti est; pro meritorum tamen diuersitate, aliam alia perfectiùs.*

Prædestinatorum gradus quoad media, sunt diuersa.

291. Dico 2.Prædestinatorum gradus etiam quoad media,& in via sunt diuersi.

Prob. facilè. In Ecclesia sunt diuersi ordines, ac status Personarum, ex quibus omnibus complures per opera suo statui conuenientia saluantur; igitur media diuersa sunt, & idcircò gradus diuersi. Anteced. præter quam quòd manifestum est, asseritur ab Apostolo in 1.Cor.12.28. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro, & quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia. Primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores,*

res, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli, numquid omnes Prophetę? &c. & ad Ephes.4.11. *Christus ascendens super omnes Cælos, dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Euangelistas; alios autem Pastores, & Doctores ad consumationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei.* Ex his hominum gradibus plures saluati sunt, & saluabuntur: at ad hæc ministeria peragenda fuerunt à Deo prædestinati.

Diuersi status fideliū.

Diuersa munera.

293. Prob.2. ex mirabili illa Saluatoris parabola Matth.13.47. vbi de Ecclesia loquens, ait, *Simile est regnum Cælorum sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti, quàm cùm impleta esset, &c.* in hac similitudine plura complecti voluit, & quòd in Ecclesia adsint boni, & mali Christiani, & quòd inter vtrosque adsint diuersi status, & conditionis Christiani, quilibet in suo ministerio applicatus.

Ecclesia volut sagena est congregans diuersa piscium idest, fideliū genera

294. Et Sacræ Scripturæ interpretes, in illum Pauli locum ingeniosè formant corpus Christi, quod est Ecclesia visibilis, dicentes, primùm posuit *Apostolos*, secundò *Prophetas*, vt oculos, tertiò *Doctores*, vt linguam. Et sic successores Apostolorum primi omnium; & Papa prior, quia Petri successor, & super omnes. Deindè *Virtutes*, idest miraculorum insignium operatores; hi sunt *manus* Ecclesię: exindè *gratias curationum*, idest curatores morborum: posteà *opitulationes*, idest, qui alijs opitulantur, vt ægris, pauperibus, miseris, peregrinis, hospitibus. Postea *gubernationes*, idest qui alios regunt, & gubernant, & corri-

Corpus Ecclesiæ quomodo formatum.

corrigunt, vt Parochi, &c. Ponunt postea, *genera linguarum, & interpretationes sermonum*, eos scilicet, qui hæc dona à Deo habent ad docendum, & illuminandum cœteros, qui in Ecclesia sunt fideles, ac populi, & plebes; hi autem omnes à Deo sunt ad hæc omnia prædefiniti, in quibus, si iuxta Dei, & Ecclesiæ leges operentur, æternæ gloriæ mercedem obtinebunt, quamquam per media diuersa.

Membra Ecclesię, quę.

295. Prob. pręterea ex prolixo discursu Apostoli 1.*Cor.*12. vbi omnia numerat munia, quæ à spiritualibus ad bonum, & vtilitatem proximi in Ecclesia Dei exercentur, per quæ ad ęternam vitam perueniri potest, quę à Deo illis sunt ab æterno prædestinata, dicens. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto, diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus, & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum; alij prophetia, alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult. Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa; omnia autem membra cum sint multa, vnum tantum corpus sunt: ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi; & omnes in vno spiritu parati sumus; nam & corpus non est vnum membrum, sed multa.* Et discurrit postea per

Diuersi spiritualium ordines, & dona Spiritus S.

Omnes sunt Ecclesiæ membra.

per singula membra, cor, os, pedes, manus, oculos, aures, &c. quæ quidem ex Dei dispositione non eumdem, sed diuersum actum habent in eodem tamen corpore naturali. Sic & omnes fideles membra quidem diuersa sunt, & ministerium diuersum ex Dei dispositione habent in Ecclesia, quæ est corpus mysticum Christi. Hæc autem ministeria fidelibus conceduntur, vt rectè, ac sanctè, cum Dei adiutorio se gerentes ad diuersorum graduum præmia possint peruenire.

Et diuer[sum] actum h[a]bent.

296. Hæc autem non sunt ita intelligenda, quasi munia, & gratię hìc, & supra à Paulo ennarrata in singulis fidelibus sint media præcisa, ad principalem effectum prædestinationis (scilicet gloriam) acquirendum; tum quia sunt gratiæ gratis datæ, quæ non sanctificant, sed dantur, vt dicit Paulus, *ad vtilitatem aliorum*; tum etiam, quia non adducunt perseuerantiam in sanctitate. Sed in ijs tantùm sunt media ad salutem, *qui secundum propositum vocati sunt*; *ijs enim omnia cooperantur in bonum*; ideoque illa ex fine, obiecto, alijsque circumstantijs rectis exercent. Ab opposito enim complures ijs muneribus, & donis decorati in omni ordine perierunt. Incipiamus ab ordine Apostolico, ex quo præuaricatus est Iudas: ex ordine Diaconorum ab Apostolis instituto, Nicolaus: ex ordine Episcoporum, Paulus Samosatenus, Macedonius, Nestorius, &c. & sic ex omni alio ordine si historias legamus, de quibus omnibus paucis verbis dixit Saluator Matth. 7. 22. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum Cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse intrabit in regnum Calorum. Multi dicent mihi in illa die Domine, Domine nonnè in nomine tuo prophetauimus,*

Quomodo intelligitur quòd isti gradus per[...] ducunt ad gloriam.

Multi cum illis perierunt.

uimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus; & in nomine tuo virtutes multas fecimus; & tunc confitebor illis, quia non noui vos, &c. Etsi ergo multi sint ad fidem vocati, & ad Sacramentorum susceptionem, ac ministrationem, & alia suprema Ecclesiæ Charismata, & sint temporalia Christi membra, & alia cum prędestinatis habeant communia; quia tamen non sunt secundùm propositum vocati, non perseuerant vsque in finem, & proinde non saluantur. Cur autem non his, sed illis donetur à Deo perseuerare, idem prorsus est quęsitum cum eo, cur de massa perditionis à Deo ab ęterno præuisa, aliqui ex tunc fuerunt à Deo discreti, & prædestinati, alij non, cùm neutri adhuc essent pręuisi, an benè, vel malè essent operaturi; & ad vtrumque cum S. Augustino, & S. Paulo respondendum est, *incompræhensibilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius*; & apud Deum non est iniquitas, nec acceptio personarum, sed misericordia, & iustitia, vnde Dauid Psalm. 100. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.*

Ex omni ordine.

Nisi sint secundù propositũ perseuerantiæ vocati, non saluantur.

Cur vni detur, alteri non, respõdetur cum Paulo.

297. Concludamus ergo, quòd prædestinatorum, dum viatores sunt, multi sunt gradus, diuersi status, diuersæ conditiones, diuersarum legũ, naturæ, scriptæ, & Euangelicæ. De fide enim est, quòd in lege naturæ multi fuerũt prędestinati incipiendo ab Adamo, prosequendo per Abel, Enoch, Noe, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Iosephum, Iobum, quamuis alios nesciamus. In lege scripta, seu Mosaica ex eadem Scriptura legimus Sanctos, ac prædestinatos innumeros, quamuis diuersarum conditionum homines, vt Aaronem, Moisem; Prophetas, aliosque multos, de quibus mentionem facit Apostolus ad *Hebr.* 11.

In omni lege fuerunt prædestinati.

In lege naturę.

In Mosaica

Hebr. 11. & alios, quos in Sacro Textu legimus vſque ad Ioannem Baptiſtam, quem Tertullianus ait, *fuiſſe clauſulam Veteris Teſtamenti.* In lege gratię ſcimus tot hominum vtriuſque ſexus, & omnis ordinis, omniſque ſtatus, tàm Eccleſiaſtici, quàm Sæcularis, omniſque conditionis millia multa, ſanctos, ac in bono perſeuerantes vſque in finem deceſſiſſe: inter quos Mater Ieſu Maria, Apoſtoli, & Chriſti diſcipuli, Martires, tàm mares, quàm fœminæ: Pontifices Magni, & Maximi, ſimplices Sacerdotes, Virgines, Viduæ, Monachi, alijque diuerſorum Inſtitutorum Religioſi, Diaconi, Subdiaconi, Acoliti, Exorciſtæ, Lectores, Hoſtiarij, Laici celibes, & vxorati, mulieres ſimplices omnis generis; Domini, famuli, & in qualibet profeſſione, aut arte conſtituti. Ex omni, inquam, iſtorum genere legimus in Martirologio multos in Dei gratia perſeuerantes defunctos; ideòque ab Eccleſia, vt Sanctos venerari: hi ergo ſecundùm propoſitum vocati, ac iuſtificati, & in bono perſeuerantes, poſtea defuncti diuerſis donorum, ac Chariſmatum, & miniſteriorum generibus à Deo conſtituti ea geſſerunt (& alij nunc gerunt) opera, quę glorię, ad quam prædeſtinati ſunt, proportionata erant.

In lege Euangelica.

Omnis generis, ſtatus, ac officij homines ſaluati

CAPVT XVIII.

An Prædeſtinatorum numerus augeri poſſit, vel minui.

298. ADu. 1. Senſum quæſiti clarum eſſe; an ſcilicet dentur aliqui homines, qui adhuc prædeſtinati non ſunt, & poſſint prędeſtinari;

nari; quo casu cresceret numerus prædestinatorum, qui iam ab æterno supponuntur prædestinati. Item ab opposito; an aliquis ex prædestinatis possit damnari; quo casu, minueretur numerus prędestinatorum.

Sensus quęsiti clarus.

299. Adu. 2. rationem dubitandi pro prima quæsiti parte, esse, quia si populi sciunt, prædestinatorum nnmerum augeri non posse, cùm in peccata consuetudinaria continuò labuntur, præscitos se putantes, ac damnatos, non curarent pro suo posse ad bonam frugem redire; quia in prædestinatorum numerum ingredi non possent. Ratio autem pro secunda parte est; quia si dicatur prædestinatorum numerum minui non posse, & prędestinatos damnari non posse; videtur primò lædi eorum libertas; quia non essent indifferentes ad benè, vel malè operandum: secundò, magna concederetur socordia prędestinatis in benè operando. Quilibet enim sic discurreret. Vel sum prædestinatus, vel non. Si sic, vel operer, vel non; vel benè, vel malè, non possum à prædestinatorum numero excidere. Si non sum prædestinatus, quidquid boni agam, non poterit me ad prędestinatorum numerum perducere: igitur edamus, & bibamus, & voluptatibus indulgeamus; quæ absurda sunt.

Ratio dubitandi pro vtraque parte quęsiti grauis.

300. Adu. 3. ex his precisis motiuis inductū fuisse S. Augustinum ad scribendum præclaros illos libros *de Correptione, & gratia, & de Bono perseuerantiæ*. Eo igitur duce hæc quæsita soluemus: in omni siquidem schola, licet diuersis loquendi formulis, vtraque pars quæsiti negatiuè defenditur.

Ex his hominum ignorantiū discursibus S. Augustinus motus est ad scribendum duos libros.

301. Dico 1. Prædestinatorum numerus ab æterno iā prædefinitus augeri nequit, nec minui.

302. Prob.

302. Prob. ex pluribus Sancti Augustini locis. Primus est ex lib. de Correp. & Gratia c. 13. initio. *Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei; quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis. Non de his, qui cum annunciasset, & locutus esset eis, multiplicati sunt super numerum, Psal. 59. Ipsi enim vocati dici possunt, non autem electi, quia non secundum propositum vocati. Certum verò esse numerum electorum, neque augendum, neque minuendum, quamuis, & Ioannes Baptista significet, vbi dicit facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, & nolite dicere apud vos metipsos, Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, vt ostendat sic istos esse amputandos, si non fecerint fructum, vt non desit numerus, qui promissus est Abrahæ; tamen aptius in Apocalipsi dicitur, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim alius non est accepturus, nisi iste perdiderit, certus est numerus:* & pluries ibidem replicat, certissimum, & immutabilem esse fœlicium illorum numerum.

Numerus prędestinatorum non potest augeri, nec minui.

303. Secundus locus est ex epist. 106. *Certus est ergo Dei præscientiæ definitus numerus, & multitudo Sanctorum, quibus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Plura S. Augustini.

304. Tertius ex lib. de Bono perseu. cap. 8. *Deus autem melius esse iudicauit miscere quosdam non perseueraturos certo numero Sanctorum suorum.*

305. Quartus locus est ex tract. 122. in Euangel. Ioann. vbi docet non futurum aliquem prædestinatum supra numerum iam præfinitum ante mundi constitutionem. *Non est,* inquit, *aliquis supra numerum, sed certus est numerus:* & in ser. 154. de tempore 1. ait; *In Congregatione Christiana quantum pertinet ad communionem, & participatio-*

De certitudine infallibili numeri prędestinatorum.

nem Sacramentorum multiplicati sunt super numerum ex psal. 59. Alius est ergo numerus, alij super numerum. Numerus est de quibus dicit Apostolus, nouit Dominus, qui sunt eius. Super numerum autem, quoniam in magna domo sunt non solum vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, &c. Numerus ergo vasa in honorem, supernumerum, vasa in contumeliam.

306. Immò hoc fuit vnum ex ijs, quæ in Augustino sugillabant Massilienses, quòd scilicet docuisset numerum Prædestinatorum sic fuisse à Deo præfinitum, vt nec augeri posset, nec minui: ita scripserunt ad Augustinum Prosper, & Hilarius. Primus sic. *Nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum, nec augeri posse, nec minui, ne locum apud infideles, ac negligentes cohortantium incitamenta habeant, ac superflua sit industriæ, & laboris indictio, cuius studium cessante electione frustrandum sit.* Hæc Prosper. Idem quoque insinuauit Augustino Hilarius. *Si prædestinati, sunt, inquiunt, ad vtramque partem, vt de alijs ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta extrinsecus correctionis instantia?* & post multa, *Inde est, quod & illud pariter non accipiunt, vt eligendorum, reijciendorumque esse definitum numerum velint,*

De hoc etiam Massilienses carpebant Augustium.

S. Prosper sic scribit ad August.

Idem scribit Hilar.

307. Id autem impugnabant Massilienses; non quia ipsi negarent prędestinatorum numerum certum, & prædefinitum esse; sed negabant in sensu Augustini defendi posse, qui ante præuisionem meritorum docuerat factam prædestinationem: ipsi verò qui docebant factam esse ex meritorum præuisione, cùm in eo casu liberi arbitrij vsus concurreret, non agnoscebant eam repugnantiam, quam in sententia Augustini agnoscere dicebant.

Cur impugnabant Augustinũ Massiliẽses

At

308. At si fuisset ab eis quæsitum, an ad ea merita fuisset necessaria gratia efficax, idest faciens facere, nec ne, si secundum igitur ex naturæ viribus essent mérituri, & sic, vt Pelagiani loquerentur; vel si gratiam aliquam vertibilem admitterent, quam homines mérituri possent efficacem, vel inefficacem reddere, in alium inciderent scopulum meo videri non minus incommodum præfato, quia ipsi se discernerent, contra Apostoli dogma, *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti?* dicere enim quis potest, *ego me dignum reddidi, vt prædestinarer*. Si verò asseratur, vt deberet, primum, de gratia per se efficaci requisita ad illa merita, occurrent eadem ab eis afferta inconuenientia, quæ de prædestinatione ante merita, & de definito, ac certo prædestinatorum numero: nam Deus ex se solo prædestinasset ad eam gratiam ex se efficacem, & ad numerum certum talium prædestinatorum.

Discursus contra Massilienses.

309. Prob. vlteriùs conclusio ex dictis *in* 2, *&* 3. capite, omnia quæ Deus facturus est in creaturis vsque ad mundi finem, immò per totam æternitatem à parte post (quoad nos) decreuit ab æterno ex parte ante (quoad nos) quia Deus non habet ante, & post: decreta autem Dei absoluta sunt immutabilia, immò etiam conditionata; quia hæc etiam adimplentur in statu conditionato. Ergo si iam ab æterno prædestinauit certum hominum numerum, hic non poterit alterari per augumentum, vel per diminutionē. Maior, & consequentia probatur ex S. August. in epist. 106. *Nouit quippè Deus quid agat, & quantus numerus esse debeat, primitus omnium hominum; deinde Sanctorum, sicut siderum, sicut Angelorum; neque, vt de terrenis loquamur, sicut pecorum, piscium,*

Alia ratio remissiua.

De immutabilitate Dei.

vola-

volatilium : ſicut arborum , & herbarum , ſicut denique foliorum , & capillorum noſtrorum . Ratio autem (ſuppoſita fide infinitæ ſapientiæ , & potentiæ Dei) videtur euidens ; nam Deus ſua infinita ſapientia ab æterno præuidit omnia , & infinita poſſibilia (immò *vt ex tractatu de Scientia Dei* ipſemet per cognitionem ſuæ eſſentiæ infinitis modis participabilis producit ea poſſibilia in eſſe poſſibili , ſeu, vt dicitur, obiectiuo , ac ideali,) Viſis autem eis , decreuit facere pro tempore ſuo in omni poſſibilium genere ea , quæ ſibi placuit facere . At quoniam nihil nouum , aut inconſideratum poteſt ei accidere, quod inducat ad mutandum decretum , quia , & omnes res , omnia tempora, & temporum momenta , omneſque etiam minimas circumſtantias ex tunc habuit præſentes, ac ſi tunc extarent , ſicut modò ; ideò nunquam poterit habere motiuum , ſeu occaſionem mutandi conſilium ; & propterea immobilia permanent diuina decreta, ne dum quoad prędeſtinationem, & reprobationem , ſed quoad omnia fienda per totam æternitatem .

Poſſibilia in ſuo eſſe à ſcientia Dei quomodo producuntur.

Cur in ſuis decretis nō mutetur Deus.

310. Neque valet obijcere factum circa Niniuitas à Iona relatum, in quo putatur, quòd Deus mutauerit decretum ; præcepit enim Ionę , vt prędicaret Niniuitis, *adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur* . Et tamen eo tempore elapſo , non ſolùm ſubuerſa non fuit Niniue, ſed conquærente de hoc Iona , quaſi eſſet propheta falſus , Deus ei dixit, *quomodo non parcam Niniue Ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquam* 120. *millia , qui neſciunt inter dextrum, & ſiniſtrum* ,

Obiectum de mutatione circa Niniuitas ſoluitur.

311. Non, inquam, valet hoc, vel aliud ſimile ex Sacris litteris obijcere , quaſi Deus mutauerit , vel potuerit mutare ſententiam ; nam facilis

eſt

eſt ſolutio : primò cum D. Hieronymo in cap.3. Ionæ dici poteſt ex Gloſ. ord. *Niniue illa euerſa eſt, quæ mala erat, & bona ædificata, quæ non erat; ſtantibus mœnibus, & domibus euerſa eſt Ciuitas in perditis moribus; & quamuis non ſit factum, quod illi homines timuerunt, Iona prædicante, futurum; factum eſt tamen, quod fuerat Deo præcipiente prædictum*. Et ſic moralis Niniue per Hieronymum, ideſt mores, & peccata Niniuitarum per pęnitentiam, quam egerunt, euerſa, ſeu deleta fuit.

Moraliter ſubuerſa eſt Niniue, de mala in bonam, cõuerſa per pęnitentiã.

166. Et puto, quòd Gloſa malè citat Hieronymum pro hac ſentẽtia, vel Hieronymus ad verbũ accepit ab Auguſtino, qui in lib.21. *de Ciuit. cap.* 24. multò poſt medium, vbi de euerſione Niniue malę intelligi, ait, & Ionas intelligebat de materiali Niniue ſic. *Euertuntur enim peccatores duobus modis, aut ſicut Sodomæ, vt pro peccatis ſuis ipſi homines puniantur: aut ſicut Niniuitæ, vt ipſa hominum peccata pœnitendo deſtruantur. Factum eſt ergo, quod prædixit Deus, euerſa eſt Niniue, quæ mala erat; & bona ædificata eſt, quæ non erat. Stantibus enim mœnibus, atque domibus euerſa eſt Ciuitas in perditis moribus: ac ſic, quamuis propheta fuerit contriſtatus, quia non eſt factum, quod illi homines timuerunt, illo prophetante, factum eſt tamen, quod fuerat Deo praſciente prædictum, quoniam nouerat, qui prædixit, quomodo in melius eſſet implendum*. Et in lib. 18. cap. 44. dixerat, *quod ſi per illam Ciuitatem rectè accipitur Eccleſia Gentium prophetice figurata euerſa ſcilicet per pœnitentiam, vt qualis fuerat iam non eſſet*.

Ex Auguſt. multiplex eſt ſubuerſio.

De Niniue moraliter ſumpta declarat Auguſtinus.

Itaque ſecundùm hos Eccleſiæ Doctores, non fuit mutatum Dei decretum, ſed impletum.

312. Reſponderi poteſt ſecundò, quòd ſi literaliter, & de materiali Niniue intelligatur, commina-

Alia reſpõ. ſi literalis

mina-

minatio euersionis fuit conditionata ex parte Dei, quòd scilicet, si non pænitebat, subuertenda erat; at quia per Regis edictum tota Ciuitas cum dolore peccatorum, & ieiunio egit pęnitentiam, subuersionem effugit. Multæ similes comminationes Dei de malis inferendis Populo Hebraico leguntur in sacro textu, quę caruerunt effectu, eo quòd Populus pęnituit, & ad Dominum est reuersus.

Comminatio erat cōditionata, si non pęniteret.

313. Dico secundò consequenter ad dicta, licet in aliquo sensu dici posset, quod prædestinatus, potest damnari; tamen nunquam damnabitur.

314. Prob. prima pars. A compluribus defenditur, quòd si accipiatur prædestinatus in sensu composito, seu reduplicatiuè, vt prædestinatus, damnari non potest; si verò in sensu diuiso, idest, præcisa prędestinatione, damnari potest, & hoc euidens est. Exempla clara sunt de impeditis ad aliquod opus faciendum, cum tali impedimento illud efficere nequeunt; eo verò sublato possunt. Scotus dicit hoc modo tantùm esse veram propositionem illam, quòd pręde stinatus potest damnari, quatenus poterat non pręde stinari. Ego dicerem (& redit in idem) quòd quantum est de se potest damnari, quia capax est damnationis; sed ab ęterna, Dei efficaci voluntate, cui nemo potest resistere, impeditur, ne talia faciat, per quæ possit damnari, ac damnetur.

In aliquo sensu dici potest, quòd prædestinatus potest damnari.

Quid de sensu composito. & diuiso.

315. Prob. 2. ex Augustino lib. 13. de Trin. cap. 16. *Horum prædestinatorum nemo cum diabolo peribit. Nemo vsque ad mortem sub diaboli potestate remanebit.*

316. Confirmatur ex Rom. 11. 29. *Secundum electionem autem Charissimi propter Patres: Sine*

Nunquam damnabitur pręde stinatus.

pęni-

pænitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei.

Prædeſtinati autem habent hoc Dei donum, & vocati ſunt ſecundùm propoſitum, vt ſæpè dictum eſt. Igitur nefas eſt putare, quòd Deum pæniteat de illo dono, & vocatione, & donum amoueat prædeſtinationis, & ſic aliquis pereat. Sic enim dicit Gloſ. ord. *Electio ab æterno ſine pænitentia eſt, ſcilicet ſine immutatione conſilij Dei. Nam, vt dicit Iacobus, apud Deum non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.*

Idem S. Auguſtinus de Ciuit. lib. 18. cap. 51. circa finem, ait. *Quoniam cogitantur immutabilia diuina promiſſa*, ait Apoſtolus, *nouit Dominus, qui ſunt eius. Quos enim præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, ex eis perire nullus poteſt.*

CAPVT XIX.

An Prædeſtinatorum numerus ſit maior numero Reproborum.

317. ADu. quòd licet de reprobatione, & reprobis adhuc locutus non ſim, & comparatio fieri nequeat, niſi vtroque extremo cognito; quia tamen ſub hac diſputatione de prædeſtinatione omnes de hoc puncto loquuntur, & res ſoluta ſit facilis, ſub eadem nos etiam loquemur. Cur hic agitur de hac re.

318. Adu. 2. quòd comparatio hæc fieri poteſt tripliciter. Primò inter fideles, ac infideles. 2. inter ipſoſmet fideles; an inter hos ſint plures electi, quàm reprobi. 3. inter homines, & Angelos, cum infidelibus ſolis, vel cum his, & dæmonibus. Fugienda verò Origenis hæreſis, quòd Comparatio triplex.

 demo-

demones aliquando acturi sint penitentiam, & saluandi sint, cùm Saluator *Matth.* 25. dicat, *ignem æternum paratum esse Diabolo, & Angelis eius*.

Ex fidelibus pauciores sunt prædestinati.

319. Dico 1. Si comparatio fiat inter fideles, seu Christianos tantùm, pauciores sunt prædestinati, quàm reprobi.

320. Prob. ex clarissima Christi attestatione *Matth.* 20. 16. & *cap.* 22. 14 *multi sunt vocati, pauci verò electi*. Interl. vtrobique *vocati*, dicit, *ad fidem, & electi*, dicit, *ad regnum*, vel gloriam. At nota, quòd in primo loco Saluator præmittit parabolam de Patre familias mittente operarios ad laborandum in sua vinea, quorum aliqui missi fuerunt primo mane; alij circa tertiam, & sextam horam; alij circa nonam, & vndecimam; & quòd facta solutione denarij, &c. Saluator dicit, multi sunt vocati pauci verò electi. Inquit Lyr. *Moraliter hanc parabolam significare, quòd à principio mundi vocati fuerunt homines ad fidem, vt Adam, filij eius &c. Sic in prosecutione Enos Enoch, &c. postea Noe cum filijs, &c.* Et sic prosequente de Abraham, & alijs in lege Moisi, & tandem omnes Christiani in lege Christi, & ex his omnibus in omni lege vocatis in vinea Domini, idest in Ecclesia, ac cetu fidelium, pauci sunt electi. Et vtinam ita non esset. Nam vt omittamus status illos legis naturæ, ac mosaicæ, si statum nostrum legis gratiæ, consideremus, multas Christianorum miriades numerare possemus; omnes quidem ad Christi fidem vocatos, ac in Christo baptizatos; maiorem tamen partem damnationi addictos dicemus, si Hæreticos, Schismaticos, & malos Catholicos sine penitentia decedentes numeremus. Nam extra Catholicam Ecclesiam non est salus *ex Can. loquitur Dominus*; & *can. Alienus est*

Operarij missi in vineam diuersis horis, sunt homines nati in mundo diuersis téporibus.

Pauci autẽ prædestinati. Considerat Auchor omnes status Christianorum.

est 24. qu.1. & ex Concil.Later.4.can.1. De summa Trin. & fide Cathol.cap.1. & ex Concil. Constan.in Constit.Martini V. In secundo autem loco Matth. *multi sunt vocati*, Interl. ait *ad regnum*, & Lyran. inquit. *Multi sunt vocati ad fidem Catholicam, pauci verò electi ad gloriam, quia pauci sunt, scilicet comparatiuè, respectu illorum, qui vocati sunt ad fidem*. At notandum, quòd Hæretici quoque vocati sunt ad fidem Catholicam, quia paruuli in baptismo habitum catholicæ fidei recipiunt, & cùm adolescunt, esto perdant habitum illum per hæresim, tamen continuis illuminationibus à Deo vocantur, licet nolint eis assentiri; quia tamen caracterem baptismi, qui dicitur caracter, fidei adhuc retinent, dicuntur ad fidem vocati. Et sic verum est, quòd inter fideles, idest, baptizatos, plures sunt, qui damnantur, quàm qui saluantur.

Hæretici quoque vocati sunt ad fidem.

321. Dico 2. Si tota hominum multitudo consideretur, maior putatur numerus reproborum, quàm prædestinatorum.

Ex tota multitudine hominũ maior est numerus reproborum.

322. Prob. ex pluribus Sancti Augustini locis: primò ex epist.157.ad Optatum, in qua dicit. *Tàm multos autem creando nasci voluit, quos ad suam gratiam non pertinere præsciuit, vt in multitudine incomputabili plures sint illis, quos in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est:* & assignat rationem, *vt etiam ipsa reiectorum multitudine ostenderetur, quàm nullius momenti sit apud Deum iustum quantalibet numerositas iustissimè damnatorum; atque vt hinc quoque intelligant, qui ex ipsa damnatione redimuntur, hoc fuisse debitum massæ illi vniuersæ, quòd tam magnæ parti eius redditum cerneretur, non solum in eis, qui originali peccato multa addunt malæ voluntatis arbitrio, verùm*

Ex S. Augustino.

etiam in tam multis paruulis, qui tantummodo vinculo peccati originalis obstricti sine gratia mediatoris ex hac luce rapiuntur.

Plura S. August. loca.

323. Secundus Augustini locus desumitur *ex lib.21.de Ciuit.c. 22.* vbi priùs demonstrat in peccato Adæ vniuersam humani generis massam fuisse damnatam, deinde, quòd Deus, vt misericordiam ostenderet, aliquos ex ea massa discreuisset prædestinando, alios in ea damnatione, vt iustitiam ostenderet, reliquisset; & postea subdit. *In qua propterea*(idest massa damnata) *multò plures, quam in illa*, (idest saluatorum) *sunt, vt sic ostendatur, quòd omnibus deberetur; quòd si omnibus redderetur, iustitiam iudicantis nemo iustè reprehenderet.*

Ex facto historico.

Ante diluuium pauci leguntur iusti.

324. Probari potest ex facto historico; incipiendo enim ferè à mundi initio plures semper fuerunt mali, quàm boni, igitur plures fuerunt damnatione digni, quàm saluatione. Assumptum in antecedenti clarum est: Nam in toto illo tempore ante diluuium, idest, per sæcula decem, & septem cum dimidio iuxta Saliani Epocham, non solùm non legimus, multos sanctos, seu iustos; sed è contra legimus ferè omnes malos, nam Gen.6.5.legitur, *videns Deus, quòd multa malitia hominis esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creaui à facie terræ,&c. pœnitet enim me fecisse eos.* De Noe tantùm dicitur, *quòd inuenit gratiam coram Domino*: & Nu.11. dicitur; *corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippè caro corruperat viam suam super terram, præcepit*

Deus dicit cunctum genus humanum malè agere.

Noe dicitur inuenisse gratiam apud Deũ.

cepit Noe, vt formaret arcam, &c. Venit diluuium, & perdidit omnes exceptis octo illis animabus in arca reclusis, Noe scilicet cum vxore, ac tribus filijs Sem, Cam, & Iaphet, cum suis vxoribus. Certè diceremus omnes tunc diluuio ex iusto Dei iudicio damnatos, nisi in *epistola prima Petri c.3.20.* legeremus, quòd Christus ad inferos descendens, *ijs qui in carcere erant spiritibus prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca*. Ex quibus colligimus, quòd aliqui saltem ex illis in Limbo essent. Tempore diluuij aliqui saluari leguntur.

325. A diebus Noe vsque ad quartam generationem, nempè ad Phalegh, cùm homines illius temporis vellent ante diuisionem formare turrim pertingentem vsque ad Cœlum, & confusę sunt linguæ eorum, ideft per annos 132. à diluuio iuxta eiusdem Saliani Epocham, non legimus fieri mentionem de sanctis, seu iustis, licet aliquos credam fuisse. Post diluuium non legimus multos iustos vsque ad confusionem linguarum.

326. A diuisione illorum hominum vsque ad aliam quartam generationem, nempè Thare Patrem Abrahami, non solùm non fit mentio sanctorum, seu iustorum; sed cępit idolatria ingredi in mundum, vt quidam volunt tempore Enos filij Seth, ac nepotis Adę, ideft anno mundi 300. quia de Enos dicitur, quòd cepit inuocare nomen Domini, quasi se opponens ijs, qui falsos colebant Deos: ita putat Torniellus cum alijs. Nonnulli, vt Malderus cum alijs *in tract. de iustitia, & Relig. tract. 10. cap. 7. dub. 3.* docent idolatriam incepisse in malis Angelis, qui adorarunt Luciferum. Sed loquentes de idolatria hominum, quidam putant ex *Sap. 4.* ante diluuium non fuisse idola; sed initium eorum non vniformiter Ab eo tempore legitur innaluisse idolatri generaliter.

miter aſsignant. Tertull. *in lib. de Idolis c.3.* dicit ex artificibus ſtatuas formantibus cępiſſe, & ſic varia eis impoſuiſſe nomina, vt Saturni, Iouis, Martis, &c. S. Epiphanius loquens de idolorum origine idem dicit, quod Tertullianus, inquiens, quòd poſt diuiſionem Gentium id acciderit tempore Ragau filij Phalegh, tunc enim fieri cęperunt ſtatuæ, ac picturæ hominum elegantes, & venerari cęperunt ſub diuerſis nominibus, quod ex Epocha Saliani, ideſt hebraica, accidit anno mundi 1850. Inualuit autem Idolatria tempore Nini filij Nembrod, aliàs Beli: Is enim in Patris memoriam, vt ex Hieronymo, & alijs refert Salianus anno mundi 2000. quia primam ciuitatem Babel ædificauerat, ſtatuam elegantem, illum repręſentantem formari curauit, quam poſtea, cùm poſteri venerati ſunt, tamquam Deum, quem Græci Belum, Latini Saturnum, dixere ex Hieronymo *in cap.46. Iſaiæ*, eique ſacrificia offerebant; & in Caldea numquam ceſſauit idolatria. Vnde ex Vr Caldeorum Deus eduxit Thare cum Abraham, Nachor, & Aram filijs; quod accidit anno mundi 1208. ex Epocha Saliani. Dilatata autem fuit per totum mundum idolatria. In Græciam inuexit Cecrops primus Athenienſium Rex, ex Saliano anno mundi 2495., & in alias partes alij; ita quòd non ſolùm ſtatuas hominum, quos Deos putabant, adorarunt inſani homines, ſed animalium, ipſaque animalia, vt ex Sacra Scriptura habetur, & ex S. Auguſt. de multitudine Dearum, ac Deorum, quos Romani colebant. Totus ergo mundus idola, falſoſque colebat Deos tempore Abrahę; & poſt eum hæc ſola Natio hæbraica Deum verum colebat; huic enim populo tantùm *credita ſunt eloquia Dei, Rom.3.2.* Omnes ergo in-

Quando cępit idolatria, diuerſę ſententiæ.

Tertull.

Epiphan.

Nino tribuitur origo idolorũ, & quare.

Cecrops inuexit eam in Gręcia.

infideles erant excepta hæbraica Natione. Et pro magno miraculo legimus, quòd inter Gentes aliquis sanctus, seu iustus fuerit, vt legimus de Melchisedech, & Iacob, & fortè alij fuerunt, quos nescimus. At quid dicam de Populo hæbraico infideli? In ipsum quoque intrauit Idolatria. Mortuo enim Iosue, sub Iudicibus Populus sæpiùs idolatrauit, ideò sępè fuit à Deo punitus, & redactus in seruitutem plurium Regum Gentilium, & postremò sub Philisteorum iugo. Tempore Regum sub Salomone, tertio Rege, rursus in idolatriam incidit, & prosecutus est sub Roboam, sub quo decem tribus ab eo rebellarunt ad Ieroboam, & cum isto omnes idolatrarunt, & à Salmanasar postea Assiriorum Rege omnes transmigratæ sunt, & dispersę. Sub regibus Iuda duę tribus, Iuda, & Beniamin, quę remanserant cum suis regibus exceptis Asa, Iosaphat, Ezzechia, & Iosia: immò ob Idolatriam permisit Deus, vt Nabuchonosor, cum potenti exercitu Ierusalem inuaderet, ac funditùs templum, ac Ciuitatem totam demoliretur; & captiuos duceret Iudæos in Babiloniam; ex qua post annos 70. redeuntes quinquaginta millia, non legitur, quòd populus vniuersus amplius idolatrauerit, nisi Maccabeorum tempore sub Antiocho rege Siriæ, cùm innumeri Iudęi transierunt ad ritum Gentilium; at non omnes: Et tandem veniens Christus in mundum paucorum fidem inuenit.

Etiam in hębreos intrauit idolatria.

Ex Idolatria potius Hæbrei.

Ierusalem demolita, & direpta ob idolatriam, & ciues captiui ducti in Babiloniam.

327. Ad rem ergo nostram redeuntes, clarè colligitur, quòd ante Christi aduentum paucissimi fuerint fideles; & inter eos non est verisimile, quòd non adfuerint immuneri, immò ferè omnes, reprobi, ideòq; facta omnium nationũ comparatione ab effectu infertur, quòd paucissimi fuerunt

præ-

prædestinati. Post autem Christi aduentum vsque ad nostra tempora quales, quantęque nationes fuerint, modòque sint fideles, & inter fideles quot adsint iniqui, nemo ignorat.

Facta omnium uatio uum comparatione, pauci sunt prædestinati.

328. Dicendum ergo, quòd plures absque vlla comparatione sint reprobi, quàm prędestinati.

CAPVT XX.

Quomodo ergo saluatur, quòd Deus vult omnes homines saluos fieri, si pauci sunt prædestinati?

329. AD 1. hanc esse vnam ex præcipuis huius materiæ difficultatibus, nam si pauci sunt electi, seu prædestinati, & alij prædestinari non possunt, Apostoli dictum 1.Timot.2.4.quòd *Deus velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire*, nullatenus videtur saluari posse; immò, neque aliquid proficere prædicationem infidelibus faciendam, neque correptionem fidelium peccantium; sed omnem laborem, omnemque operam pro eis impensam, vanam, ac frustratoriam euadere. Videndum ergo, quo modo dictum illud Apostoli saluetur.

Grauissima difficultas, & quare.

330. Adu.2. hanc esse vnam ex querelis Massiliensium, seu Semipelagianorum contra Sanctum Augustinum, vt in suis ad istum epistolis referunt Sancti Hilarius, ac Prosper, quòd nempè docuerit Deum aliquos tantùm prædestinasse, alios verò in massa perditionis reliquisse. Et quòd è contra Massilienses docerent, Deum quantum de se est, omnes velle saluare; sed homines suis operibus, sibi damnationem parare. Sic inquit Prosper ex illorum sententia. *Itaque*, inquiunt, quan-

Hęc fuit Massiliensium quęreli.

Eorum opinio, quę

quantum ad Deum pertinet omnibus paratam vitam æternam, quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo spontè crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. S. Ioannes Damasc. lib. 2. de fide Orthod. cap. 29. docuit, *Deum antecedente, ac præcipua voluntate velle omnes salutem assequi.* Et huic sententiæ Damasceni adhærere existimo omnes authores, qui docent ex præuisione meritorum, ac demeritorum factam esse prædestinationem, ac reprobationem, siue merita, ac demerita præuisa sint per scientiam absolutam, siue conditionatam, quam moderni quidam appellant mediam. At S. Augustinus, & cum eo eius omnes sequaces, quos in proemio huius operis retuli, aliter exponunt Pauli locum; ita quòd verum sit, quòd ex massa perditionis Deus non omnes elegerit, saluosque voluerit; sed aliquem determinatum numerum ex illis omnibus lapsis; pro quo declarando

S. Damasc. sententia.

Aliorum eadem sententia.

S. Augustini sententia.

331. Dico. Secundùm S. Aug., &, vt puto, veritatem, dictum illud Pauli, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, non intelligitur de singulis omninò hominibus, sed vel de singulis generibus, seu statibus, atque condicionibus hominum; vel de omnibus ijs, qui saluantur, seu vt dicitur, de singulis generibus, non de singulis generum.

Dictum Pauli non intelligitur de singulis hominibus, sed de singulis generibus hominum.

332. Prob. prima pars ex Enchir. ad Laurentium *cap. 95.* vbi habet, quòd, si Deus vellet, omnes saluarentur, quòd si non saluantur, non vult: sic. *Tunc*, idest, in gloria, *clarissima luce sapientiæ videbitur, quàm certa, & immutabilis sit efficacissima voluntas Dei, quàm multa possit, & non velit, nihil autem velit, quod non possit, quàmque sit verum, quod in psal. 113. canitur, Deus autem noster in Cœlo sursum, omnia, quæcumque voluit, fecit in*

Cælo, & in terra. Quod vtique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit, & quod est indignius, ideò non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit. Vult ergo dicere Augustinus, quòd in Deo non adest velleitas, sicut in nobis; sed omnis eius volitio si sit absoluta, est efficacissima, & non potest à creatura impediri; ideòque si voluisset absolutè omnes, & singulos homines saluare, singuli saluarentur.

333. 2. In eodem Enchir. cap.97. idem repetit, inquiens. *Videndum quomodo sit de Deo dictum, quod ait Apostolus Deus vult omnes homines saluos fieri. Cum enim non omnes, sed multo plures non sint salui; videtur vtique non fieri, quod Deus vult fieri; humana scilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur causa, cur non omnes salui fiant, responderi solet, quia hoc ipsi nolunt. Quod quidem de paruulis dici non potest, quorum nondum est velle, seu nolle. Nam quod infantili motu faciunt, si eorum voluntati indicaretur esse tribuendum, quando baptizantur, cum resistunt quantum possunt, etiam nolentes eos saluos fieri diceremus. Sed apertius Dominus in Euangelio compellans ipsam Ciuitatem, quotiens inquit volui colligere filios tuos, sicut gallina pullos suos, & noluisti? tamquam Dei voluntas superata sit hominum voluntate; & infirmissimis noiendo impedientibus, non potuerit facere potentissimus, quod volebat? & vbi est illa omnipotentia, quæ in Cælo, & in Terra omnia quæcumque voluit fecit, si colligere filios Ierusalem voluit, & non fecit? An potius & illa quidem filios suos ab ipso collig: noluit, sed ea quoque nolente, filios eius collegit ipse quos voluit: quia in Cælo, & in Terra, non quædam voluit, & fecit, quæ-*

Sępè S. August. id docet.

Expressè id docet, & argumēto paruulorū conuincit.

quædam verò noluit, & non fecit; sed omnia quæcumque voluit fecit.

334. Immò in lib.4. cont.Iul.c.8. acriter inuehitur contra Pelagianos dicentes, *Deum velle quidem omnes saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire*; at non fieri saluos, nec venire ad agnitionem veritatis, quia ipsi nolunt; contra quos vtitur insolubili argumento paruulorum, qui damnantur, inquiens. *Hunc sensum vestrum infantes ipsi sua taciturnitate conuincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulsant; immò cum baptizantur reclamant, respuunt, reluctantur; & accipiunt tamen, & inueniunt, & aperitur eis, & intrant in regnum Dei, vbi sit eis æternitatis salus, & agnitio veritatis longè pluribus istis infantibus non adoptatis in istam gratiam ab eo, qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quibus dicere non potest volui, & noluisti, quasi noluisset, quis eorum qui nondum habebat voluntatis arbitrium voluntati eius omnipotentissimæ restitisset.* Et post aliqua. *Si Deus vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, cur tot millia paruulorum, qui non accepto baptismate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, vbi est certa agnitio veritatis? Numquid aut homines non sunt, vt pertineant, quòd dictum est omnes homines? aut aliquis potest dicere, Deus quidem vult, sed ipsi nolunt, qui nondum velle, aut nolle nouerunt?* Dicit Augustinus, quòd Pelagiani id docebant.

335. Idem fusiùs replicat in epist. 107. quæ est ad Vitalem; & probat, quòd si Deus vellet singulos homines saluos facere, singuli salui fierent, quia nullus posset eius omnipotenti, & efficacissimæ voluntati resistere, & omnia quæcumque vu lt, facit.

336. Prob. secunda pars de modo intelli-

gendi dictum illud Pauli ab eodem August. ex eodem Enchir. *cap.* 103. vbi ait, *Per hoc cum in sacris literis legimus, quòd Deus velit omnes homines saluos fieri; quamuis certum sit nobis, non omnes homines saluos fieri: non tamen ideò debemus omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare; sed ita intelligere; quòd scriptum est, qui vult omnes homines saluos fieri, tamquam diceretur, nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum ipse fieri voluerit, non quod nullus sit hominum, nisi quem saluum fieri voluerit; sed quod nullus fiat saluus, nisi quem velit, & ideò sit rogandus vt velit; ideò rogandus est vt velit, quia necesse est fieri si voluerit, & sic intelligendum est, quod in Euangelio dictum est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; non quia nullus est hominum, qui non illuminetur; sed quia, nisi ab ipso, nullus illuminatur. Aut certè sic dictum est, qui omnes homines vult saluos fieri, non quòd nullus hominum esset, quem saluum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos esse pœnitentiam si fecisset. Sed vt omnes homines omne genus humanum intelligamus per quascumque differentias distributum; Reges, priuatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, diuites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adolescentes, iuuenes, seniores, senes: in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus; in voluntatum, & conscientiarum varietate innumerabili constitutos; & si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum, vndè non Deus per vnigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes saluos fieri homines velit.* Et assignat manifestam rationem, cur locus iste Pauli, non pro singulis generum hominibus intelligendus

Quod intelligatur de iis, qui saluantur tantùm.

Vel de omnibus generibus hominum.

S. August. numerat omnia hominum genera.

dus

dus sit, sed pro singulis generibus hominum, inquiens. *Præceperat enim Apostolus, vt oraretur pro singulis hominibus, & specialiter addiderat pro regibus, & his qui in sublimitate sunt, qui putari poterant fastu, & superbia seculari à fidei Christianæ humilitate abhorrere. Proindè dicens, hoc bonum est coram Saluatore nostro Deo, idest, vt etiam pro talibus oretur, & statim, vt desperationem tolleret, addidit: Qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Hoc quippè Deus bonum iudicauit, vt orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium. Quod vtique iam videmus impletum.* Deindè adducit phrasim loquendi Christi Domini cum Pharisæis Matth. 23. *Decimatis mentam, & rutam, & omne olus, inquiens, neque enim Pharisæi, quæcumque aliena, & per omnes terras omnium alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hîc omne olus omne olerum genus; ita illic omnes homines, omne hominum genus intelligere possumus.* Et tandem concludit: *& quocumque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse; quia veritas cantat, omnia quęcumcumque voluit fecit in Cælo, & in terra.*

Et quòd ita sit intelligendus Paulus, ratio manifesta.

Alia scripturæ loca cùm dicũt omnia, nõ cõpręhendunt singula.

§ 137. Secundus S. Augustini locus pro hac intelligentia habetur *in lib. de Corrept. & grat. cap.* 14 vbi assumit probare, quòd Deus quidquid vult de voluntatibus, & in voluntatibus hominum, facit; & quòd dari nequit creatura aliqua, quæ diuinam superet, seu impediat, potestatem, ne fiat quod vult, & inquit; *De his enim, qui faciunt, quæ non vult facit ipse, quæ vult. Et quod scriptum est, quòd vult omnes homines saluos fieri, nec tamen omnes salui fiunt, multis quidem modis intelligi potest, ex quibus in alijs opusculis nostris aliquos commemora-*

Ex Augusti. quæ Deus vult facit, nec potest à creatura impediri.

morauimus: sed hìc vnum dicam. Ita dictum est vult omnes homines saluos fieri, vt intelligantur omnes prædestinati, quia omne genus hominum in eis est, sicut dictum est Pharisæis decimatis omne olus, vbi non est intelligendum, nisi omne, quod habebant. Neque enim omne olus, quod erat in toto orbe terrarum decimabant. Secundum istum locutionis modũ dictum est, 1. Corinth. 10. sic & ego omnibus per omnia placeo. Numquid enim, qui hoc dixit, placebat etiam tam multis persecutoribus suis? Sed placebat omni generi hominum, quod Christi congregabat Ecclesia, siue intus positis, siue introducendis in eam. Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, quæ in Cælo, & in terra omnia quæcumque voluit, fecit, & quæ etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere.

Plura loca ad idem.

338. Tertius S. Augustini locus desumitur ex lib. de Prædest. Sanctorum cap. 8. vbi locum illum, *Deus vult omnes homines saluos fieri,* hoc exẽplo explicat; *Sicut ergo integrè loquimur, cum de aliquo litterarum magistro, qui in Ciuitate solus est; dicimus, omnes iste hic literas docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicumque ibi literas discit: ita rectè dicimus, omnes Deus docet venire ad Christum; non quia omnes veniunt; sed quia nemo aliter venit.*

339. Alia plura sacri textus loca Augustinus obseruat, in quibus verbum, *omnes*, non supponit distributiuè pro singulis generum, sed, vel pro multitudine aliqua, vel pro singulis generibus: in serm. 158. notat illud 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Christo omnes viuificabuntur.* Patet autem, quòd in prima parte *omnes* significat distributiuè pro singulis hominibus naturaliter ex Adamo descendentibus (excepta B. Virgine)

Augustin. plura script. loca adducit pro significato *omnes*.

ne) & tamen in secunda parte non supponit eodẽ modo, vt in prima; quia non singuli homines viuificantur in Christo. Item de hominibus legis Gratiæ dicitur *Isaiæ* 54. & Saluator illud recitat Io: 6. *erunt omnes docibiles Dei*; & tamen maior pars est indocibilis, & infidelis: & in lib. 6. cont. Iul. cap. 23. notat illud Apostoli, *Per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*; & tamen non omnes, nec iustificantur, nec iustificabuntur. *Sicut si diceretur per vnam ianuam omnes intrant in talem domum, sensus non esset, quòd omnes personæ mundi, vel Ciuitatis intrant in eam, sed sensus est, quod omnes qui intrant, per eam intrant.*

340. Confirmari potest hæc Augustini explicatio, quòd nempè *omnes* non intelligatur de absoluta voluntate pro singulis hominibus, immò nec de singulis mundi ciuitatibus, ac Prouincijs. Sine cognitione Euangelij, ac sine baptismo nemo potest saluari; At multæ sunt Ciuitates, & Prouinciæ, in quibus non adest notitia Euangelij, & baptismi; & etiamsi in aliquibus olim fuit per plura sæcula, defecit, nec patet ad eas accessus: quomodo autem credere poterunt, & baptizari, nisi de eiusmodi lege instruantur? Si autem Deus absolutè vellet illos saluos fieri, inueniret modum efficacem, vt possent ad eas penetrare Missionarij, & populos conuenire; At non facit: Ergo signum est, incompræhensibili, & inuestigabili illius iudicio, cur ita non faciat, nec velit, absolutè eos saluos fieri: Quis enim ad amplissimam illam terram, quam dicunt incognitam in finibus Americæ inuexit Euangelium? & quis in ipsam notam Americam ante eius inuentionem per Americum Vespucium, & Columbum; cùm antiqui omnes terrę habitabilis in Occidente

Argum. validum ad idem.

Ad omnes mundi Ciuitates nõ peruenit Euangeliũ & in multis defecit

te columnas Herculeas statuerint, Abilam ex parte Aphricæ, Calpem ex parte Europæ; montes scilicet sic dictos, in laudem Herculis sic appellatos, qui eò vsque terra, marique pugnauit? Quis ad Antipodas, gentes scilicet nobis ex diametro sub terra positas attulit Euangelium, cùm plures Authores tales habitatores negauerint? præ cæteris Plinius in *lib.* 2. *cap.* 67. & inter Catholicos præclarissimi illi Ecclesiæ Doctores, Gregorius Nazianzenus, & Augustinus. Sic enim ait in lib. 16. de Ciuit. cap. 9. *Quòd verò, & Antipodas esse fabulantur, idest homines à contraria parte terræ vbi sol oritur, quando occidit nobis, aduersa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum est, &c.* Adsunt tamen, vt omnes tenent; quomodo autem vult Deus eos saluos fieri, si media salutis eis non concedit? certè fatendum cùm Augustino, quòd Pauli dictum de singulis generum nequit intelligi, quamuis vt dicam in opusculo de Gratia, omnibus omninò adultis gratiam sufficientem Deus largiatur.

Antipodas negauit August.

341. Confirmatur 2. Ex Christi dictis pernecesse concluditur, quòd non singulos generum, vt Augustinus docet, saluos fieri efficaciter velit, nam Matth. 13. 13. assignans rationem cur non clarè, sed in parabolis, ac similitudinibus loqueretur Pharisæis, ait. *Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, & adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis, auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis: incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.* Et Exodi 33. 19. Deus dicit:

Ex Christi dicto infertur idem.

dicit Moisi. *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placebit.* Et hoc est quod exagerat Paulus Rom.9.14. *Quid ergo dicemus, numquid iniquitas apud Deum? absit. Moisi enim dicit: miserebor cui misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor, igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit Scriptura Pharaoni. Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam virtutem meam in terra. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat: dicis itaque mihi, quid adhuc quæritur, voluntati enim eius quis resistit? ò homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Quos & vocauit non solũ ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus,* & cętera plura. Si ergo iuxta Pauli doctrinam, ex Veteri etiam Testamẽto desumpta, *Deus cuius vult tantùm miseretur, & quem vult indurat*; si quosdam homines fecit vasa honoris in gloriam, quosdam contumeliæ in interitum; si per ipsum Paulum motiuum Dei ad sic faciendum, fuit ostensio iustitiæ in interitum vasorum contumeliæ; & misericordiæ in gloriam vasorum honoris: quomodo potest locus ille epist. ad Timot. *Deus vult omnes homines saluos fieri* intelligi nisi in sensu Augustini, scilicet, omnis generis homines; non omnes, & singulos omnium generum? alioquin sibi manifestè contradiceret; cùm in epist. ad Rom. dicat *non omnes*, sed quosdam; in epist. verò ad Timot. dicat *omnes*, cùm tamen *non omnes* salui fiant.

doctrina. Ex Pauli

Incomprę-hensibilia sunt Dei iudicia.

343. Quòd autem ſenſus Pauli fuerit ille, quem docet Auguſtinus, inde colligitur, quia in nuper relato loco ad Rom. dicit, quòd Deus vocauit *ex Iudæis, & ex Gentibus*: notandum, quòd non dicit ***omnes Iudæos, nec omnes Gentes***, ſed ex omni natione, ac religione aliquos, & hos voluit ſaluos fieri; quia hos, & non omnes prædeſtinauit. Idem colligitur, vt Auguſtinus notauit, ex loco ad Timot. ibi enim Apoſtolus præcipit, ***vt fiant orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt; hoc enim bonum, & acceptum eſt coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*** Cur dicit hoc? quia tunc totus mundus erat infidelis, ipſique Reges, & cæteri ſublimes Domini; & quia poterant fortaſſe Timoteus, alijque putare fruſtraneum eſſe pro infidelibus, ac idolatris orare, Paulus tollit dubium, addens, quia de his omnibus ſaluos facit; de omni ſiquidem natione aliquos prædeſtinauit, & mediantibus ſanctorum orationibus, ac miraculis interdum ex illis vocat ad fidem.

Senſus Pauli ab Auguſtino fuit declaratus.

Claræ Auguſtini explicatio.

Dices: ſaluari poteſt apparens contradictio Pauli, ſi dicatur, quòd in loco ad Rom. Deus vellet ſaluos facere omnes, & facere omnes vaſa honoris; at quia præuidit aliquos benè vſuros libero arbitrio cum gratia; alios verò non, ideò illorum fuit miſertus, eoſque fecit vaſa honoris: aliorum verò non fuit miſertus, & fecit eos vaſa contumeliæ.

Argum. in oppoſitum

343. Reſp. S. Auguſt. iam reſpondit ad eiuſmodi obiectionem, cùm ſemper docuerit, quòd poſt præuiſionem lapſus Adami, ac totius poſteritatis cum eo, ſine vlla meritorum præuiſione ex maſſa illa perdita aliquos diſcreuit tantùm ex miſeri-

ſericordia, relinquens cæteros in eadem, ex motiuo iuſtitiæ. Si verò, vt dicit argumentum, diſcretio illa electorum fieret ex præuiſione illorum conſenſuum, qui ab aliquibus præſtandi eſſent vocationi diuinæ, quos alij non eſſent præſtaturi; iam priores dici non poſſent, neque eſſent vaſa honoris ex miſericordia, vt docet Apoſtolus, ſed vaſa gloriæ, & retributiuę iuſtitiæ; & electi illi à ſemetipſis ſe diſcreuiſſent; ſeu præuiſi fuiſſent ſemetipſos diſcreturos à maſſa damnata, contra Apoſtoli dogma 1. Corinth. 4. 7. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris; quaſi non acceperis?* Quomodo autem ſaluari poſſet in ſententia pręfati argumenti, quòd electi in eo caſu non ſe diſcernerent, & non ex ſemetipſis facerent ſe vaſa honoris, & gloriæ, non video: Quod pro ſententia S. Auguſtini clariùs explicare operę pretium cenſeo. Supponamus vnum ex duobus impoſſibilibus pro poſſibili, quorum vnum non cenſetur ab aliquibus impoſſibile, maximè ab Ariſtotile; & eſt hoc. Si plures homines fuiſſent creati ab æterno, & Deus omnibus dediſſet ęqualia auxilia illuminationum, & inſpirationum dependentia tamen ab eorum arbitrijs (ſicut dicemus factum cum Adamo) vt eis vterentur, ſi vellent; & ijs qui vterentur vellet dare gloriam; ſi aliqui vterentur, & alij non; certè primi ex ſemetipſis ſe diſcreuiſſent à ſecundis, & dicere hi poſſent: licet Deus dederit nobis, ſicut & vobis, media, vt eligi poſſemus ad gloriam, ſi vellemus; nos quia voluimus, & vſi ſumus medijs illis, diſcreuimus nos a vobis, & ideò electi ſumus: hanc diſcretionem ab hominibus factam, & non à Deo impugnat Paulus vbi ſupra, & ideò hic modus dicendi non

Ex doctrina Auguſt. clarè ſolui tur argumentum.

Apoſtolo contradiceretur.

Duo caſus rem hanc declarantes.

subsistit. Secundus casus, licet impossibilis, est hic. Supponamus, quòd non ab æterno, sed in tempore vitæ cuiuscumque hominis Deus prædestinet, & reprobet: ac det, sicut dicit argumentum, omnibus æquales illuminationes, ac inspirationes dependenter à liberis eorum arbitrijs,& decernat eligere consentientes, & reprobare dissentientes; & aliqui consentirent, & eligerentur; alij non consentirent,& reprobarentur; Consentientes, iure optimo dicere possent, nostra voluntate in pari conditione secreuimus, seu discreuimus nos ab illis. Hoc non placet Paulo dicenti vbi supra, *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti?* & ad Philipp. 3. *Deus dat velle,& perficere pro bona voluntate*. Ideò modus hic sustineri nequit.

Casus impossibilis, sed rem explicans.

344. Ita prorsus dicendum de casu,seu hipothesi argumenti; si Deus hoc modo elegisset, ac reprobasset, ac fecisset vasa honoris, & contumeliæ: vidisset enim homines, cum æqualibus auxilijs à se dandis, eorum aliquos consensuros, & alios non; & priores elegisset, posteriores verò reprobasset. Et sic vidisset, quòd illi ex semetipsis discreturi se essent à posterioribus, & sic in tempore suæ vitæ actualiter,& in futuro se discernent: hos redarguit Paulus.

Explicatio ad dicta.

345. Igitur duo illa loca Pauli per dicti argumenti sententiam nequeunt conciliari, præsertim, quia *Deus quęcumque voluit fecit*. Hæc pro Augustino, & meo sensu. At vnusquisque in suo sensu abundet.

CA-

CAPVT XXI.

Animaduersiones quædam circa doctrinam de Prædestinatione.

346. ADu. quòd, cùm doctrina de Prædestinatione in sententia præsertim S. Augustini graues videatur pati difficultates, sicut in suo loco diximus, iam excitatas à Fausto, alijsque Massiliensibus, vt ex epistolis Sanctorum Prosperi, & Hilarij ad Augustinum patuit; idem Sanctus Doctor Pauli sententiam secutus, *quia debitores sumus sapientibus, & insipientibus,* in lib. de bono Perseu. quamuis Massiliensium, Faustique argumenta soluisset; quia tamen adhuc sibimet quoque mysterium hoc obscurum videbatur fore Christianis; sapienter, ac piè, de more, studuit pusillis succurrere, nè desidia in bene operando, vel desperatione in resipiscendo obruerentur, certi quòd, quidquid fecerint, nequeant eorum mutari decreta, iam ab æterno, & ab immutabili Deo prædefinita; quædam tradidit documenta pro modo loquendi de hac materia, vt in eius intelligentia tranquillitatem inueniat conscientia.

S. August. difficultatibus occurrit.

Ipsi quoq: mysterium hoc obscurum videbatur.

347. Dico ergo 1. Secundùm Augustinum, docentes materiam de Prædestinatione ab æterno facta, adhuc debent populos instruere, ac monere, vt diuinam legem obseruent, & in virtutibus se exerceant, ita S. Augußt. *in lib. de bono Perseu. cap.* 21. in fine: eius verba sunt sequentia.

348. Prob. ex August. ibidem. Postquam enim docuit perseuerantiam finalem in bono, esse donum Dei prædestinatis collatum, inquit. *Nimiæ contentionis est prædestinationi contradicere, vel de*

Monendi sunt populi de obseruantia legis, & de virtutum exercitio.

de prædestinatione dubitare. Quæ tamen ita populis prædicanda est, vt apud imperitam, vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodammodo ipsa sua prædestinatione videatur, sicut redargui videtur ipsa præscientia Dei, quã certè negare non possunt, si dicatur hominibus, siuè curratis, siuè dormiatis, quod vos præsciuit, qui falli non potest, hoc eritis. Dolosi autem, vel imperiti medici est etiam vtile medicamentum sic alligare, vt aut non prosit, aut obsit. Sed dicendum est, sic currite, vt compræhendatis, atque in ipso cursu vestro ita vos esse præcognitos noueritis, vt legitimè curratis, & si quo alio modo Dei præscientia prædicari potest, vt hominis segnitia repellatur.

Declaratur Augustini documentum.

349. Documentum consistit in hoc, quòd prædestinatus debet benè operari, & Dei, atque Ecclesiæ leges seruare; quia per harum obseruantiam consecuturus est gloriam, & dum Deus eum prædestinauit ad gloriam, prædestinauit etiam ad gratiam, & ad merita; ideò ait Paulus, *sic currite, vt comprahendatis*. Quòd autem Deus præsciat opera illa à prædestinato facienda, non impedit, quin faciat, nec prohibet, aut dispensat ne faciat. Propterea segnis esse nec debet, nec potest in benè operando.

In sacra scriptura semper omnes indifferenter monentur ad bona opera facienda.

350. Hinc est, quòd sapientes à Deo illuminati in sacro textu relati, vt in Veteri Testamento Moises, Dauid, Salomon, Prophetæ, ipseque Ioannes Baptista (clausula, vt ait Tertull. Veteris Testamenti) quamuis optimè callerent, Deum ab æterno omnia præsciuisse futura, item electos, & reprobos; indifferenter tamen omnes ad benè agendum inuitasse; omnibus pænitentiam, Dei cultum in fide, spe, & charitate consuluisse. Sciebat Moises, vt Exodi 33. quòd dixerat Deus, *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placebit,*

cebit: ſciebat, quòd Deus omnes electos agnoſcebat, *noſcebat enim Deus*, vt dicit Apoſtolus, *qui ſunt eius*; & tamen hortatus eſt populum ad legis obſeruantiam, quam etiam in fine vitæ ſeriò inculcauit populo: Deuter. cap. 32. Sciebat Dáuid ex *Pſal.* 138. quòd *Deus cognoſcebat omnia nouiſſima, & antiqua*, & conſequẽter eos, qui ſaluandi erant; & tamen in toto pſalterio ſæpiſſimè hortatur omnes indifferenter ad laudandum, & amandum Deum, & ad ſeruiendum ei. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. pſal.* 2. *Beatus vir, qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis. pſal.* 111. & alia penè innumera ſunt loca, in quibus hortatur homines ad omnium virtutum opera. Dauid ad ea monet.

351. Salomon optimè callebat, Deum cognoſcere omnia futura, & maximè omnium, quæ Deus ipſe facturus erat, quos iam diſcreuerat ab æterno; & conſequenter, quos iam elegerat ad gloriam; & tamen tot libros ſcripſit ad opera virtutum exhortatorios, vt librum Prouerbiorum, Eccleſiaſtem, Sapientiæ librum, ſi ſuus eſt, & Eccleſiaſticum, in quibus omnes Sanctos, ſeu iuſtos etiam ad ea hortatur. Salomon idem facit.

352. Ioannes Baptiſta ſciebat non latere Deum eos, qui electi iã erant ad gloriam: & tamẽ ex Matth. 3. hortatur omnes ad pænitentiam, ad opera miſericordiæ, ac iuſtitiæ. Dixit enim diſcipulis ſuis; *Veniet vir, qui prior me erat, & ante me factus eſt, cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere; Cuius ventilabrum in manu ſua, & purgabit aream ſuam; congregabit triticum ſuum in horreumq́ ſuum; paleas autem comburet igni inextinguibili*. Et tamen hortabatur omnes ad pęnitentiam, inquiens, *Pænitentiam agite, appropinquauit* Ioan. Baptiſta quoq;

nit regnum Dei, nè cæperitis dicere Patrem habemus Abraham. Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Et sciscitantibus illis, quid faciemus? dixit, *qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas similiter faciat.* Et Publicanis interrogantibus, *quid faciemus nos?* dixit, *nihil amplius, quàm quod constitutum est vobis, facietis.* Idest seruate leges pro vestris negotijs statutas. Militibus autem dicentibus, *quid faciemus & nos?* respondit, *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris*: & sæpè hortabatur Herodem ad benè operandum, *& hic eo audito multa faciebat*, & arguebat illum de adulterio incestuoso cum Herodiade.

Ignari quo modo discurrunt de prædestinatione.

353. Hi ergo, & alij Prophetæ non discurrebant sicut alij, qui nolunt acquiescere in Scripturis, & Sanctis, dicentes, si Deus ab æterno prædestinauit me, siue operer benè, siue malè, saluabor. Si reprobauit me, quidquid fecero mali, aut boni, damnabor: Sed omnes ad bonum hortabantur, vt patuit: rationem autem mox afferam, cùm Euangelicam legem percurrerim.

Apostoli indifferenter omnibus prędicabant exercitium virtutum.

354. Apostoli omnes missi sunt ad prædicandum Euangelium, & docendum Iudæos, & Gentiles viam salutis, exercitium verarum virtutum, & vsum Sacramentorum. Cur autem hoc, si Christus sciebat, quinam erant prædestinati, & qui reprobati, & tamen ea facienda, & prædicanda præcepit? Paulus Apostolus, vt cæteros taceam, benè callebat, quòd aliqui in mundo sunt *vasa honoris*, alij *vasa contumeliæ*, nempè illi electi, isti reprobi, vt ex *Rom. 9.* & quòd *antequam aliquid boni, aut mali egerint facta sit ista discretio*, quod plus est; & tamen in omnibus quatuordecim epistolis, & in actibus Apostolorum, quorum maior

Paulus sic faciebat.

pars

pars Paulum tangit, & tamen ad pęnitentiam, ad baptiſmum, ad obſeruantiam Euangelij, ad actus virtutum omnes hortatur.

355. Sed cur de Sanctis iſtis loquor? Sufficiebat exemplar, ſeu doctrinam Sancti Sanctorum Chriſti Domini Saluatoris, Doctoris, ac Magiſtri noſtri, tantùm in medium afferre. Dominus namque noſter, ſcientia beata, & etiam infuſa clarè, & euidenter ſciebat non ſolùm prædeſtinationem, & reprobationem ab æterno factas, & numerum vtriuſque ordinis; ſed etiam perſonas electas, & reprobatas, & quòd *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*: & nihilominus omnes, indifferenter, hortabatur; eiſque pręcipiebat fugam vitiorum, & exercitia virtutum, vt ex tota Euangelij hiſtoria habetur: & quod maximè notandum eſt, quòd non ſolùm Apoſtolis, cæteriſque, quos prædeſtinatos eſſe certò ſciebat, ſed omnibus Iudæis, inter quos etiam quoſdam prædeſtinatos, quoſdam reprobatos nouerat, indifferenter virtutum actus præcipiebat, quos nempè ad ſalutem neceſſarios iudicabat, vel conſulebat, quos ſupererogatorios exiſtimabat.

Chriſtus ipſe qui ſciebat electos, & reprobos, omnes tamen hortabatur ad opera virtutum.

356. Conſtat ergo, quòd Sancti Veteris, & Noui Teſtamenti, ipſeque Dominus Noui Author Teſtamenti, quamuis exiſtimarent in hominum multitudine, aliquos eſſe prædeſtinatos, & alios reprobatos, & quòd vtrique labi poſſent, & laberentur in peccata; adhuc tamen vtroſque ad pęnitentiam hortandos putarunt; item & corrigendos, & ad virtutum exercitia inuitandos.

Vniuerſalis concluſio.

357. Ratio autem, cur corrigendi, & ad pęnitentiam, aliaſque virtutes hortandi, & trahendi ſunt, pro prædeſtinatis, eſt, vt ſæpè cum S. Auguſtino diximus; quia licet gratis, & ſine meri-

Ratio cur omnes monendi.

tis sint electi ad gloriam; tamen ad eam per merita consequendam; & propterea per talia, & talia merita, quæ præuia etiam suasione, vel correptione erunt in executione ponenda. Pro reprobis verò, vt opera bona etiam temporaliter exercendo, minus in inferno ardeant; & quia omnes incerti sunt, an prædestinati, vel reprobi.

358. Dico 2. Secundùm Augustinum, licet verum sit, quòd prædestinati etiamsi quandoque, vel sæpè cadant, tamen in fine vitæ erunt in gratia, & saluabuntur; & reprobi licet vocati ad fidem, & aliquoties iustificati, in fine vitæ erunt in peccato: hęc tamen doctrina non est populis prędicanda; sed prædicandum eis, vt spem habeant in Deo, quòd sint de prædestinatorum numero, & eis consulantur opera pietatis, orationis, &c.

Hæc doctrina de prędestinatione, non est populis promulgāda; sed prędicandum est eis, vt sperent in Deo.

359. Prob. 1. pars ex S. Augustino totidem ferè verbis id docente in *lib. de Bono Perseu. cap. 22.* vbi postquam multa dixit de certitudine salutis prædestinatorum, & de certitudine damnationis reproborum, quæcumque temporaliter faciant, siue illi mala, siue isti bona; quia diuina præscientia falli non potest; inquit tamen non esse hoc modo populis prædicandum. Eius verba sunt. *Pronunciari non potest, vt dicatur, & si qui obeditis si præsciti estis reijciendi, obedire cessabitis. Nempè hoc verissimum est, ita sanè: sed improbissimum, importunissimum, incongruissimum, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini infirmitatis humanæ apposito.* Id enim induceret segnitiem, & in aliquibus malè habituatis, fortè desperationem.

Documentum salubre Augustini.

360. Prob. Secunda pars ex eodem Augustino ibidem, vbi modum prædicandi de prædestinatione sic insinuat. *Illum etiam modum, quo vtendum*

dum esse in prædestinationis prædicatione nos diximus loquenti ad populum (idest factam gratis , & sine meritis) non existimo debere sufficere , nisi hoc , vel huiusmodi aliquid addat , vt dicat . Vos etiam ipsam obediendi perseuerantiam, à Patre luminum , à quo descendit omne datum optimum , & omne donum perfectum, sperare debetis , & quotidianis orationibus poscere ; atque faciendo confidere , non vos esse à prædestinatione populi eius alienos ; quia etiam hoc vt faciatis ipse largitur . Absit autem à vobis , ideò desperare de vobis , quoniam spem vestram in ipso habere iubemini,non in vobis . Maledictus enim omnis homo , qui spem habet in homine ; & bonum est confidere in Domino , quam confidere in homine , quia beati omnes,qui confidunt in eum . Et hanc spem tenentes seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore ; quoniam de vita æterna, quam filijs promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus , nisi cum consumata fuerit illa vita , quæ tentatio est super terram, sed faciet nos perseuerare in se vsque in eius vitæ finem, cui dicimus quotidiè, nè nos inferas in tentationem . Hæc atque huiusmodi , cum dicuntur, siuè paucis Christianis; siuè multitudini Ecclesiæ, cur metuimus Sanctorum prædestinationem , & veram Dei gratiam, idest, quæ non secundum merita nostra datur , sicut eam sancta scriptura prædicat , prædicare ? An verò timendum est,nè de se homo desperet, quando spes eius ponenda demonstratur in Deo ; non autem desperaret , si eam in seipso superbissimus , ac infelicissimus poneret ? Et postea aliud subdit non minus vtile documentum, nempè, considerandum esse , quòd Ecclesia ex sacris scripturis hanc eruit praxim , vt semper ab initio orationes faciat pro vitæ æternæ acquisitione, quia secura non est, quinam saluan-

Modus prędicandi de prædestinatione ex August.

Valdè cõsiderandũ documentum .

uandi sint, & qui non, sed omnes eius filij salutem sperant; dicens. *Atque vtinam tardi corde, & infirmi, qui non possunt, vel nondum possunt scripturas, vel earum expositiones intelligere, sic audirent, vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, vt magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit, & habebit Ecclesia ab exordijs suis donec finiatur hoc sæculum*. Hæc S. Doctor ad consolationem fidelium incapacium, vel etiam capacium huius mysterij.

Ecclesia orat pro omnibus, quia nescit qui sint, vel non sint prædestinati.

361. Dico 3. Secundùm eumdem Sanctum Augustinum, nullum fidelem deterrere debet, quòd prædestinatio, facta sit gratis, & sine nostris meritis, sed ex Dei misericordia, quoad electionem; sicut si ex meritis fieret, non deterreret, quòd Deus præsciat quales futuri sunt homines, siue boni, siue mali: ita S. August. *in lib. de Bono Perseu. cap. 15.*

Cur deterrere non debet fideles, quod prędestinatio facta sit, sine ex meritis, siuè absque illis.

362. Prob. & declaratur. S. Doctor audiens quòd quidam in Monasterio murmurabant de eius doctrina de prædestinatione sine meritis iam ab æterno facta, dicentes, si prædestinati sumus, etiamsi legi diuinæ non obedimus, dabitur nobis gratia, vt à peccato surgamus, & obediamus, atque in ea obedientia vsque in finem perseueremus. Si verò non sumus prædestinati, etiamsi nunc habemus gratiam obediendi legi, & seruandi eam; auferetur à nobis talis gratia, vt ab obedientia, & obseruantia legis cessemus: Et hic discursus eos terrebat. Inquit Augustinus. Dato, quòd prædestinatio facta esset ex meritis, & reprobatio ex demeritis (sicut facta est) Deus certò, & infallibiliter scit an boni, vel mali futuri estis, an saluandi, vel damnandi, & vos de alterutro incerti estis, nec vos deterret hæc certitudo

prę-

præſcientiæ Dei, & incertitudo ſcientiæ veſtræ; cur deterrebit vos ſcire, quòd Deus prædeſtinauit ex gratia, & ſine meritis, cùm ſitis incerti, an de illis ſitis, vel non ſitis? Hic eſt Auguſtini ſubtilis, & conuincens diſcurſus; quia tamen verba eius neruoſiora ſunt, ea adducam: inquit. *Iſta cùm dicunt, ita nos à confitenda Dei gratia, ideſt, quæ non ſecundum merita noſtra datur, & à confitenda ſecundum eam prædeſtinatione Sanctorum deterrere non debet, ſicut non deterreret à confitenda præſcientia Dei, ſi quis de illa Populo ſic loquatur, vt dicat. Siuè nunc rectè viuatis, ſiuè non rectè; tales vos eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſciuit, vel boni, ſi bonos, vel mali, ſi malos. Numquid enim, ſi hoc audito aliqui in torporem, ſegnitiemque vertantur, & à labore procliues ad libidinem poſt concupiſcentias ſuas eant; propterea de præſcientia Dei falſum putandū eſt, quod dictū eſt; Nonnè ſi bonos Deus illos futuros eſſe præſciuit, boni erunt in quantalibet nunc malignitate verſentur: ſi autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur.* Et narrat poſtea exemplum de quodam Monacho, qui corripiebatur, vt facienda faceret, & non facienda non faceret, & reſpondebat, *qualiſcumque nunc ſim, talis ero, qualem me Deus futurum eſſe præſciuit; qui non proficiebat in bonum, ſed vſque adeò profecit in malum, vt deſerta Monaſterij Societate, fieret canis reuerſus ad uomitum; & tamen adhuc qualis ſit futurus incertum eſt*: & concludit illud caput ſic. ***N****umquam ergo propter huiuſmodi cauſas, ea quæ de præſcientia Dei vera dicuntur, vel neganda ſunt, vel tacenda; tunc ſcilicet, quando ſi non dicuntur, in alios itur errores.*

363. Ex his igitur Sancti Auguſtini documētis patet primò, quòd etiam ſi teneatur, quòd prędeſti- Corollaria notatu digna.

destinatio facta sit ante præuisionem meritorum nullus Catholicus præiudicium, vel turbationem ex hac sententia pati potest; quia cùm nesciat, an sit vnus de illis, nec ne, & audiat, multos per aliquod tempus malos, deindè conuersos, sanctè vitam finisse; sperare debet, quòd ex Dei misericordia sit vnus de illis, & maiori cum spe, si eiusdem gratiæ diuinæ ope experiatur, se in Dei, ac proximi Charitate, virtutibus alijs, ac pietatis actibus exercere, quamuis certò non sciat, quid de se decreuerit Deus. Sicut, si ipsemet Catholicus teneat, quòd ex præuisis meritis Deus prædestinauerit Sanctos, & ipse nesciat, an sit vnus ex illis hoc modo prædestinatis, credit tamen, sicut debet, quòd Deus præscit, an sit vnus ex illis, vel non; nullum ex hoc patitur præiudicium, vel turbationem, sed sperat in Dei misericordia, quòd vnus ex illis sit.

Siuè teneatur prędestinatio ante merita, siue post, nemo turbari debet & quarè.

364. Patet 2. quòd siue teneatur, prædestinationem factam esse ante, siue post præuisionem meritorum, in vtroque casu fugienda est desidia, socordia, & vacatio à bonis operibus. Nam si facta ex meritis præuisis; ista sunt in actu secundo ponenda: si antè præuisa merita, adhuc ista sunt ponenda; quia facta quidem est electio ad gloriam sine meritis, sed dandam per merita; nam gloriæ consecutio est corona, merces, & prę mium, quod non datur sine labore, certamine, ac merito, & ideò Apostoli, Prophetę, Christus Dominus, & ante eius aduentum, Deus in scripturis omnibus, bonis, & malis indifferenter præcepit obseruantiam legis naturæ, decalogum, & Iudæis alia supra quingenta; & tamen sciebat, quinam essent electi, quiue reprobi, & neminem exclusit ab eorum obseruantia.

Socordia fugienda in vtraque sententia.

365. Pa-

365. Patet 3. neminem Catholicum, neminemque Hæreticum poſſe ſe ſubtrahere à correptione, ſi malè operatur, eo nixus fundamento, ſi ſum prædeſtinatus, Deus ipſe, vt ſit firmum eius propoſitum, inueniet viam reducendi me ad bonam frugem, & ad ſtatum gratiæ. Non inquam poteſt ſic dicere homo Chriſtianus; quia licet ſit verum, quòd Deus ſaluabit prædeſtinatum lapſum in quoduis peccatum, etiam hæreſis, vt accidit aliquibus martiribus; qui in prima quęſtione negarunt; & poſtea reſipuerunt; & martyrium ſubierunt; tamen Deus modo ſuaui, ſupernaturali quidem, ſed non miraculoſo, ſemper hoc facit, nempè per concionatores, alioſque probos viros corripientes lapſos, ſicut fecit Deus per Prophetas, & per dilectiſſimum filium: *ipſum audite*, inquit, & poſtea per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores Pontifices, & Epiſcopos, & concionatores, ſicut modò facit; & per eos conuertuntur homines, etiam prædeſtinati, ad pænitentiam, & ad bonam frugem, & ad multa virtutum opera.

Nullus Chriſtianus poteſt, & debet à bono deſiſtere ex eo diſcurſu, ſi ſum prędeſtinatus ſaluabor, ſi reprobus damnabor & quare.

366. Patet 4. quòd licet verum ſit; vt ait Auguſtinus, & fides docet, id certò futurum, quòd Deus ab æterno decreuit ſe facturum, vel ſe ſolo, vel cum conſenſu, & cooperatione creaturæ, & omnia hæc à Deo præſciri, nec poſſe aliter euenire; non proindè poteſt quis deſidiosè viuere, dicens, iam decretum eſt, quod futurum eſt: immò nec putat, ſe poſſe hoc facere; niſi quia ſic ſe facturum Deus præuidit; quilibet ergo in timore, & tremore, prout ſibi à Deo datum fuerit, humiliter pro ſua ſalute operetur, cùm ſibi incertum ſit, *an odio, vel amore finali dignus ſit*.

Ex incertitudine decreti diuini quiſque cum timore ſemper benè debet operari.

CA-

CAPVT XXII.

An possint assignari aliqua prædestinationis signa.

367. AD 1. quòd, ſicut prædeſtinationis decretum eſt myſterium quoddam, ideſt ſecretum Deo ſoli notum, & in genere tantùm Eccleſiæ reuelatum, quòd nempè Deus aliquos prędeſtinauerit, ſeu elegerit ad gloriam, dicente pluries Saluatore, quòd dantur inter homines electi, & propter eos breuiabuntur tribulationes futuræ ante finale iudicium; ita ſecretum, immò ſecretius myſterium eſt, nullique, neque particulari creaturæ, neque ipſi Eccleſiæ reuelatum, qui ſunt homines prædeſtinati, ſi infantes cum baptiſmo decedentes excipias (vt mox dicetur:) nihilominus ex ſacra Scriptura in conſolationem fidelium filiorum Dei, vt cum ſpe, & timore viuant, aliqua eruuntur ſigna, ex quibus poſſunt homines probabiliter colligere, ſe eſſe de prædeſtinatorum numero. Verùm neque illa ſunt adeò certa, vt ex eis poſſit quis infallibiliter tenere, ſe eſſe prædeſtinatum. Hoc autem ex diuina prouidentia factum putamus, vt omnes *cum timore, ac tremore*, vt ait Apoſtolus, *ſuam ſalutem operentur*. Vt autem alacriùs id fiat, aliqua ex his ſignis, vt plurimùm certis, pro adultis fidelibus adducemus.

Prædeſtinatio eſt magnum ſecretum Dei.

Secretius eſt quinam ſint prędeſtinati.

368. Dico 1. Nullus viatorum poteſt cèrtitudine infallibili ſcire, ſe eſſe prædeſtinatum, ſine diuina reuelatione.

Nemo ſine diuina reuelatione ſcire poteſt infallibiliter ſe eſſe prędeſtinatum.

369. Prob. totidem ferè Concilij Tridentini verbis in ſeſſ.6. cap.12. dicentis. *Nemo quoque, quam-*

quamdiù in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædestinationis mysterio vsque adeò præsumere debet, vt certè statuat, se omninò esse in numero Prædestinatorum, &c. Nam nisi ex speciali reuelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit. Et in can.15. *Si quis dixerit, hominem renatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum se certò esse in numero prædestinatorum, anathema sit*.

370. Conf. ex can. *Corripiantur*, estque S. Augustini, 24. qu. 3. vbi habetur. *Corripiantur itaque fratres subditi à Præpositis suis correptionibus, de Charitate venientibus pro culparum diuersitate diuersis, vel minoribus, vel amplioribus*, &c. concludens pro ratione ad rem nostram: *Nescientes enim, quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus Charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri*. Signa ergo certa, & infallibilia non dantur ad cognoscendum sine deceptionis periculo, quòd aliquis sit prædestinatus, vel non, quantumuis enim aliquis sanctè viuat, nec ipsemet de se, nec alij de illo certò, & sine deceptionis periculo iudicare potest esse prędestinatum: non ipse de se, quia etsi sanctè pro aliquo tempore viuat exercendo se in operibus virtutum, in obseruantia præceptorum, & consiliorum; nescit tamen, an sit perseueraturus, aut casurus; ideò Apostolus 1. Cor.10.12. ait. *Qui se existimat stare, videat, nè cadat*: & in cap.4. 4. inquit, *nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*, nam Ecclesiastes 9. 2. dicitur, *nemo scit, an odio, vel amore dignus sit*. Et ipsemet Paulus de se in eadem epist. cap.9. in fine, inquit, *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, nè fortè cùm alijs prædicauero,*

Non datur signum infallibile in aliquo, per quod sciat se prædestinatum esse.

Paulus de se dubitabat.

ipſe reprobus efficiar. Timet Paulus, qui à Chriſto apud Ananiam laudatus erat, *Act. 9.* quòd erat *effectus vas electionis, vt prædicaret eum apud omnes gentes*; quis ergo, cuiuſcumque probitatis vir non timebit caſum? Et multi in Chronicis referuntur magnæ probitatis viri, qui non perſeuerarunt vſque in finem vitæ. Nullus ergo eſt certus de perſeuerantia finali, & conſequenter neque de prædeſtinatione, quæ fert ſecum perſeuerantiam finalem.

371. Neque cognoſcentes aliquem magnæ probitatis virum poſſunt certò ſcire, eum eſſe prędeſtinatum; externa enim vident, nec poſſunt interna penetrare; crebrò enim ſub ouina pelle latent lupi, & cũ eiuſmodi Hipocritis fuit continua concertatio Chriſti Domini, quos vocat modò *lupos ſub ſpecie ouis*, modò *Sepulcra dealbata foris ſpecioſa, intus autem omni ſpurcitia plena*, Phariſęos Hipocritas appellabat: igitur ex ſanctitate externa cognoſci, aut iudicari nequit, aliquem eſſe prædeſtinatum. At dato, quòd quis Hipocrita non ſit, ſed & externè, & internè Sanctus, nemo poteſt iudicare, quòd ſit vſque in finem perſeueraturus, niſi fuerit ſibi à Deo reuelatum, nam Iſaiæ 41. 22. dicitur, *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſcimus, quia Dij eſtis vos*. Vndè meritò Concil. Trid. vt ſupra diximus, declarauit, non poſſe ſine ſpeciali Dei reuelatione ſciri aliquem prædeſtinatum eſſe.

Multi apparent Săcti, ſed non ſunt.

372. Dico 2. Pro Paruulis ante vſum rationis decedentibus ſignum certum prędeſtinationis eſt, ſi cum baptiſmo decedunt.

De paruulis cum baptiſmo morientibus certa eſt prædeſtinatio.

373. Prob. 1. *Ex cap. Maiores de Baptiſmo*, &c. in quo definitur, quòd paruuli baptizati, ſi ante vſum rationis moriuntur, ſaluantur.

Prob. 2.

Prob. 2. ex Concil. Trid. sess. 5. in decr. de pecc. orig. §. 2. vbi habetur. *In renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationis ijs, qui verè consepulti cum Christo per baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & nouum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidē Dei, cohæredes autē Christi, itaut nihil prorsus eos ab ingressu Cæli remoretur.* Paruuli autē ante vsum rationis iam baptizati, renati sunt, & si moriantur, quia secundū carnē non ambularunt; innoxij, puri, & innocentes, hæredes Dei, & cohæredes Christi ex hoc mundo discedunt, & nihil eos ab ingressu Cœlorum remoratur. Ergo est certum signum, quòd sunt de prædestinatorum numero. Ex Tridēt.

374. Dico 3. Pro Adultis iam mortuis, beatificatio, seu canonizatio eorum; seu martirium eorum ab Ecclesia declaratum, siue cultus publicus ab Vniuersali Ecclesia eis tributus, vel permissus; sunt signa certa prædestinationis, & saluationis secutæ. Pro Adultis mortuis, quæ sint prędestinationis signa certa.

375. Prob. de qualibet ex præfatis functionibus. Quælibet enim illarum declarat, eos esse in Cœlo cum Deo regnantes; & ob quamlibet earum, fideles venerantur eos, vt Sanctos; & ad eos suas dirigunt preces, vt pro ipsis apud Deum intercedant, vt praxis Ecclesiæ docet. Nullum autem certius signum dari potest de gloria alicuius, quàm aliquod ex præfatis (si diuinam explicitam reuelationem excipias) quia Ecclesia in Sanctorum declaratione, & cultu infallibilis est. Patet autem, quòd ab initio Ecclesiæ vsque ad nostra tempora, sic semper processum est. Nam præter Sanctos de quibus S. Scriptura Veteris Te-

ſtamenti loquitur, quoſque Apoſtolus ad *Hebr.* 11. commemorat; omnes alij, quos poſt Chriſti aduentum colimus, aliquo ex præfatis modis declarati ſunt Sancti; illoſque, vt tales colimus, ac veneramur; & eorum paſſiones, ac feſta celebrāda ſtatuit *Concil. Cartag. 3. can.* 47. deindè alia poſteriora Concilia; illoſque cum Deo regnare definit *Concil. Trident. ſeſſ. 25. in decreto de inuocat. Sanctorum*, & propterea colendos, & orandos eſſe ex eodem Concilio, ibidem. Illæ ergo declarationes, ſeu venerationes illorum, quæ ab Eccleſia Vniuerſali fiunt, aut fieri conceduntur, ſunt ſigna certa prædeſtinationis. Dixi, *ſi ab Eccleſia Vniuerſali fiunt, vel fieri conceduntur*; quia aliæ particulares, in eiuſmodi cultu aliquorum, poſſunt decipi, & de facto aliquando deceptæ ſunt: nam ſæpè id accidiſſe legimus. Immò hanc ob cauſam Alexander 3. vt habetur *in cap. 1. de reliquijs, & Vener. Sanctorum* decreuit, *neminem de cætero poſſe pro Sancto venerari, etiamſi per eum miracula fierent abſque Romanæ Eccleſiæ authoritate*. Quod poſtea confirmauit Vrban. VIII. per prolixam Conſtitutionem 137. *Cæleſtis*, quia peculiares Eccleſiæ, & populi in his iudicijs decipiebantur; quando autem à Romana Eccleſia, interueniēte Summi Pontificis infallibili decreto aliquis declaratur Sanctus, ſeu permittitur venerari pro Sancto, nullum adeſt deceptionis periculum, & propterea (à poſteriori) eſt prædeſtinationis, & conſecutionis termini illius, nempè gloriæ, certiſſimum ſignum.

Cur aliquos, vt Sanctos colimus.

376. Dico 4, pro Viuentibus, dantur quidem prędeſtinationis ſigna, ſed fallibilia, niſi vſque in finem vitæ perdurauerint.

Pro viuentibus dantur prędeſtinationis ſigna, ſed fallibilia.

377. Prob. 1. pars ex Sacra Scriptura Veteris

ris Testamenti *in psalm.* 14. Dauid sic interrogat Deum. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte Sancto tuo?* S. Hieronymus mistice analogicè locum istum intelligit: sic. *Tabernaculum, hic pro æternitate accipimus.* S. Augustinus eodem modo intelligit, *ait fortasse, iam ipsam æternam habitationem significat, vt montem intelligamus supereminentem Charitatem Christi in vita æterna.* Eumdem sensum secuti sunt alij, & postea Lyranus in eumdem psalmum. Interrogat ergo Dauid Dominum, quis nam destinatus sit habitare cum eo in Cœlo, & Spiritu Dei afflatus, sibi ipsi, quasi respondens, ait. *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, non fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximum suum. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus; timentes autem Dominum glorificat. Qui iurat proximo suo, & non decipit; qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit.* Et concludit. *Qui facit hæc non commouebitur in æternum.* Hæc ergo ex Dauidis sententia sunt signa in sæculo præsenti viuentium, qui destinati sunt à Deo habitare cum eo in sæculo futuro. Declaremus ergo signa ista, vt si in nobis ea experiamur, gaudeamus, confidentes, ac sperantes, cum *securitate* de eorum esse numero. Primum ergo est *ingredi*, alij legunt, *progredi sine macula.* Hic est cardo perfectæ vitæ, carere culpa, & ideò, vt mox dicetur, Saluator dixit, *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* In hoc continetur obseruantia legis naturæ, diuinę, ac positiuæ; qui enim contra aliquod legis præceptum delinqueret, sine macula non esset, neque, cum

Ex Veteri Testamento signa prædestinationis.

Ex psalmo Dauid.

Fundamentum perfectionis est munditia cordis.

cum corde mundo. Et hoc ſuffeciſſet, dicere; at quia munditia interna, & carentia maculæ non videtur exteriùs, adijcit quaſdam notas viſibiles, inquiens, *& operatur iuſtitiam*, ideſt circa Deum, per Religionis actus, & circa homines per commutatiuam, & diſtribuitiuam: ſequitur; *Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua*. S. Auguſtinus, & Hieronymus in eum pſalmum clarè explicant omnes præfatas conditiones, quæ in probo, & ſancto homine Dei adoptiuo filio, & ad æternam vitam deſtinato, debent requiri; & ſuper illud; *qui facit hæc non commouebitur in æternum*, S. Auguſt. dicit, *ideſt perueniet ad illa maiora, in quibus eſt magna, & inconcuſſa ſtabilitas*.

S. Hieron. explicatio.

378. S. Hieronymus 14. conditiones ipſius, tamquam omnem perfectionem continentes, explicat. *Qui ingreditur ſine macula*, ait, *ſine peccatis mortalibus, quia ſine minimis eſſe non poſſumus, & non dixit, qui peruenit ad finem ſine macula, ſed qui in itinere adhuc eſt, & maculam non habet; & non ſufficit non facere malum, niſi fecerimus & bonum. Et operatur iuſtitiam.* Multa de hoc dicit Hieronymus, ſed concludit, *quia iuſtitia prodeſt cæteris miſeris, vel aliter, qui operatur iuſtitiam, ideſt cuſtodit mandata. Qui loquitur veritatem in corde ſuo*, ait, *multi loquuntur veritatem in labijs, ſed non in corde, qui videntur vera dicere, ſed cor cum labijs non conſonat; vel aliter, qui credit in Chriſtum &c.*

Declaratio totius pſalmi docet ſigna prædeſtinationis.

Qui non egit dolum, inquit: *ille doloſè agit, qui aliud cogitat, & aliud dicit, ſicut Propheta*, ait, *Probibe linguam tuam à malo, & labia tua nè loquantur dolum*. Sequitur, *nec fecit proximo ſuo malum* ait Hieronymus, *Proximus noſter, omnis Chriſtianus*

nus est. Quod tibi non uis fieri, alij ne facias, & alibi dicit, diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Et post multa, ait, *omnes ergo homines proximi nostri sunt, & nulli debemus malum facere. Et opprobriũ* &c. dicit, *Numquam à suis vicinis, quasi noxius accusatur. Timentes autem Dominum glorificat: Non diuites, non potentes, sed qui Dominum timent. Opprobrium detractionis de fratre tunc non accepit, si prius non credit illa, antequam probet; ac si dicat. Qui ista custodit, quæ superius dixit, ille est sine macula, & operatur iustitiam, & iste habitabit in tabernaculo, & requiescet in monte sancto suo, hoc est in vita æterna.*

379. Prosequitur Hieronymus: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus,* inquit, *Quicumque malus est, in conspectu Sancti pro nihilo reputatur. Ad nihilum deductus est; quia apud talem Sanctum pro nihilo habetur. Timentes autem Dominum magnificat; scit enim in his habitare Deum, sicut ait Dominus, qui vos diligit, me diligit.*

380. *Qui iurat proximo suo, & non decipit. De hoc dicit, quod iurans minor est in perfectione, quia Dominus dicit non iurare omninò &c. sed sit sermo vester, est, est, non, non. Sententia perfectorum est non iurare, quia anima, quando promittit, Dei præcepta custodit, & proximum decipit, si hoc quod promittit non obseruat.* Sequitur. *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram,* inquit, *& si non peccet quis, eo quod quantum dat, tantum recipit, tamen perfectio non est, quia dictum est, frange esurienti panem tuũ. Et beatius est magis dare, quam accipere. Vsquequò ad ista peruenit, minor est à perfectione.* Perfecti non iurant Perfectio est donare egenti; non verò mutuare sine vsura.

381. *Et munera super innocentem non accepit,* inquit; *Vt non conturbent iudicium veritatis munera offerentes; nè similis Iudæ efficiatur, qui accepto argen-* Munera faciunt præuaricari Iudices.

argenti pondere vendidit innocentem. Sicut Propheta Isaias cap.33. dicit. *Qui excutit manus suas ab omni munere, hic in excelsis habitabit.*

382. Concludit. *Qui facit hæc non mouebitur in æternum*, ait, *quæ si quis irrepræhensibiliter custodierit; non solum à commotione æterni Iudicis securus erit; verum etiam ipsum montem, tabernaculumque cæleste possidere merebitur in Christo Iesu Domino nostro*. Hæc Hieronymus.

Qui hęc custodit prędestinatus est.

383. Hæc eadem prædestinatorum, seu saluandorum signa, ex Nouo Testamento ex Christi Domini oraculo confirmantur. Nam interrogatus à quodam Matth. 19. 17. *Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam*, Saluator autem respondit dicens, *si vis ad vitam ingredi serua mandata*, & eodem, qui supra, iterum interrogante, *Quæ?* Dominus refert præcepta decalogi respicientia proximum, & concludit; *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*: iterum ex cap.22. 38. interrogatus à quodam legis doctore, *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Respondit. *Diliges Dominum Deum tuum &c. & alterum simile huic, diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Et ita in facto est, quia in primo includuntur pręcepta primæ tabulæ. In secundo autem præcepta secundæ tabulæ; & vulgatum est legis naturæ pręceptum ab ipsomet inculcatum, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Obseruantia ergo præceptorum ex Veteris, & Noui Testamenti doctrina, ducit ad æternam vitam; & consequenter, in ijs, qui ea obseruant, est signum prædestinationis. At aliquid aliud requiritur; ideò

Hęc eadē Signa ex Nouo Testamento habentur.

374. Prob. secunda pars conclusionis, quòd scilicet signa hec fallibilia sunt, nisi in habente, per-

perſeuerent vſq; ad mortem: nam Saluator Matt. 10. 27. de patientia exercenda in *perſeuerationibus*, ait, *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*. Et in cap. 24. 13. prædicens tribulationes futuras in fine mundi ob Antichriſti perſecutionem, & deficientiam multorum, atque Charitatis frigeſcentiam, concludit, *qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*: & ex epiſt. Iacobi cap. 2. 10. habetur. *Quicumque totam legem ſeruauerit, delinquat autem in vno, factus eſt omnium reus*. Et ideò Eccleſiaſtici 18. 22. Spiritus Sanctus ſic monet quemcumque fidelem; *Non impediaris orare ſemper; neque verearis vſque ad mortem iuſtificari; quoniam merces Dei manet in æternum*. Et Apocal. 2. 10. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ; & qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo ei poteſtatem*, &c.

Obſeruantia totius legis durare debet, vſque ad finem vitę, vt ſit prędeſtinationis ſignum certum.

Plura Sacræ Sripturę loca.

Et propterea homines quantumuis boni, virtutibus multis ornati, Dei ſeruitio conſecrati, in præceptorum, immò & conſiliorum Euangelicorum obſeruantia exercitati, qui vſque in finem non perſeuerarunt, damnati ſunt, de quibus Apoſtolus Iudas Thaddeus *in epiſt. Canonica num. 8.* exemplificat hoc in Angelis deſertoribus, ſic, *Angelos, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum Domicilium in iudicium magni Dei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit*.

Exemplum de malis Angelis, qui non perſeuerauerunt.

385. Concluſio ergo huius capitis eſt, quòd licet ex Sacra Scriptura aliqua colligamus prędeſtinationis ſigna; quia tamen de perſeuerantia in bono, ſine diuina reuelatione, nemo certus eſt, neque de prædeſtinatione certus eſt. Neque ſibi blandiatur fidelis, cum ſimplici intelligentia doctrinæ Pauli ad Rom. 8. *Quos prædeſtinauit, hos &*

Capitis huius generalis concluſio.

 voca-

vocauit; quos autem vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit, quasi hæc sint necessariò connexa in omnibus vocatis, & ex vocatione, & iustificatione concludatur prædestinatio; quia Paulus loquitur de vocatione secundùm propositum, vt ait Augustinus, & est illa, quæ habet annexam perseuerantiam, quæ nō omnibus vocatis, & iustificatis per baptismum, ac etiam per pœnitentiam conceditur. Vndè Saluator dixit, *Multi sunt vocati, pauci verò electi*,

Ex vocatione ad fidē non concluditur prędestinatio necessariò.

386. Neque sibi quisquam blandiri potest de prędestinatione ex obseruantia mandatorum Dei quia securus nō est de perseuerantia in illa: plures enim fideles in pueritia obseruantissimi sunt mādatorum, & deficiunt in adolescentia; plures deficiunt in iuuentute; plures in virili ætate; & plurimi in senectute, vt docet experientia.

Neque ex sola obser. uantia mādatorum Dei, &c.

Neque quis sibi blandiatur de prædestinatione ob consiliorum obseruantiam, vel gradum Ecclesiasticum, Monasticum, Eremiticum, vel Mysticum; quia nullus istorum securus est de perseuerantia: & vt in Chronicis legitur ex quolibet horum ordine multi lapsi, ac damnati sunt.

Neque ex consiliorū quoque obseruantia.

387. Neque tandem aliquis sibi de prædestinatione blandiatur ob virtutem miraculorum, aut prophetiam, vel aliam similem gratiam gratis datam tantùm, quia de his Saluator *Matth.* 7. 22. inquit, *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonnè in nomine tuo prophetauimus, nonnè in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus? Et ego confitebor illis; quia numquam noui vos; discedite à me, qui operamini iniquitatem*.

Neque ex gratis datis.

388. Omnis ergo fidelis cuiuscumque status, gradus, conditionis, professionis, ac virtutis sit, ti-


timeat cum vase electionis Paulo, ne cadat; & ideò cum eodem *in timore, ac tremore suam salutem operetur, ne reprobus efficiatur*, idest ne cadat in fine. At nihilominus, si fidelis videt, se pro posse, obseruare Dei, & Ecclesiæ mandata, & si quando ex fragilitate labitur, per Sacramentum pœnitentiæ curat surgere; videtque se inclinatum ad opera pietatis in Deum, & ad opera misericordiæ in proximum; & quantum potest in eis se exerceat; timeat quidem, ne in fine cadat, sed confidat, & speret in Deo, *qui non permittet tentari supra posse, sed faciet cum tentatione prouentum*, ex 1. Corinth. 16. 13.

Quisque quantumuis bonus timere debet, ne cadat.

Qui autem præter mandatorum Dei, & Ecclesiæ custodiam, amplectitur Euangelica consilia, aut mysticam exercitationem, timeat quidem cum Paulo, ne cadat in fine; at maiori cum fiducia confidat, ac speret in Deo, quòd ex sua misericordia id non permittet, sed quòd *Deus omnis gratiæ, qui cæpit, perficiet, confirmabit, solidabitque*, ex 1. Petri 5. 10. & cum eodem finem huic Capiti, & Opusculo imponam dicens, *ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.*

Timere quidem debet fidelis; sed confidere etiã, & sperare in Domino.





OPVSCVLVM SECVNDVM.

DE REPROBATIONE MALORVM.

CAPVT PRIMVM.

De nomine, & significato Reprobationis, *eiusque definitione.*

1. 

Du. quòd, tàm apud prophanos, quàm apud Ecclesiasticos authores, ipsosque Sacrę Scripturę interpretes hoc verbum *reprobo* significat abiectionem, seu abhominationem, vel exclusionem, ac reiectionem alicuius rei, quam quis non vult: ita Cicero 4. *Acad.& lib.*1 *de Fin.* In Sacro Textu pluries reperitur vsurpata hęc significatio. Nam psalm. 119. prædicitur Christi Domini abiectio, & oppressio à Iudæis facienda his verbis, *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput Anguli.* Quem Textum de se loquentem adducit Saluator, *Matt.* 8.*& Lucæ* 10. dicens, se *à Senioribus reprobandum*; quod quidem accidit, vt notum est, & Petrus *epist.*1. *cap.* 2. 3. de eo inquit, *ab hominibus quidem reprobatum.* Item cuiuscumque malæ rei confuta-

Reprobare generaliter significat, abijcere.

futatio, seu condemnatio dicitur reprobatio. Psalm. 12. de Deo dicitur, *reprobat cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum*: Et 1. Corinth. 1. 19. *Prudentiam prudentum reprobo*, & psalm. 117. *Nationem filiorum tuorum reprobaui*. Videndum modò est, an verbum istud videatur vsurpatum in Scriptura pro actu illo voluntatis diuinæ, quo ab æterno Deus ratione alicuius mali præuisi in aliquibus creaturis rationalibus, siue Angelis, siue hominibus eas odio habens ob malum illud, eas destinauerit ad æternum supplicium, & hęc destinatio in Sacro Textu dicatur *reprobatio*: his præmissis.

In Sacra Scriptura idem significat.

2. Dico 1. Quamuis in Sacro Textu non habeamus verbum, *reprobo*, significans exclusionem aliquorum hominum à Regno Cœlorum, & destinationem, seu deputationem eorumdem ad pęnam æternam, à Deo ab ęterno factam; habemus tamen æquiualentia verba hoc totum significantia; quæ Sancti Patres, Ecclesiæ Doctores, omnesque Theologi vertunt, dicentes, *reprobationem*. Singulę partes probandę sunt.

Licet hoc verbum, pro condénatione vsurpatum non habeatur in Scriptura, tamen ęquiualens habetur.

3. Prob. prima pars. Nullus adduci potest Textus Canonicus, in quo de verbo hoc *reprobo* fit mentio, vt significante exclusionem à Regno Cœlorum, & damnationem ad ęternas pœnas à Deo ab ęterno factam. Omnia enim loca, quę supra adduxi, si de Deo loquuntur, significant exclusionem, seu eiectionem à re aliqua in tempore factam; non verò eiectionem, seu exclusionem creaturarum rationalium à vita ęterna, cum destinatione ad mortem æternam, vt cuilibet legenti patet. Cùm enim, inquit, Dauid, *reprobat cogitationes populorũ, et reprobat consilia Principum*, non facit ad rem nostram; quia non loquitur de

Pars prima probatur, quia in Sacra Scriptura non reperitur.

repro-

reprobatione hominum ab æterna gloria; neque cùm dicitur ex 1. Corinth. 1. *Prudentiam prudentum reprobabo*. Neque cùm Ecclesiasti 9. 11. dicitur, *Speciem mulieris alienæ multi admirantes, reprobi facti sunt*. Neque cùm Rom. 2. 28. aut, 2. *Corinth*. 13. 5. 6. *ac* 7. aut 2. *ad Timot*. 3. 16. aut *Hebr*. 6. 9. fit mentio de reprobatione, ac reprobis vmquam sumitur pro actu illo, quo ab æterno Deus aliquos exclusit à gloria, & ob pręuisa demerita destinauit ad pœnam ęternam. Nec alius assignari potest locus in Sacra Scriptura, in quo sub hoc nomine, actus ille Dei, quo excludit à gloria, & destinat ab æterno ad pœnas dicatur reprobatio.

Omnia loca Sacrę Scripturæ afferuntur, quę hoc nō significant

4. Neque facit ad rem locus 1. Corinth. 9. 22. vbi ait Apostolus, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, nè fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. Quia intelligitur de temporali exclusione à gloria, & à gratia per peccati commissionem.

2. pars, quòd ęquiualentia verba habentur in Sacra Scriptura.

5. Prob. Secunda pars, quòd æquiualentibus verbis in Sacra Scriptura reperiatur *reprobatio* malorum hominum cum destinatione eorum ad pœnam, sic. Deus odit malos, seu peccatores non ratione naturæ, quia de eo dicitur Sap. 11. 15. *nihil odisti eorum, quæ fecisti*, sed ratione peccati Psalm. 1. *odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. Ecclesiastici 15. 13. *Omne execramentum erroris odit Dominus*. Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem*. Ecclesiastici 12. 7. *Altissimus odio habet peccatores, & impijs reddet vindictam*. Malachiæ 1. 3. dicit Dominus, *Nonnè Esau frater erat Iacob, & dilexi Iacob, Esau autem odio habui*, quo loco vtitur Paulus Rom. 9. 13. loquens de hominum

num electione, & aliorum reprobatione, antequam nati sint, *cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: &c.*

Loca Scripturę significantia reprobationem malorum.

6. Igitur, cùm Deus ab æterno odio habuerit peccatores, & ab ęterno antequam nascerentur, aut operarentur malum; ex tunc pręuidit eos malum finaliter operaturos, ex tunc eos pœna ęterna dignos iudicauit, & ad eam ipsos destinauit: omnia enim Dei decreta circa creaturas, siue ad bonum, siue ad malum pœnę, tàm temporalis, quàm perpetuę ab ęterno sunt facta; vt latè diximus cum S. Augustino in *Opusc. de Prædest. cap. 2. 3. 18. 19.* Sequitur ergo, quòd quamuis non reperiatur in Sacra Scriptura exclusio aliquorum hominum à gloria, cum destinatione ad pœnam sub vocabulo *reprobationis*; habetur tamen sub alijs vocabulis, quæ rem significant eamdem.

7. Prob. tertia pars ex solo intuitu inscriptionum omnium Ecclesiæ Sanctorum, ac Doctorum, qui de hac materia loquuntur; omnes enim appellant *reprobationem* actum illum, quo Deus ab ęterno peccatores aliquos pręuidēs in peccato decessuros, ad ęternam pœnam destinauit, quorum historia patebit ex dicendis in toto hoc opusculo. *Et Concil. Valent. 2. cap. 3.* statuit per demeritorum præscientiam Deum reprobasse peccatores.

Omnes SS. & Doctores hoc vocabulo vtuntur.

Ex Concil. Valent. 2.

8. Dico 2. reprobatio Theologica, seu diuina sic potest definiri, *Reprobatio est æternum decretum, seu iudicium diuinum, quo Deus ob demeri-*

Definitio reprobationis.

merita indicat creaturam rationalem indignam vita æterna, & dignam pœna æterna, siue damni tantum, siue damni, & sensus ob peccatum finaliter in ea permanens.

Est decretum, seu iudicium Dei

9. Prob. & declaratur: dicitur *decretum, seu iudicium diuinum*, quia Deus iudicat aliquos dignos præmio, vel pęna, & nemo pręter eum habet potestatem dandi ęternum pręmium, aut supplicium: dicitur *æternum iudicium*, quia ab ęterno facta est reprobatio, sicut ab ęterno facta est prædestinatio, vt de secunda dictum est in præced. Opusc. & de prima dicetur in cap. seq. Dicitur, *quo indicat creaturam rationalem*; quia sola ista, siue Angelica, siue humana capax est pręmij, ac supplicij, cùm sola ista sit capax meriti, ac demeriti illorum. Dicitur *indignam vita æterna*; quia per reprobationis iudicium ab ea excluditur. Dicitur, *& dignam pœna æterna*, quia ad eam destinatur, *ibunt iniusti in ignem æternum*. Dicitur, *siue damni tantum*, propter paruulos decedentes sine remedio contra originale, quod erat in duplici Veteri lege, cui successit baptismus in noua lege, hi enim ad pœnam damni tantùm damnantur, vt communiter docetur, licet S. Augustin. aliquam etiam sensus, licet mitissimam in eis agnoscat. Dicitur, *siue damni; siue sensus*, propter adultos, qui ob peccata propria etiam damnantur, siue habeant originale, siue careant illo. Dicitur *ob peccatum*, quia iustus est Dominus, & non damnat, vt postea dicam sine demerito: Dicitur, *finaliter permanens*, quia Eccles. 11. 3. *vbi ceciderit lignum, ibi erit*. Siue sit solum originale, siue hoc cum personalibus, siue sint peccata personalia sine originali, & remissa non sint, sed adsunt in decedenti, propter hęc præuisa repro-

Æternum, quia ab æterno factum.

De indignis vita ęterna.

Ad pœnam damni, vel etiam sensus.

Ob finale peccatum.

probatus fuit. Dicitur ob demerita, quia, vt infra dicitur, sic Deus reprobauit.

CAPVT II.

An malorum reprobatio ab æterno sit facta.

10. ADu. quòd vt clarè, & distinctè in materia (quamuis omnibus exosa) procedamus, priùs de facto discurrendum est, postea de modo, ac de motiuo faciendi; idest priùs, an Deus reprobauerit aliquos, & quando; postea an, & ex quo demerito; deinde consequenter de causa finali, cur scilicet aliquos voluit reprobare; & tandem de effectibus reprobationis, & alijs quibusdam accessorijs.

Ordo procedendi.

11. Dico ergo. Malorum, qui damnantur, reprobatio, seu exclusio ab æterna vita, & destinatio ad ęternam pœnam, facta est à Deo ab æterno.

Ab ęterno facta est malorum reprobatio.

12. Prob. 1. Executio huius exclusionis à vita ęterna, & immissio ad ęternam pœnam quoad animam fit in tempore mortis, quo verò ad corpus, & animam simul fiet in finali, ac vniuersali iudicio, cùm dicet Saluator, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*; ergo decretum huius facti exequendi, factum fuit ab æterno. Consequ. prob. ex D. Augustino, cui in hoc nullus Theologorum contradicit; id enim de omni decreto Dei de agendis in tempore dicit; in epistola enim 106. ait, *Nouit quippe Deus quid agat, & quantus numerus esse debeat, primitus omnium hominum, deindè Sanctorum, sicut syderum, Angelorum, atque vt de terrenis loquamur, sicut pecorum, piscium, & volatilium;*

Omnia Deus ab æterno decreuit.

 sicut

sicut arborum, & herbarum; sicut denique foliorum, & capillorum nostrorum: & *in psalm.* 138. dicitur, *Ecce tu Domine cognouisti omnia nouissima, & antiqua, & cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi*. Omnes autem interpretes huius psalmi, docent Deum omnia futura ab ęterno decreuisse, ac pręuidisse; scientia enim Dei coęua, & coęterna est Deo, & nihil noui temporaliter potest ei accidere. S. August. ad *Simplicianum lib.* 2. *qu.* 2. & de *Ciuit. lib.* 11. *cap.* 21. inquit, quòd Deus eodem modo semper cognoscit omnia, tàm pręsentia, quàm pręterita, & futura; *Neque aliter nouit facta, quàm fienda*, Ideoque, cùm cognoscat aliquos ęterna pœna fore plectendos, cognoscatque ab ęterno, neque illi ea pœna essent plectendi, nisi ad eam Deus ipse illos addixisset, & condemnasset; sequitur euidenter, quòd ex tunc iudicium illud condemnationis fecerit.

Ex paritate prędesti. nationis, quæ ab ęterno facta est.

13. Prob. 2. paritate Prædestinationis. Hęc enim vt in antecedenti Opusc. visum est ab ęterno facta fuit, cùm scilicet post pręuisionem peccati Adę, & totius humani generis cum eo lapsi; *quia in eo omnes peccauerunt*, Deus ex tota illa massa perditionis ex sua misericordia aliquos discreuit ordinando ad gloriam, alios verò ex iustitia reliquit in massa illa perdita, quorum aliquos ex suo inscrutabili iudicio decreuit permittere, vt in originali, & infantili vita decederent, & ad ęternam damni pœnam damnauit: alios verò permittere, vt in adulta, alios in adultiore; alios vsque ad senectam viuere, & permittere, vt suo libero arbitrio cum gratia tamen sufficienti, (vt dicam postea) viuerent; & vidit peccaturos fore magis, vel minus, & in peccato decessuros, & hos ad ęternam pęnam damni, & sensus

ſus aliquibus maiorem, alijs minorem pro criminum grauitate, ex tunc damnauit.. Et hic eſt (vt infra dicemus) ſecundùm Auguſtinum reprobationis ordo.

14. Prob. ex S. Proſpero in reſp. ad 15. Gallorum capitulum. *Dubium non eſt ſine vlla temporali differentia Deum, & preſciſſe ſimul, & prædeſtinaſſe, quę ipſo erant authore facienda, vel quæ malis meritis iuſto erant iudicio retribuenda.* Ergo vtrumque ab æterno factum eſt. Ex S. Proſpero.

15. Prob. ex S. Fulgentio in *lib. de Veritate Prædeſtinationis, & Gratię*, dicente, *Deus, ſicut numquam futurarum rerum fuit inſcius, ita nec miſericordię, aut iudicij ſui fuit ignarus, ſed ſicut ſemper omnia futura bona, & mala præſciuit; ſic omnia opera gratiæ, & iuſtitiæ ſuæ incommutabili prædeſtinatione diſpoſuit.* Et infra. *Non ſolum ea diſpoſuit, quæ ipſe gratis, quibus vellet, donaret, vt bonus; verum etiam illa, quæ & bonis, & malis redditurus eſſet, vt iuſtus*: ab ęterno ergo facta eſt electio bonorum, & reprobatio malorum. Neque de hoc vllus dubitauit; ſed de modo, ac ordine, & motiuis vtriuſque diuini decreti. Ex S. Fulg.

CAPVT III.

Quanam ſit efficiens cauſa reprobationis malorum.

16. AD1. quòd quæſitum hoc multa compręhendit diſtinctè diſcutienda. Primum eſt, an intellectus, vel voluntas Dei, vel vtraque potentia ſit cauſa efficiens reprobationis. Secundum eſt, an Deus abſoluta ſua voluntate, nullo habito ad demeritum reſpectu, efficienter repro- Multa cōpræhendit hoc quęſitum, & quę

bauerit; an verò ſuppoſita demeriti præſciẽtia: et de hoc diſcurremus in ſequenti capite cõtra Caluinum. Tertium eſt, an ęqualiter Deus omnes malos reprobet, vel aliquem ordinem ſeruet. Quartum, an ante, vel poſt prȩuiſionem lapſus Adæ inficientis totum humanum genus, reprobauerit malos ab æterno. Quintum, an ante, vel poſt prȩuiſionem vltimi peccati Adultorum. Hęc, & alia his affinia eſſent diſcutienda pro adęquata huius quęſiti ſolutione: quia tamen prolixa, & confuſa nimis euaderet ſolutio; aliqua hìc, aliqua infra erunt explicanda.

Voluntas diuina eſt cauſa efficiens reprobationis.

17. Dico ergo primò. Licet intellectus diuinus prȩſuppoſitiuè per ſcientiam malorum reprobandorum concurrat ad eorum reprobationem; tamen cauſa efficiens illius eſt Dei voluntas, quæ aliquos excludit à vita ęterna, & deſtinat ad pęnam ęternam.

18. Prob. prima pars. Ex ordine, quem in operando inter ſe genericè ſumptæ ſeruant iſtę potentiæ, *nihil enim volitum, quin præcognitum*. Et ſicut prædeſtinatio prȩrequirit præſcientiam eorum, qui prędeſtinandi ſunt, ita & reprobatio: immò vtraque actio ab Auguſtino appellari ſæpè ſolet prȩſcientia, & eò magis, quia potentiæ iſtę in Deo ſunt realiter idem; ideòque, ſicut omnis Dei actio ad extra requirit intellectum, ac voluntatem, ſic & reprobatio.

Omnia creata à Dei voluntate pendent.

19. Prob. ſecunda pars, primò. Omnia, quæ à Deo fiunt, aut fient ad extra, cùm ſint cõtingentia, ab eius voluntate pendent; *omnia enim quæcumqe voluit fecit in Cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Pſal.* 134. Secundò ad caſum noſtrum, prob. ex *Rom.9.* vbi Paulus ex Malachiæ 1. electionem Iacob, & reprobationem

Eſau

Esau sic refert à Deo reuelatam illi Prophetæ. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (vt secundum electionem Dei propositum maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Eligere autem, & odio hãbere sunt actus voluntatis; ergo. Tertiò idem Apostolus ibidem ad idẽ probandum refert dictum Dei reuelatum Moisi Exodi 33. 20. *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit;* & ipse Paulus subdit, *igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra.* Ecce quòd omnia bona, vel mala pœnę in creaturis rationabilibus à Dei voluntate pendent; ideò concludit, ergo *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Postea facit contra se argumentum. *Dicis mihi, quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis resistit?* Respondet, *ò homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ,* &c. Ecce quomodò clarè docet Paulus, quòd electio aliquorum, & reprobatio aliorum à Dei voluntate sunt. An verò ex aliquo demerito fiat reprobatio, an verò ex nullo demerito, sed ex mera Dei voluntate võlente homines perdere (vt impiè docuit Caluinus, malè intelligens S. Augustinum) in sequenti capite videbimus.

Alia Scripturę loca ad idem.

Clarè Paulus docet à Dei voluntate pendere prędestinationem, & reprobationem.

Ex August.

20. Prob. 2. Conclusio ex diuersis S. Augustini dictis. 1. *In epistola* 105. *Cur autem istum potius liberet, quàm illum, scrutetur, qui potest iudiciorum eius tàm magnum profundum; verumtamen caueat præcipitium*. At nota contra Caluinum, quòd Augustinus loquitur de tota hominum massa cum Adamo (*in quem omnes peccauerunt*) lapsa, non verò de hominibus in sua pura natura consideratis, quasi aliquos ex eis sine vlla penitus culpa voluerit perdere. Nam in *lib.* 1. *ad Bonif. cap.* 20. inquit, *iam quomodo ista dispenset faciens alios secundum meritum vasa iræ, alios secundum gratiam vasa misericordiæ; quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Sed de hoc argumento diffusè loquemur in cap. sequenti; sufficit nunc scire, quòd non ex fato, neque ex naturali necessitate homines sint reprobi; sed ex Dei voluntate efficienter ex aliqua tamen culpa saltim originaliter, saltim radicaliter, vt postea dicetur.

Caluinus malè intelligit Augustinum.

21. Confirmatur ex eodem in *lib. de Prædest. Sanct. cap.* 8. vbi supponens, quòd Deus ex hominibus lapsis ob Adæ peccatum, aliquos liberet, non alios, dicit, *Cur autem istum potius, quàm illum liberet, incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Melius enim, et sic audiuimus, et sic dicimus, ò homo tù quis es, vt respõdeas Deo? quã dicere audeamus, quasi nouerimus, quòd occultum esse voluit, qui tamen aliquid iniustum velle non potuit*. Igitur voluntas Dei (supposita præuisione lapsus omnium hominum cum Adamo) est causa efficiens, tàm prędestinationis ex misericordia, quàm reprobationis ex iustitia. Cur verò, cum illis vtatur misericordia, & cum istis iustitia, nulli hominum reuelatum est; neque Apostolus nobis causam manifestauit, sed clamauit,

homo

homo tù quis es, vt respondeas Deo? vt supra dictum est. Voluntas tamen Dei reprobauit, & ex motiuo iustitiæ id fecit; cur autem in hos, non in illos iustitiam voluit exercere, hoc est ignotum, & incompræhensibile; quòd verò ex iustitia fecerit, iam reuelatum est, vt Paulus innuit *Rom. 9.* vt patuit.

22. Confirmatur 2. ex eodem *lib. 2. de pecc. mor. &c. cap.* 18. vbi inquit, *Quarè autem illos velit conuertere, illos pro auersione punire; quamquam, & in beneficio tribuendo, nemo iustè repræhendat misericordem, & in vindicta exercenda nemo iustè repræhendat veracem*, nempè iustum; *consilium tameo occultioris iustitiæ penes ipsum est*. Ad voluntatem ergo Dei iustè operantis refert sententiam reprobationis.

Alia plura August. lo. ca id probantia.

23. Confirmatur 3. ex eodem Augustino, qui sæpè tàm electionem ad gloriam, quàm destinationem malorum ad pœnam appellat prædestinationem à Dei voluntate procedentem. Tract. 100. in Ioann. ait, *Deus amat suum in vitiosis sanationis beneficium, vel damnationis iudicium*. In lib. 1. de anima cap. 11. dicit. *Benè vtens & malis tamquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam*: in tractat. 107. ait, *filius perditionis dictus est traditor Christi, perditioni prædestinatus*: in tract. 110. inquit. *Ne cum hoc mundo damnemur. Pro isto mundo non rogat, neque qui sit prædestinatus ignorat*. In lib. Iudicum, quæst. 40. ait, *Inimici omninò pænis gehennæ prædestinati, vbi erit fletus, & stridor dentium*. Patet ergo, quòd sicut electio aliquorum ad gloriam, quæ dicitur prædestinatio ad vitam, est à voluntate diuina misericordiam exercente; ita reprobatio aliorum, quę est prędestinatio ad mortem,

Interdum reprobationem August. appel. lat prædestinationē ad pęnam.

tem, ac supplicium ęternum ab eadem diuina est voluntate. An verò ex delicto hominum, vel ex absoluta Dei voluntate volente homines perdere, in sequenti capite dicitur.

CAPVT IV.

An Deus ex mera sua voluntate, sine motiuo culpæ, homines reprobauerit, vel peccata reproborum efficaciter voluerit.

Impiè Caluinus docet Deum, sua mera voluntate homines reprobasse & peccata eorum decreuisse.

24. A Du. Ioannem Caluinum Hæresiarcam, huius sententiæ impię fuisse Authorem, quòd nempè Deus absoluto suo decreto absque vllius culpæ præuisione homines reprobauerit, & ad æternam pœnam destinauerit; immò, & decreto pariter absoluto, omnia hominum peccata etiam quoad culpam decreuerit; & tandem quòd homines, & absoluta necessitate reprobi nascantur, & absoluta necessitate peccent. Id docuit in suis institutionibus lib. 3. cap. 12. per totum, & in §.5. ait, *Prædestinationem, qua Deus alios in spem vitæ adoptat, alios adiudicat æternæ morti, esse decretum æternum, quo apud se constitutum habuit, quod de vnoquoque homine fieri vellet*: in §.6. inquit, *Deum nutu, consilioque suo ordinasse, vt inter homines nascantur ab vtero certę morti deuoti, qui suo exitio ipsius nomen glorificent, nec alia ratione, ea quæ futura sunt, præuidet, nisi quia ita vt fierent, decreuit*: in §.7. dicit, *Decretum fuisse à Deo, vt sua defectione periret Adam; & eorum frigidum esse commentum, qui dicunt liberi arbitrij fuisse, vt fortunam ipse sibi fingeret, Deum verò nihil destinasse, nisi, vt pro merito eum tractaret.* Postea dicit, quòd eodē Dei absoluto decreto factū est, vt om-

Blasphemiæ multę Caluini.

omnes homines inimici illius nascerentur, & insimulat Theologos Catholicos, qui pro omnibus hominibus concedunt hoc absolutum decretum, & non pro Adamo, his verbis. *Quid eos prohibet fateri de vno homine (* idest Adamo*) quod inuiti de toto humano genere concedunt? Cunctos mortales in vnius persona morti æternæ mancipatos fuisse Scriptura clamat. Vndè factum est, vt tot gentes vna cum liberis suis infantibus æternæ morti inuolueret lapsus Adæ absque remedio?* subdit postea, *Decretum horribile, fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præsciuerit Deus, quem exitum habiturus esset homo antequam ipsum conderet; & ideò præsciuerit; quia decreto suo sic ordinarat.* Tandem inquit, *lapsus est primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat. Cur censuerit, nos latet.* Hæc est summa huius capitis de errore Caluini, qui docet, Adamum non peccasse suo libero arbitrio, & cum eo omnes homines, vt Paulus docet, Deo permittente; sed dicit, quòd Deus voluit efficaciter, vt ipse peccaret, & cum eo omnes illius peccato voluit esse inuolutos, nullo habito respectu ad voluntariam, & liberam transgressionem Adę; & sic voluisse absolutè reprobationem multorum: Quam sententiam Caluinistæ veri mordicùs defendunt, & gloriantur, quòd in hoc sequantur S. Augustinum: Ideò Anglus quidam, non multis ab hinc annis, de hac materia pro Caluino librum sic prætitulauit, *Doctrinæ Ioannis Caluini de absoluto reprobationis decreto, defensio.* Et alijs in locis impiè etiam docet, Deum velle efficaciter omnia reproborum peccata, & facere, vt ea faciant, & excæcare eos, ne lumen veritatis videant; hoc autem facere per Sathanam, tamquam ministrum, ipsum verò Deum esse causam efficientem erro-

Caluinus Catholicos deridet Theologos

Caluinus docet Deũ efficaciter voluisse, quòd Adã peccaret.

ris, ſicut in bonis eſt cauſa efficiens actuum bonorum, & Charitatis. Hoc poſito

25. Dico. Deus non reprobauit homines abſoluto decreto nullo habito reſpectu ad culpam aliquam, quaſi ex ſuo libito voluerit homines ad ęternam pœnam damnare. Eſt de fide.

Deus non reprobauit ex ſua mera voluntate, nulla præuiſa culpa.

26. Prob. 1. De fide eſt, Deum eſſe iuſtum iudicem in præmiando, & puniendo; ſed ſi modo Caluiniano reprobaret, non eſſet iuſtus iudex, ergo. Maior ex pluribus Scripturæ locis probatur pſal. 10. *Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius*: pſal. 111. *Miſericors Dominus, & iuſtus*: pſal. 118. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*: pſal. 144. *Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis*; & alibi ſæpè in omnibus libris canonicis Veteris Teſtamenti. Ex Nouo quoque multa deſumi poſſunt loca; Ioan. 5. 10. *Iudicium meũ iuſtum eſt*; & in c. 17. 25. Chriſtus hoc digno encomio Deum inuocat. *Pater iuſte*, &c. 2. Timot. 4. loquens de prẽmio ſibi, & alijs Sanctis à Deo reddendo, inquit Apoſtolus, *repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex; non ſolum autem mihi, ſed & ijs, qui diligunt aduentum eius*. Ex epiſt. 1. Ioan. *fidelis, & iuſtus eſt Deus*. Apocal. cap. 15. *Iuſtæ, & veræ ſunt viæ tuæ*. Idem replicatur *in cap. 16. 5. & 7. & in cap. 19. 2.* & quoniam Iob in ſuis tribulationibus *in cap. 9. 23.* dixerat, *Deus flagellat me ſine cauſa*, acriter à Deo repræhenditur his verbis, *Condemnas me, vt tu iuſtificeris*. Hęreticum ergo eſt iniuſtitiam in Deo admittere.

Plura Scripturæ loca de iuſtitia Dei.

Min. primi argumenti prob. Si Deus reprobauit, & decreuit inferre pœnam æternam hominibus, abſque præuiſo demerito, & aliquibus maiorem, alijs minorem, non eſſet iuſtus; *quia iuſti-*

tia

tia est virtus ius suum vnicuique tribuens pro dignitate sua; & ideò de fide est, *quod Deus reddet vnicuique secundum opera eius*, psal. 61. etsi ergo Deus, vt absolutus Dominus posset omnes homines ad pœnas æternas damnare, vel annihilare, tamen nec ita facit, nec ex Sacra Scriptura reuelatum habemus, quòd velit sic facere; sed habemus oppositum; & quòd non odit nos, *nihil odisti eorum, quę fecisti*, Sap. 12. 23. & quòd *non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat*; & quòd *apud Deum non sit iniquitas*, seu crudelitas, sed misericordia cum iustitia: *misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Misericors Dominus, & iustus, & miserationes eius super omnia opera eius*; & innumerabilia dicta his similia leguntur in sacro textu: si autem Deus, vt impiè dicit Caluinus, absoluto decreto, sine respectu ad culpam, homines reprobasset, damnando ad æternam pœnam, & ad peccandum, vt eis pœnam infligeret, nulla in eo appareret misericordia, neque commutatiua, seu distribuitiua iustitia.

Ex Caluini doctrina Deus non esset iustus.

27. Prob. 2. Si Deus decreto absoluto voluit ab ęterno aliquos perdere destinando, & ad ęternam pœnam, & ad peccandum, tolleretur omnis humana libertas in eis; necessitate enim antecedenti compellerentur ad peccandum; sed hoc contra fidem est, quia Deus creauit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, &c. vt dictum est *in Opusc. præcedenti cap. 5.* vbi egimus de libertate Prædestinatorum, de quibus maior est difficultas ob efficaciam auxiliorum, quę illis ad rectè operandum conferuntur.

Argum. ad impossibile ducens, quia homines necessitate compulsi peccarent.

Homo non esset liber.

28. Prob. 3. ex S. Augustino in lib. 1. operis imperfecti cont. Iul. cap. 34. *neque enim sub Deo iusto miser esse quispiam, nisi mereatur, potest.* In

lib.2.cont.Iul. cap. 7. inquit, *Iam tu responde, vtrum Deus iustus nulli obnoxiam peccato imaginem suam priuare vita possit æterna?* Et in lib.3.c.18.ait, *Bonus est Deus, iustus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; at non potest quemquam sine meritis damnare, quia iustus est.* In lib. de vnitate Trinitatis cap. 7. dicit. *Non enim iustitia est apud Deum, vt damnet eos, qui omnino nihil peccauerunt.* In lib.4.cont.Iul.cap.3.inquit, *Deus namque ipse, quod absit, esset iniustus, si ad eius regnum verus non admittitur iustus, cum & ipsum eius regnum iustitia sit.* Quomodo ergo excogitari poterit, quòd sine vllo delicto, aliquos ad æternam pœnam irremissibiliter damnare voluerit?

Ex Augustino pluribus in locis

29. Dico 2. Falsum, & impium est dicere, quòd Deus, vt aliquos ad pœnam ęternam damnet, sua efficaci, & antecedente voluntate velit, vt mortaliter peccent, & quasi compellat eos ad peccandum, & in finali peccato decedant: est contra Caluinum, qui in lib.2.Instit.cap.4.ait, *Sathanam non nisi Dei imperio agere. Indurandi Verbum, cùm Deo in scripturis tribuatur, non solum permissionem (vt volunt diluti quidam moderatores) sed diuinæ quoque iræ actionem significat, nam res omnes externæ, quæ ad excæcationem reproborum faciunt, illius iræ sunt instrumenta; Sathan autem ipse, qui intus efficaciter agit, ita est eius minister, vt non nisi eius imperio agat:* & in cap. 17. inquit, *reprobos peccare, vt Dei iussa exequantur, eique obsequiũ præstent:* Et sic facit Deũ authorem peccatorum in reprobis. Contrarium huius blasphemię teneo.

Impium est dicere, quòd Deus efficaciter faciat homines peccare.

Contra Caluinum.

20. Prob. ex Concil. Trid. sess.6. can. 6. qui contra Caluini Dogma fuit formatus. *Si quis dixerit*

xerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissiuè solum, sed etiam propriè, & per se, adeò ut sit proprium eius opus, non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anath. sit. Hoc idem fuerat decretum in Concil. Arausf. 2. circa finem. Idem Concil. Trid. *sess. 6. can. 17.* Anathema pariter dicit, eum, qui dixerit *Deum prædestinasse homines ad malum.*

Ex Concil. Trid Deus non facit peccata, sed permittit tantum.

21. S. August. sępè eiusmodi blasphemiam impugnauerat. Nam in lib. 13. de Trinit. cap. 12. dixit. *Modus iste, quo traditus est homo in Diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tamquam hoc Deus fecerit, aut fieri iusserit; sed quia tantum permiserit, iustè tamen.* In lib. 5. cont. Iul. cap. 4. habet. *Nos certè si eos, in quos, nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus. Quam verò innumerabilia ille* (idest Deus) *permittit fieri ante oculos suos; quæ vtique si noluisset, nulla ratione permitteret; & tamen iustus; & bonus est, & quod præbendo patientiam, dat locum pœnitentiæ, nolens aliquem perire:* & infra explicans illud *Rom. 14. tradidit eos in passiones ignominiæ*, dicit, *hoc facere permittendo, miris, & ineffabilibus modis. Qui non facit voluntates malas; sed vtitur eis, vt voluerit, cum aliquid iniquè velle non possit.*

Ex August. sępè.

22. In Epist. 89. ait, *Dictum est, ne nos inducas in tentationem, quod intelligitur, ne nos inferri deserendo permittas.* In lib. 2. de peccat. mort. & remiss. cap. 19. inquit, *extolli quippe in superbiam propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei. Neque enim ad hoc eos compellit, aut adiuuat Deus.*

Deus non facit homines peccare, sed permittit eos vti libero arbitrio.

23. Præterea idem S. Doctor in responsione ad articulos sibi falsò impositos, ad 10. qui continebat,

tinebat, *quod adulteria, & corruptiones virginum sacrarum ideò contingant, quia illas Deus ad hoc prædestinauit, vt caderent*, sic respondet. *Detestanda, & abominanda opinio est, quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit authorem, cuius prædestinatio numquam extra iustitiam est. Non ergo casus ruentium, neque malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei, aut excitauit, aut suasit, aut impulit.*

S. August. acriter impugnat hoc falsum dogma.

24. Item in lib. de Gen. ad lit. vnico imperfecto cap. 5. docet, *Deum non esse Authorem vitiorum nostrorum, sed ordinatorem, cum eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur. Quædam ergo, & facit Deus, & ordinat; peccatores autem, vt peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantum.* Idem S. August. lib. 83. qu. 71. & in lib. de Prędestinatione Dei cap. 4. inquit. *Deus nullius mali est author, sed totius boni author est.*

Argumen. contr.

Obijci potest contra hanc secundam Conclusionem primò, ex Thessal. 2. cap. 2. *mittet illis* (idest reprobis) *Deus operationem erroris, vt credant mendacio*; igitur est in aliquibus author peccati.

25. Resp. ex S. August. de Ciuit. lib. 20. cap. 19. *Nec dubitauit Apostolus addere, & docere, mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio; Deus enim mittet, quia Diabolum facere ista permittet, iusto ipse iudicio, quamuis faciat ille iniquo, malignoque consilio.* Permittit ergo Deus, vt Diabolus, caro, mundus, & mali homines etiam bonos tentent, & permittit interdum, vt vtrique suo libero arbitrio ad malum etiam vtantur, vt ex *Psalm.* 80. 13. Deus ostendens, quòd non deserit hominem, nisi deseratur, & ideò permittit homines peccare, ait, *Et non audiuit populus meus vocem*

Ex S. Aug. Deus permittit, vt homo vtatur libero arbitrio in malum.

cem meam, & Israel non intendit mihi, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinuentionibus suis. At non propterea Deus ipse in illis peccatum facit, aut præcipit, vt faciant, aut cum eis operatur ad faciendum, licet ex natura suæ omnipotentiæ, qua cum omni creatura ad earum actiones concurrit, etiam cum peccatoribus ad materiale peccati concurrat, non ad formale.

Obijci potest 2. illud Rom. 9. vbi, cùm adduxisset similitudinem figuli, quòd Deus quosdam homines facit vasa honoris in misericordiam, quosdam verò vasa contumeliæ in iustitiam, & iram, exemplificans de secundis, inquit. *Dicit enim Scriptura Pharaoni. Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra*. Notorium autem est in Sacro Textu, quomodo Deus excitauit Pharaonem in crudelitate contra populum Israeliticum deserendo eum, indurando cor eius, cùm videret tot mirabilia; in libro enim Exodi à capite 4. vsque ad 14. per quindecim vices refertur, quòd Deus dixerit, *indurabo cor. Pharaonis*, & quòd *induratum fuerit cor Pharaonis* (qui Cencres vocabatur:) ergo Deus videtur fuisse principalis author peccatorum Pharaonis. Et sic dici potest de alijs, qui à Deo deseruntur, & obdurantur, ac obcæcantur.

Ex Apost. argum.

Deus indurat, vt patet de Pharaone.

26. Resp. primò, quòd argumentum esset soluendum *in tract. de concursu Dei cum creaturis, & in tract. de auxilijs*, vt faciam in Opusc. 3. Aliqua etiam dicam infra in *cap. 6.* de effectibus reprobationis, vbi loquar de hac permissione ad peccandum. Pro nunc verò cum vno tantùm, sed Angelico Doctore ad hoc argumentum de de-

Responsio ex S. Thoma.

sertione, induratione, ac permissione Dei, vt quis peccet, respondebo. S. Thom. in Comment. *Epist. ad Rom. lect. 3.* declarans prefata verba, *Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostenderem in te virtutem meam,* dicit, *Quod quidem non est intelligendum hoc modo, quòd Deus in homine causet malitiam; sed est intelligendum permissiuè; quia scilicet ex iusto suo iudicio permittit aliquos ruere in peccatum propter praecedentes iniquitates, sicut supra primò dictum est, Tradidit eos Deus in reprobum sensum: sed aliquid aliud videtur mihi in hoc ipso intelligendum, quia instinctu quodam interiori mouentur homines à Deo ad bonum, & ad malum; Vndè Augustinus dicit in lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 20. quod Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandum eorum voluntates quòcumque voluerit, siuè ad bonum pro sua misericordia, siuè ad malum pro meritis eorum. Vndè Deus dicitur sæpius suscitare aliquos ad bonum; dicitur etiam suscitare aliquos ad malum. Nam ad bona inclinat hominum voluntates directè, & per se, tamquam author bonorum, ad malum autem dicitur inclinare, aut suscitare homines occasionaliter in quantum scilicet Deus homini aliquid proponit, vel interius, vel exterius, quod quantum est de se est inductiuum ad bonum, sed homo propter suam malitiã peruersè vtitur ad malum, &c. & similiter Deus quantum est de se instigat hominem ad bonum, puta Regem ad defendendum iura regni sui, vel ad puniendum rebelles; sed hoc instinctu bono malus homo abvtitur secundum malitiam cordis sui; & hoc modo circa Pharaonem accidit, qui cum à Deo exaltaretur ad Regni sui tutelam abusus est hac excitatione in crudelitatem.*

Quomodo ex S. Thoma Deus permittit peccata.

Optima quidem in hoc, & similibus casibus Sancti Thomæ speculatio, quando nempè mate-

ria,

ria, ad quam excitatur homo, est capax boni, & mali, tunc enim dici potest, quòd Deus excitet ad illum ob finem bonum; at si materia non est capax boni v. g. furtum, adulterium, blasphemia, &c. quæ non sunt boni capacia, dici nequit, quòd ad ea excitet Deus, sicut inquit Iacobus Apostolus, *Nemo cum tentatur, dicat, quod à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est. Sed vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*. In his ergo peccatis Deus permissiuè tantùm concurrit, vt inquit Augustinus, omnesque Doctores tenēt, & ad materiale peccati influit, quia est omnipotens, & causa prima, sine qua nihil fieri potest. At de hoc argumento latiùs loquar in capitibus octauo, & nono.

In quibus casibus applicatur doctrina S. Thomę.

In cap. 8. & 9. fusiùs de hoc agetur

CAPVT V.

An ex motiuo peccati, & cuius, Deus aliquos homines reprobauerit.

27. ADu. 1. & suppono *ex tract. de Voluntate, ac Prouidentia Dei*, quòd Deus ab ęterno decernens creare homines, & caput omniū Adamum, decreuit creare eos liberos. 2. decreuit conferre Adamo præter alia (de quibus loqui non est necessarium) iustitiam orignalem, & auxilium gratiæ, sine quo benè operari non posset. 3. decreuit in voluntate Adami complicare voluntates omnium hominum pro obseruantia primi pręcepti Adamo imponendi, ità quòd si illud obseruaret, tàm Adamo, quàm omnibus hominibus prodesset pro perseuerantia status innocentiæ; si verò Adam transgrederetur præceptum illud; illa transgressio noceret, tàm Adamo, quàm alijs omnibus in ammissione diuinæ gratiæ, seu filiationis Dei adoptiuæ, iustitiæ originalis, ac status

Ordo decretorum Dei ab æterno circa creationem hominum, prædestinationem, & reprobationem.

tus innocentiæ . 4. decreuit præcipere Adamo, ne de ligno ſcientiæ boni, & mali comederet, cum comminatione mortis ſi comederet . 5. decreuit permittere, vt Adam ſuo libero arbitrio vteretur, & auxilio illi offerendo , ſi vti vellet. 6. præuidit, quòd Adam non eſſet vſurus diuino auxilio in obſeruando præceptum hoc , ſed eſſet vſurus ſuo libero arbitrio , & tranſgreſſurus præceptum, comedendo de ligno vetito; & ſic tàm pro ſe, quàm pro alijs omnibus ammiſſurus eſſet gratiam , ſeu amicitiam, ac filiationem Dei adoptiuam, ſtatum innocentiæ , & habitationem Paradiſi terreſtris. His autem decretis factis , & lapſu Adæ, cum tota poſteritate, præuiſo , deuenit ad decreta prędeſtinationis aliquorum , & reprobationis aliorum. Hæc omnia ſupponenda ſunt iuxta S. Auguſtini doctrinam .

Decretum Dei de concurrẽdo ad omnes hominum actus.

Pèrmiſſiuè Deus concurrit ad peccatum.

28. Adu. 2. quòd præter alia decreta, quæ Deus condidit , tàm circa prædeſtinatos , quàm circa alios non prædeſtinatos , hoc fuit vnum de concurrendo cum eis ad omnes eorum actus ; ad bonos quidem poſitiuè, tàm ad materiale eorum, quàm ad formale , ideſt ad bonitatem quoque eorum : ad malos verò non eodem modo, vt poſtea dicam , ſed permiſſiuè tantùm; & hoc modo per omnes ſaluatur , quomodo Deus non ſit author peccati , nec ad illud concurrat per ſe, vt ait Concil. Trid. ſed permiſſiuè tantùm .

Ab ęterno Deus nouit omnia futura.

29. Adu. 3. quòd vt ſuppono ex *tract. de ſcientia Dei* , Deus ab æterno nouit omnes actiones, ſiue bonas, ſiue malas , quæ à quouis homine toto vitæ tempore eliciendæ ſunt, ex *Pſal.* 138. *Tu Domine cognouiſti omnia nouiſſima , & antiqua*: neque de hoc eſt controuerſia in ſcholis . Omnes enim fatentur , Deum præuidiſſe omnia hominum

minum peccata, toto eorum vitæ tempore patranda; & multos in eis decessuros, & ex horum præuisione illos reprobasse. Immò, vt in *Opusc. præced.* patuit, Theologi multi, prædestinationem quoque ex bonorum operum in gratia, & cum auxilio diuinæ gratiæ faciendorum præscientia factam esse docent.

30. Adu. 4. quòd cùm inter reprobatos adsint diuersi, ætatis, sexus, conditionis, & graduũ pœnarum ad quas destinati sunt, ordines; priùs de generali motiuo reprobationis agemus; deinde de particularibus, sed sub generali contentis. His suppositis

31. Dico 1. Secundùm S. Augustinum, & veritatem, Deus neminem reprobauit, nisi post prȩuisionem peccati Adæ influentis in omnes posteros, & post prȩuisa istorum peccata, respectiuè.

Ex præuisione peccati Adæ, & aliorum facta fuit reprobatio.

32. Prob. ex S. August. *in lib. 1. operis imperfecti contra Iulianum cap. 65.* vbi discutiens illud Apostoli, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in onnes homines pertransiit,* inquit, *quia iustum non erat, sine crimine transire supplicium:* & *in cap.* 130. ait, *Vasa iræ dicit, quæ sunt perfecta in perditionem; quod iniustum esset, nisi omnibus ex vno in condemnationem venientibus, iam damnata massa esset.*

33. Confirmatur ex eodem in epist. 106. *Piè namque, & veraciter creditur, Deum nocentes, atque impios iustificando à pœnis liberare; quemquam verò immeritum, & nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate nõ creditur;* & infra. *Quæ cum ita sint, audeant disputare, & quibus possunt persuadere contendant, Deum iustum, apud quem non est iniquitas, paruulos à peccatis proprijs innocentes, si nec illo ex Adam obligati, & obstri-*

Multa S. Augustini dicta.

obstricti sunt, morte perpetua damnaturum, quod absurdissimum est, & à iustitia Dei alienum. Igitur ob peccati præuisionem, saltem originalis pro paruulis, facta est reprobatio. 3. S. August. alijs in locis de hoc argumento plura dicit; in lib. de vnitate Trinitatis cap. 7. ait. *Non enim iniustitia est apud Deum, vt damnet eos, qui nihil omninò peccauerunt*. In lib. 1. cont. Iul. cap. 7. ait. *Iam tu responde, vtrum Deus iustus, nulli obnoxium peccato imaginem suam priuare vita possit æterna?*

Paruuli ob originale tantum reprobati.

34. Sanctus Fulgentius lib. 1. ad Monimum, circa finem, inquit, *Tales ad interitum prædestinauit, quia talibus iustæ punitionis supplicium præparauit. Quod vtique manifesto Dominus ipse sermone perdocuit in eo, quod à se ostendit paratum non solum regnum, vbi lætentur boni, sed & ignem æternum, vbi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est, venite benedicti Patris mei, percipite Regnum vobis paratum à constitutione mundi. Malis autem dicturus est, ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Ecce ad quid Dominus iniquos, & impios prædestinauit, idest, ad supplicium iustum, non ad aliquod opus iniustum, ad pęnam, non ad culpam.*

S. Fulgentius idem docet, ob peccata præuisa factam reprobationem.

35. Prob. tandem ex *Matth.* 25. vbi Saluator prædicit, quid dicturus, & facturus sit cum reprobis in die iudicij; *Tunc dicet his, qui à sinistris eius erunt, ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. Et assignat rationem huius sententiæ; *esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & non dedistis mihi bibere.* &c. Si igitur propter peccata damnat, propter hæc damnare decreuerat; vt enim in *cap.* 2. dixi, reprobatio, immò, & omnia alia decreta Dei, *vt ex Opusc.* 1. *cap.* 2. ab æterno facta sunt.

Ex S. Scriptura.

36. Di-

36. Dico 2. ad particularia descendendo, Paruuli, qui damnantur sine baptismo nunc, aut olim sine circumcisione in lege veteri, aut alio remedio in lege naturæ, ob hoc solum originale peccatum (in quo decessuri præuisi sunt) reprobati fuere.

Paruuli ob solum originale reprobati.

37. Prob. & de fide supponitur; primò, quòd omnes paruuli sine remedio contra originale, respectiuè pro omni tempore damnentur ad pœnam damni, idest negationem perpetuam visionis, ac fruitionis, Dei, & S. Augustinus addit aliquam etiam sensus, licet (ait) mitissimam. 2. Quòd paruuli omnis status, ac legis incurrerint in peccatum originale, non enim fuerunt melioris conditionis paruuli Gentilium, & Iudæorum, quàm Christianorum. 3. Quòd omnes indiguerint remedio aliquo à Deo destinato ad eius dilectionem. Nunc sic arguo. Deus iustè ob aliquam culpam paruulos istos damnare statuit ab æterno: Sed aliam in eis non præuidit, nisi originalem: Ergo ob istam tantùm reprobauit; quæ conclusio ex principijs fidei est euidens.

In omni lege paruuli incurrerūt originale, & eguerunt remedio.

38. Prob. ex S. Augustino lib. 5. contra Iul. cap. 11. *Quis dubitauerit paruulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec vllis proprijs aggrauantur in damnatione leuissima futuros, quæ qualis, & quanta erit, quamuis definire non possim; non tamen audeo dicere, quod eis, vt nulli essent, quàm vt ibi essent potius expediret.* Quamuis antea dixisset. *Ego autem non dico paruulos sine Christi baptismo morientes, tanta pœna esse plectendos, vt eis non nasci potius expediret, cum hoc Dominus, non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis, & impijssimis dixerit.*

Ex S. Aug.

39. Secundò ex eodem in lib. de Corrept. & Gra-

Gratia cap.7.vbi de diuersitate reprobatorum, sic de paruulis loquitur. *Qui per ætatem paruulam, nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lauacro regenerationis absolui, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam.*

S. Fulgentius sequitur Augustinum.

40. S. Fulgentius sequens Sancti Augustini sententiam, tàm de causa damnationis, ac reprobationis, quàm de pœna etiã paruulorum, sic loquitur, *in lib. de Fide ad Petrum cap. 3. Qualitas malæ vitæ ab infidelitate incipit, quæ ab originalis peccati reatu initium sumit, in quo quisquis viuere ita incipit, vt ante finiat vitam, quàm ab eius obligatione soluatur; si vnius diei, vel vnius horæ spatio anima illa vixit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehennæ sustinere supplicia, vbi Diabolus cum Angelis suis in æternum arsurus est, qui & primus peccauit, & peccatum primis hominibus persuasit.*

Idem S. alibi paruulos ob originale reprobatos docet.

41. Idem in cap.17.inquit, *firmissimè tunc, & nullatenus dubites, non solum homines iam ratione vtentes, verum etiam paruulos, qui siue in vtero matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur; siue cum de matribus nati sint sine Sacramento Baptismatis ab hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos; quia etsi proprię actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & natiuitate traxerunt.*

S. Greg. Magn. secutus S. Aug. idem de Paruulis dixit.

42. Eamdem S.Augustini sententiam secutus est S.Gregorius Magnus *lib.9.moral.cap.12.* sic de paruulis loquens. *Quos, quia à culpa originis sacramenta salutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, illuc ad tormenta perueniunt, &c.*

43. Tandẽ pręter ea, *quę in tom.de Nouissimis disp.*

de

de statu paruulorum diffusè dixi, Concilij Florentini definitionem adducam, quod in decreto Vnionis legitur. *Illorum animas, quæ in actuali peccato, vel in solo originali decedunt, mox in infernum descendere pœnis tamen disparibus puniendas.* Igitur cùm paruuli ob originale damnentur, ob hoc præuisum reprobati sunt.

Adulti ob eua peccata reprobati.

44. Dico 3. Alij omnes, qui in adulta ætate erant præuisi morituri in peccatis, siue cum proprijs, & actualibus tantùm, siue cum his, & originali etiam; ob ea peccata fuerunt reprobati, sed originatiuè ob peccatum originale.

45. Prob. 1. pars ex S. Augustino *lib. de Corept. & gratia cap.* 13. explicitè id docente. *Hi verò, qui non pertinent ad prædestinatorum numerum, quos Dei gratia, siue nondum habentes vllum liberum suæ voluntatis arbitrium, siue cum arbitrio voluntatis, ideò verè libero, quia per ipsam gratiam liberato, perducit ad regnum: hi ergo, qui non pertinent ad hunc certissimum, ac fœlicissimum numerum, pro meritis iustissimè iudicantur.* Et assignat statim motiua. *Alij enim iacent sub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hereditario debito hinc exeuntes, quod non est regeneratione dimissum: aut per liberum arbitrium alia addiderunt (arbitrium inquam liberum, sed non liberatum, liberum iustitiæ, peccati autem seruum) quo voluuntur per diuersas impias cupiditates, &c. aut gratiam Dei suscipiunt sed temporales sunt, nec perseuerant, deserunt, & deseruntur, dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseuerantiæ dono, iusto Dei iudicio, & occulto.* Ista ergo peccata præuisa in his futura, fuerunt motiuum, vt Deus reprobaret illos, qui prçuisi sunt in eis decessuri.

Ob alia peccata etiam facta fuit reprobatio.

46. Quòd verò diuersi sint reprobatorum ordines

Diuersi reproborum ordines.

dines, scilicet, paruulorum, ac adultorum; item & eorumdem adultorum, inde patet ex fidei principijs; quia omnes paruuli sine baptismo decedentes ad vitam æternam non perueniunt, sed ad pœnam, ad minus damni, destinantur; inter adultos verò, qui damnantur, alij sunt infideles, & inter hos Pagani, Mahometani, Iudæi, ac Hæretici: alij fideles, qui Catholicam fidem sequuntur, & tamen in peccatis moriuntur: & omnes damnantur ad æternas pœnas quidem; sed tamen diuersorum graduum, ac intentionum; immò, & generum pęnarũ, vt latè disserui *in tomo de Nouissimis in disp. de inferno*. Nam Apocal. 18. 7. de tormentis inferendis damnatis dicitur, *Reddite illi, sicut ipse reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera eius; in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit; tantum date illi tormentum, & luctum*. Si ergo ad diuersas pœnas, acriores, & duriores pro culparum diuersitate addicentur mali; ad eas, & propter eas culpas à Deo fuerunt ab ęterno destinati.

Secunda pars.

Ex peccato communi in Adamo prouenit originariè reprobatio

47. Prob. secunda pars, quòd scilicet originariè ab originali peccato dependeat omnium reprobatio in Sancti Augustini, ac vera, meo videri, sententia. Nam sicut in pręcedenti Opusculo probauimus, quòd post præuisionem lapsus Adæ cum toto humano genere, Deus ex misericordia elegit aliquos ad gloriam relinquens alios in massa perditionis; ex quibus aliquos statuit efficaciter vocare ad fidem, alios non, ex suo iusto, sed occulto iudicio; aliquos decreuit permittere, vt in vna secta nascerentur; alios in alia, omnibus statuit terminum vitę; omnibus decreuit dare concursum ad opera propria, & permittere

tere vti suo libero arbitrio; omnibus decreuit gratiam sufficientem concedere: omnes tamen illos non electos prȩuidit diuersis peccatis se maculaturos, & in eis, vel illorum aliquibus, vel aliquo decessuros, & propter illa ipsos reprobauit. In hac rerum serie, patet euidenter, quòd etsi adulti propter hȩc reprobati sint immediatè, etiãsi aliqui fuerint ab originali liberati; prima tamen origo, radix, & fons eorũ damnationis fuit originale, in quod lapsi sunt cum Adamo, & ex massa illa damnata non fuerunt discreti.

48. Prob.2.ex S.August.*in Enchir.cap.99* vbi docet causam efficientem reprobationis esse diuinam voluntatem, supposita prȩscientia lapsus humani generis, cum Adamo, sic. *Vides enim si capis, vniuersum genus humanum iam iusto iudicio diuino in apostatica radice damnatum, vt etiamsi nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare iustitiam; & qui liberantur, sic oportuisse liberari, vt ex pluribus non liberatis, atque in damnatione iustissima derelictis, ostenderetur quid meruisset vniuersa consperſio, & quò etiam iustos debitum Dei iudicium duceret, nisi eius indebita misericordia subueniret.* Igitur etiamsi ob omnia actualia peccata non remissa homines damnentur de facto, & ob ea à Deo ab ȩterno præuisa fuerint reprobati; origo tamen tàm permissionis eorum, quàm negationis auxiliorum efficacium, ac indurationis aliquorum (vt postea dicam) fuit lapsus originalis præuisus in illis.

Ex S.Aug. clarè habetur, quòd radix reprobationis fuit originale peccatum.

49. Immò idem S. Augustinus *in lib. de Bono Perseuer. cap.* 11. sicut omnia bona opera electorum refundit in prædestinationem, tamquàm illorum originem, ita omnia mala non electis incessuris secundùm desideria cordis eorum, & ne-

gationem efficacium auxiliorum, & impenitentiam finalem refundit in reprobationem secutam ex peccati originalis prescientia, his verbis. *Proindè sicut Apostolus ait, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui & paruulis, quibus vult etiam non volentibus, neque currentibus subuenire, quos elegit ante constitutionem mundi in Christo &c. & maioribus etiam his, quos praeuidit, si apud eos facta essent suis miraculis credentes, quibus non vult subuenire, non subuenit, de quibus in sua praedestinatione, occultè quidem, sed iustè aliud iudicauit.*

August. sicut omnia bona opera electorum refundit in predestinationem: ita omnia mala reproborum in peccatum originale.

50. Idem confirmatur ex *lib. 1. ad Bonif. cap. 1. Cum secundum propositum Dei vnus vocatur, alius non vocatur: Vocato datur gratuitum bonum, cuius boni est vocatio ipsa principium: non vocato redditur malum; quia omnes rei sunt ex eo, quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.* Et paulò post, inquit, *Vbi dicitur, cuius vult miseretur; & quem vult obdurat, qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, bonum quidem immeritò, & gratis datur, quia ex eadem massa est, is cui datur; malum verò meritò, & debitum redditur, quia in massa perditionis malo non malè redditur*, & infra. *Quis enim te discernit vtique ab irae vasis, à massa perditionis, quae per vnum omnes misit in damnationem.*

Alia plura S. August. loca ad idem.

Ab originali tamquam à fõte procedit reprobatio.

51. Et in lib. *de Corr. & Gratia cap.* 7. de reprobis, inquit, *Non esse ab illa conspersione discretos, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex vno in condemnationem.*

52. In lib. *de Bono Perseu. cap. 14. ait. Caeteri autem* (praeter praedestinatos) *vbi, nisi in massa perditionis iusto Dei iudicio relinquuntur; vbi Tirij relicti sunt, & Sidonij, qui etiam credere poterant*

rant, si mira illa Christi signa vidissent, & tamen, si altiore Dei iudicio à massa perditionis non sunt gratis prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta diuina, vel facta, per quæ possent credere. Et post. *In eadem perditionis massa relicti sunt Iudæi etiam, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tàm magnis, clarisque virtutibus.*

53. Ex quibus omnibus, alijsque ferè innumeris, quæ pro hoc argumento adduci possent Augustini dictis, clarè euincitur, quòd omnes etiam adulti, qui ex multis præuisis eorum finalibus peccatis, siue non fuerint ab originali liberati, siue etiam liberati, ob alia peccata damnantur, & reprobati ab æterno fuere; & originem suæ reprobationis originariè, & radicaliter, lapsum originalem in Adamo, & cum Adamo debêt confiteri.

Conclusio generalis huius argumenti.

54. Neque obstat id, quod Concilium Tridentinum decernit in *sess.5. in §.penultimo*, vbi definit, *quod in baptismo peccatum originale non raditur, sed omninò deletur, & ideò in renatis per baptisma, nihil odit Deus, nihilque damnationis in eis remanet.* Non inquam nostrę conclusioni obstat: primò, quia Concilium loquitur de iustificatis per baptismum, inquiens, quòd ex parte originalis peccati *nihil prorsus remanet in baptizatis, quod eos remoretur ab ingressu Cælorum.* 2. quia nos loquimur de reprobis etiam baptizatis; & non dicimus, quòd ob peccatum originale iam deletum per baptismum, damnentur, quia illud non reuiuiscit, & *sine pænitentia sunt dona Dei*, ait Apostolus. Sed dicimus, quòd lapsus omnium hominum cum Adamo præuisus à Deo ab æterno, fuit in eis occasio decernendi exercitium suæ misericordiæ in aliquos, & efficiendi eos vasa honoris

Ad tacitā obiectionē respondetur.

Originale deletum in baptismo non reuiuiscit in reprobis.

eligendo ad gloriam, atque gratiam; & decernendi exercitium iustitiæ in alios, relinquendo quosdam in solo originali, non impediendo causas naturales, ne mortem eis inferrent, vel in vteris matrum, vel paulò post egressis ex illis; quosdam autem etiam liberatos ab originali, immò, & pluries tēporaliter iustificatos permittendo, vt ambulent *secundum desideria cordis eorum in adinuentionibus suis*, & in peccatis vitam finiant; quosdam tandem relinquendo in originali, ac permittendo, vt *secundum desideria cordis eorum viuant*, & in peccatis hi quoque vitam finiant, vt sunt omnes Gentiles, Mahometani, ac Iudæi, qui non veniunt ad fidem, & ob hęc peccata pręuisa eos reprobauit, & ęternas, licet dispares pro diuersitate demeritorum, pœnas destinauit; & hoc ordine, ac serie de facto in infernum morientes descendunt. Itaque obiectio ex Concilio ad rem non est, nec etiam pro reprobis ab originali liberatis, quia pro eo non damnantur, sed pro alijs, si adulti sunt. Adde tamen, quòd licet in his originale deletum sit, & pro eo non damnentur ab eo liberati; quia tamen sequela remanens ex originali in baptizatis, licèt non sit peccatum, tamen ad peccatum inclinat, nempè concupiscentia, vt ibi Concilium docet, & sic effectus peccati originalis, qui ad peccata diuersi generis inclinat, cui vt Paulus *Rom.8. ait*, cum difficultate resistitur, vt idem docet, multum conducit ad damnationem. Adde 2. Quòd ob originale cōmune peccatum, genus humanum incurrit, non solùm mortalitatem animæ moralem per culpam, & corporis physicam, ac naturalem; sed concupiscentiam, ac ignorantiam, passionum immoderationem, quæ inducunt ad iram, intemperantiam,

Quomodo ab originali pendeat reprobatio.

Baptizati, si in peccato moriuntur non dānantur ob originale.

tiam, ad homicidia, furta, blasphemias, &c. item morbos diuersi generis, qui pariter ad peccandum incitant. Et ita originale, in reprobis baptizatis, per se non est causa damnationis; sed effectus eius ad eam conducunt, quia ad peccata inclinant, quæ sunt immediatæ damnationis causæ. Et hæc ad abundantiorem doctrinam dicta sunt; quia pro soluenda obiectione superflua sunt.

CAPVT VI.

De effectibus reprobationis.

55. ADu. quòd reprobos multa consequuntur mala, tàm naturalia, quàm moralia; nempè seclusio à Regno Cœlorum, damnatio ad ęternam pœnam, priuatio finalis diuinorum auxiliorum, obcæcatio, & obduratio, permissio peccandi; tentationes validissimæ, negatio doni perseuerantiæ finalis in bono. Præterea aliquibus accidunt multa mala naturalia, vt defectus corporei monstruosi, obtusitas ingenij, dementia, morbi molestissimi, vel insanabiles, odia, persecutiones, famæ, & bonorum, vel vtrorumque ammissio, & alia mala naturalia his similia: quęritur ergo, an omnia hæc, vel aliqua horum mala sint effectus reprobationis.

Mala, quę consequuntur reprobos.

56. Dico mala naturalia, siue in bonis vitę, siue famæ, siue fortunæ, quamuis aliquando etiã reprobis aliquibus accidant, tamen non sunt effectus proprij, aut signa propria reprobationis.

Mala naturalia nõ sunt proprij effectus reprobationis.

57. Prob. Hæc omnia mala sunt reprobis, ac prædestinatis communia, ergo. Anteced. ex factis Sacræ Scripturæ probatur: Abel Sanctus ex inuidia

dia Cain, quòd Deus respiceret ad munera illius, & non ad sua, occisus fuit. *Gen.* 4. Abrahamo Deo caro, bis Sara Vxor rapta fuit à Pharaone in Ægipto, *Gen.*12.& ab Abimelech in Geraris. *Gen.*20.Isaac Sanctus,cæcitate per annos plusquã 40. laborauit, in qua & mortuus est. Ioseph castissimus spiritu prophetię à pueritia à Deo donatus, ob inuidiam à fratribus venditus; mancipiumque Putifaris effectus, ob castimoniam, calumniam ab eius Vxore passus, & in vincula coniectus, annis ferè octo in eis permansit. Dauid à Deo electus, & *secundum cor eius à Deo* dictus, persecutionem sæuissimam à Saule ob inuidiam; deindè à filio proprio Absalone cum publica decem Vxorum deturpatione, passus est. Tobias Sanctus cum cęteris à Salmanasar captiuus in Assiriam ductus fuit. Sanctus Iob bonis omnibus, ac filijs spoliatus, & lepra respersus, in Sterquilinio per plures annos testa saniem radens, à tribus consolatoribus impius putabatur.

Exempla Seruorum Dei, qui mala naturalia, & fortunæ passi fuere.

58. Sancti Prophetæ, Isaias, Ieremias, Daniel, & cæteri, in bonis fortunæ,famæ, ipsiusque vitæ calamitates perpessi sunt. Primus ab impio Manasse per medium sectus; secundus à Iudæis in Ægipto lapidatus; tertius ex Aulicorum inuidia, quia præpotens in aula priùs Nabuch, deindè Darij Medi, bis in lacum leonum coniectus fuit; & sic de alijs (quos refert Apostolus *Hebr.* 11.) Veteris Testamenti Sanctis. Alia innumera extant in Nouo Testamento exempla Sanctorum, incipiendo à Ioanne Baptista, & prosequendo per Apostolos, omnesque Martires, qui complura mala bonorum,famæ, ac demum vitæ tolerantes prædestinationis præmium sunt assecuti. At vbi relinquimus Sanctum Sanctorum, Prædestinato-

Prophetę ferè omnes mala multa passi.

natorum caput, Dei filium Christum Deum, & hominem, qui tot mala, insidiasque in fama, ac vita, ipsamque ignominiosam, ac opprobriosam mortem pati pro nobis dignatus est.

Idem de Sanctis Noui Testamenti habetur.

59. Perpetua inuidia ipsum Iudæi prosecuti sunt: penè natum, Herodes illum tentauit interficere, vnde oportuit tenellum infantulum in Ægiptum transferre: in perpetua voluntaria egestate, & in labore continuo vixit: cùm prædicare cæpit, continuis calumnijs fuit subiectus, modò impostoris, modò seductoris, modò, oh Deus! etiam insani. Bis lapidationem effugit; passionem denique immanem, sęuamque, & opprobrijs ignominiosis refertam, Sanctissimus Dominus perpessus est.

Christi Domini exemplum, qui tot mala pati dignatus est.

60. Concludendum ergo, quòd mala ista famæ, fortunæ, ac vitæ non sunt effectus, aut signa reprobationis, cùm etiam Sanctis, ac prædestinatis, & sæpè, ista accidant, sintque in eis ordinata ad meritum, & pręmium, & probantur etiam à Deo: nam Prou. 17. 3. dicitur, *sicut igne probatur argentum, & aurum in camino, ita probat Dominus. Flagellat enim interdum, quem diligit Dominus*; vndè Tobias cap. 12. 2. sui libri, ait ad Deum; *Quoniam tu flagellas, & sanas; deducis ad inferos, & reducis.*

61. Dico 2. Proprij, præcipuique reprobationis effectus sunt exclusio ab æterna vita, & destinatio ad æternam mortem, à Deo inflictæ ex præuisione peccatorum.

Effectus proprij reprobationis qui sint.

62. Prob. Hos effectus de facto patiuntur reprobi, & vt supra diximus, & ex *Matth.* 25. hos Christus dicit, se inflicturum illis: *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Et ex his pręcipuè (à posteriori) sunt, & dicun-

Exclusio à Cælo, & destinatio ad infernũ.

dicuntur reprobati, seu reprobi; si enim hęc duo ab eis auferantur, reprobi non sunt, sed vel prædestinati, vel in statu neutro positi; qui secundùm præsentem prouidentiam non datur, quia vt docet S. August. de Ciuit. lib. 15. cap. 1. *Duæ sunt Societates hominum, quarum vna est, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo; altera, æternum supplicium subire cum Diabolo.*

Excæcatio, & obduratio, an effectus, vel causæ.

63. Dico 3. Obduratio, excæcatio, seu auxiliorum diuinorum priuatio in reprobis accidentes, licet in aliquo sensu dici possint reprobationis effectus, tamen veriùs dici deberent peccatorum præcedentium à Deo præuisorum, ac pro eis reprobante, effectus; in eis tamen sunt.

64. Prob. prima pars: *Ex Rom. 9. Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat*: Et, sicut supra vidimus, Deus prædixit Moisi, se induraturum cor Pharaonis, sicut de facto indurauit, cùm ex parte Dei iussus dimittere Populum, vidensq; tot mirabilia, noluit dimittere; immò, quod plus est, ab initio tria prima signa virgæ in colubrum versæ, & deinde ex colubro iterum in virgam, & ranarum; ac aquæ Nili in sanguinem conuersæ, putauit esse demoniaca, & per suos Magos Iamnem, & Mambrem (vt ait Apostolus) curauit similia facere; & quando Magi illi non potuerunt ad instar Moisis producere Cinifes, & dixerunt, *digitus Dei est hic*, adhuc obstinatus, & induratus permansit, quamuis alia sex signa mirabilia videret. Et ita de multis alijs, qui plura signa per Martires, eorumque merita à Deo patrata, proprijs oculis conspexerunt, & tamen in infidelitate perseuerarunt, immò crudeliùs in eos exarserunt; & de Iudæis, Mahometanis, Paganis, & Hæreticis obstinatis communiter dicitur, quòd

Pharaonis exemplum circa populum Hebraicum.

Deus

Deus dereliquit eos, excæcauit, & indurauit; & sic effectus sint reprobationis, quia in omni conditione auxiliorum sufficientium præuisi sunt repugnaturi.

65. Prob. secundò. Probatum iam fuit, quòd reprobatio fiat ex pręuisione peccatorum. At quoniam præuidit Deus, quòd aliquorum voluntates adeò peruersæ, & ad malum inclinatę erant futurę, quòd nullam admissuræ erant correptionem, ideò decreuit eas deserere; seu obcęcare, & indurare, quod idem est, ac suis efficacibus auxilijs priuare; & ideò ex hoc capite dici potest, quòd reprobatio completè accepta compręhendat, nedum exclusionem à gloria, & damnationem ad pœnam; sed etiam excæcationem, & indurationem, seu derelictionem, & permissionem peccatorum.

Ex pręuisione peruersę voluntatis, Deus statuit obcæcare.

66. Prob. secunda pars. Motiuum vnde mouetur Deus ad excæcandum, deserendum, & indurandum aliquem de facto, vt nuper dixi, est habituata peruicacia in malo, respuens omnem correptionem, omnemque vocationem, tàm internam, quàm externam, vt inquit Dauid, *Psalm.* 80. *Et non audiuit Populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinuentionibus suis.* Procedit ergo ex malitia peccatoris peruersi, quòd Deus eum deserat, excęcet, & induret, ac permittat aliquem inuolui pluribus grauioribusque peccatis, vsque in finem, & pereat; & hoc est, quod dicitur de Iudæis *Io.* 12. 40. *cum tot signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Isaię impleretur, quia excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.*

Ratio cur induratio, & obcęcatio dici possint causę reprobationis.

eos. De hac excæcationis causa loquitur Paulus *Rom.* 11. 8. de illis, qui in Christum post tot signa non crediderunt; *Cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est, dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant vsque ad hodiernum diem*. Si ergo mouetur Deus ad excæcandum, & ad obdurandum peccatorem peruicacem habituatum, & obstinatum; quia talem futurum præuidit, decreuit sic facere. Et nulla est in Deo iniquitas, nulla iniustitia, sed tota motiua causa in peccatorem est refundenda; ita vt ipse sit pręuisus suæ miserię futurus faber, & prouocaturus Deum ad iustitiam exercendam.

Ex pręuisione peccati, oritur decretum obcęcationis.

67. Prob. ex S. August. *lib. de peccat. mort. & remiss. cap.* 17. vbi de hominum peccatorum derelictione, sic habet: *Quia gratia non adiuuentur, in ipsis illa causa est, non in Deo; damnandi prædestinati sunt propter iniquitatem superbiæ. In epist.* 105. quæ est ad Sixtum, ait, *Cuius vult miseretur, non iustitiæ, sed misericordiæ gratia; & quem vult indurat; non iniquitate, sed veritate vindictæ*. Et infra. *Quærimus meritum obdurationis, & inuenimus. Merito enim peccati vniuersa massa damnata est: nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam; quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur, ac potiùs, vt non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur*.

Augustini sententia.

68. Idem S. Doctor in lib. de Gratia, & lib. arb. c. 5. dicit, *quando auditis, quòd dicit Apostolus, cuius vult miseretur, & quem vult indurat, in eo quem seduci permittit, aut indurari, eius mala credite*. Et in cap. 21. ait, *Per hoc, quando legitis in libris veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, vt iustè ista paterentur: quia malitiam*

litiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta sit ab ipso Adam, aut creuit per propriam voluntatem.

69. Idem Sanctus ad Simplicianum *lib.1.qu.* 2. ait. *Vbi hic dicitur obdurare peccantes quosdam quia non eorum miseretur, quibus misericordiam non esse præbendam, æquitate occultissima, & ab humanis sensibus remotissima iudicat.*

70. Ex his ergo omnibus patet, quòd excęcatio, & obduratio, præsertim finalis, quæ important carentiam auxiliorum in peccatore peruicaci, licet reperiantur in reprobis ex Deo non conferente efficacia auxilia ad conuertenda, & commutanda mala eorum corda in bona; ad eas tamen infligendas mouetur Deus ex eorum peccatis in actu positis; at quia ab æterno præuidit eos sic peccaturos, & ea auxilia demerituros, decreuit iustè ea non dare; & sic, licet ab eo denegentur, ipseque sit causa denegationis; quia tamen non includuntur primariò in decreto reprobationis, dici nequeunt immediati effectus reprobationis, sicut exclusio à Regno Cœlorum: ex alia verò parte, licet peccator ipse sit causa suæ excęcationis, & obdurationis, mouens nempè Deum ad excęcandum, & obdurandum, adhuc status ille, in quo Deum mouet, originem habet à permissione vsus liberi arbitrij ad quodcumque malum; hæc autē permissio oritur à reprobatione, saltē negatiua, si datur: & sic dici posset quòd est effectus reprobationis, siue immediatus, & primarius, siue mediatus, & secūdarius. Dicatur quod placet, dūmodò Deo non tribuatur iniquitas, quasi malitiam velit in reprobis, vt impudenter docuit Caluinus; neque iniustitia, quasi puniat, seu pęnam miseris hominibus sine demerito inferat.

Conclusio de causa obcęcationis, & indurationis

71. Dico 4. Permissio quælibet peccati non

Quę permiſſio peccati ſit effectus reprobationis.

eſt effectus reprobationis, ſed ſola permiſſio toto vitæ tempore; vel ſaltem peccati finalis, in quo decedit reprobus.

Etiam prędeſtinati aliquando peccant.

72. Prob. & declaratur prima pars. Multos iuſtos, ac prædeſtinatos permittit Deus peccare, vt in ſacris litteris, & Eccleſiaſticis Hiſtorijs legimus, etiam de Martiribus quibuſdam, qui prima vice negarunt; deindè ſpontè ſe obtulerunt Tyrannis, & fidē confeſſi, martiriū paſſi ſunt: ergo.

Diuerſi ordines peccantium, & in peccatis morientium.

73. Prob. & declaratur ſecunda pars. Quidam enim homines ab vtero matris cum peccato egreſſi, numquam ab eo mundantur, ſed toto vitę tempore in eo permanentes, alia propria, nedum infidelitatis, ſed contra legem naturæ addunt, & eis obruti decedunt, vt omnes Iudæi, Mahometani, & Pagani, ſeu Idolatræ. Hæc permiſſio in eis eſt reprobationis effectus, & ſuppoſita noſtra fide, maius reprobationis ſignum apud nos aſſignari nequit; quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, Hebr. 11. & Io: 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei*; & Marci vltimo, *qui non crediderit condemnabitur*.

Alij ordines peccātium inter Chriſtianos,

74. Probatur tertia pars. Innumeri ab originali mundantur, & tamen cùm adoleſcunt, in hęreſibus inſtruuntur, & in eis moriuntur: in his permiſſio peccati eſt reprobationis effectus. Multi pariter baptizati, catholicè viuentes, ſæpè per Sacramentum pœnitentiæ iuſtificati, tamen in peccatis moriuntur, vel quia recedunt à fide in hæreſim, aut Mahometiſmum, aut Iudaiſmum; vel quia Catholici quidem moriuntur; ſed vel adulteri, vel fornicarij, vel Sodomitæ, vel Vſurarij, vel Simoniaci, vel alijs ſimilibus onuſti, ex improuiſo, aut ſine Sacramento pœnitentiæ,

aut

tur sine valido Sacramento decedunt: in his certè permissio sic peccandi est effectus reprobationis, ni velis dicere, vt in præcedenti conclusione, quòd illa peccata præuisa sint motiuum, & causa reprobationis. Quodcumque dicatur, in miseris reprobatis reperitur eiusmodi miseria.

75. Ex his autem multa scitu digna colliguntur. Primò, quòd dictum illud Dei per Dauid, *dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis*, non conuenit electis, sed est effectus reprobationis; miseri, enim reprobi, sic ex sua mala inclinatione, & renitentia correptionis, ac orationis, vt à praua consuetudine liberentur, dimittuntur à Deo, vt faciant, quod volunt, & sic in peccatis moriantur: ita docet S. Augustinus lib. de *Gestis Pelagij cap. 3. Absit autē vt ij, qui secundum propositum vocati sunt, quos præsciuit, & prædestinauit conformes imagini filij sui, vt pereant, desiderijs dimittantur. Hoc enim patiuntur vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem. Illis ergo fit, quod scriptum est; tradidit illos Deus in desiderijs cordis eorum; non autem prædestinatis, quos regit spiritus Dei.* Reprobi dimittuntur in desiderijs suis

76. Secundò colligitur, & est valdè notandum, quòd permissio primi peccati Adę, & incursus totius humani generis in illud, nullo modo dici potest effectus reprobationis. Tum quia, vt cum S. Augustino docuimus, decreta, tàm prædestinationis, quàm reprobationis facta sunt, ab æterno quidem, sed post præuisionem lapsus Adæ, cum tota posteritate, & ex tunc massa generis humani facta est damnata, idest, Deo inimica, & ex ea, *vt in primo Opusculo* diximus, Deus discreuit aliquos ex misericordia; alios in ea reliquit ex iustitia; & in sequenti signo reprobauit, Permissio primi peccati Adæ, & incursus non fuit effectus reprobationis.

cum

cum eo respectu, & ordine, nempè infantes morituros cum originali solo, addicens ad pœnam damni: adultos verò ex præuisione peccatorum propriorum, ad pœnam damni, & sensus, iuxta proportionem grauitatis eorum; & sic permissio primi peccati Adæ, cum incursu omnium, non potest dici effectus reprobationis; sed potiùs causa, & origo respectu illorum.

Ex duplici ratione.

Tum etiam, quia si primum peccatum Adę cum incursu aliorum esset effectus reprobationis, tàm Adam, quàm cęteri omnes, etiam Sancti vtriusque Testamenti, essent reprobati: Quod nedum falsum, & hęreticum, sed fatuum est; effectus siquidem supponit causam; ideò si peccatum omnium est effectus reprobationis, si omnes cum Adam, & in Adam peccarunt, omnes erunt reprobati, quod absurdum est.

CAPVT VII.

An, & quinam assignari possit finis Dei in reprobatione hominum, & creatione eorum.

77. ADu. 1. quòd licet, vt ait Apostolus, *nemo nouit sensum Dei, neque consiliarius eius fuit*; nihilominus ex ijs, quæ Deus ipse dignatus est per Prophetas, Sanctosque alios viros reuelare, multa alia inferre potuerunt Sancti Ecclesiæ Doctores. Ideò quærimus, an ex Sacris literis inferri possit, ob quem finem voluerit Deus homines permultos sinere peccare, & ob peccata illa reprobare, excludendo eos ab æterna vita, & damnando ad ęternam mortem; eosque creare, & cum prędestinatis miscere.

Ex his, quę reuelata sunt potest aliquis finis Dei colligi.

78. Adu. 2. & suppono *ex tractatu de Voluntate*

tate Dei, quòd, vt ex Prou. cap. 16. 4. habetur, *Vniuersa propter semetipsum operatus est Deus; impium quoque in diem malum*. Quoniam verò Deus non frustra, sed prudentissimè, ac sapientissimè, & iustissimè operatur omnia; sicut in psalmis canitur, *Omnia in sapientia fecisti*; quærimus finem, ob quem homines reprobauerit; immò, cur eos creauerit, quos sciebat fore peccaturos, & se illis non esse parciturum; decreueritque eos cum electis permiscere.

Finis quæritur, ob quem Deus reprobauit

79. Dico 1. Quamuis incognita, & inscrutabilia sint iudicia, & fines particulares Dei; dici tamen potest, quòd supposita peccatorum præscientia vnus Dei finis in creatione, & reprobatione malorum fuerit suæ iustitiæ vindicatiuæ exercitium.

Probari potest 1. ex *Rom. 9.* vbi Apostolus cùm præmisisset verba Malachiæ 1. 2. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, & verba Exodi 33. *Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor, & quod non est iniquitas apud Deum*, subdit, *Scriptura dicit Pharaoni: In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra*. Et infra. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ preparauit in gloriam*, &c. Igitur sicut finis Dei in prædestinando fuit exercitium suæ misericordiæ, ita finis in reprobando ob demerita, fuit exercitium iustitiæ. Glos. ord. *Quid ergo, ait, per misericordiam eligit, per iustitiam reprobat*.

Vnus finis Dei in reprobando fuit iustitiæ exercitium.

80. Confirmatur ex supra allato Prou. capite, *Vniuersa propter semetipsum operatus est Deus*;

Ex S. Scriptura.

im-

impium quoque in diem malum. Lyran. ait, *idest extremi iudicij, vt in reprobis reluceat iustitia, sicut misericordia in electis, vt deducit Apostolus diffusè in epistola ad Rom.cap.9.*

81. Prob.2.euidenti ratione. *Deus iustus est, & misericors*, & talis in Sacro textu sæpissimè ennnciatur, & à Paulo dicitur, *iustus Iudex reddens vnicuique iuxta opera sua*. Tunc sic. Potuisset Deus ab æterno decernere, & in tempore postea creare omnes homines Sanctos, & non permittere, vt libero arbitrio vterentur ad malum, sed denegare eis concursum ad malum; vel eos confirmare in gratia: At non sic fecit, sed cum facultate operandi bonum,& malum eos creauit. Cur hoc? tutiùs responderetur, *incompræhensibilia sunt iudicia eius*: nihilominus pro nostro captu,ex principijs Sacræ Scripturæ, dicimus id fecisse ad ostensionem potentię suę, & liberalitatis in homines, faciens eos liberos ad quæcumque velint, vt postea ostendam. Item poterat Deus ab æterno decernere, & postea facere in tempore, sicut fecit homines liberos, ac omnium primum Adamũ, & permittere, vt peccaret, ad probationem suæ libertatis; & potuit decernere, & postea exequi, de dando omnibus veniam in Adamo; & sicut decreuit facere aliquos tantùm vasa misericordię, eligendo eos ad gloriam, & ad gratiam necessariam pro consecutione glorię; ita potuisset omnes facere vasa honoris, & misericordiæ; & tamen omnes tales non decreuit facere; sed aliquos eorum ob solum originale damnare; alios verò ob originale, & alia actualia, seu personalia,quę ab eis patranda præuidit, reprobare; alios præterea decreuit ab originali, immò, & ab actualibus,ac proprijs sæpè liberare, sed postea permittere,

Prob. ratione.

Ex liberalitate sua Deus fecit homines liberos ad bonum, & malum.

Discursus euidens ad Conclusionem.

tere, quòd vſque in finem non perſeuerarent; & ſic prẹuiſos damnare. Ex quo diſcurſu ſequitur, quòd ſicut finis Dei in liberando aliquos ex maſſa damnata, fuit exercitium ſuę miſericordię; ſic in relinquendo alios in ea, & damnando ad pœnam ęternam, modo prędicto, ſcilicet, ex peccatorum prẹuiſione, finis eius fuit exercitium iuſtitiæ.

84. Confirmatur. Si dicatur prędeſtinationem quoque quoad electionem factam ex prẹuiſis meritis, ſicut communiter tenetur de reprobatione; adhuc in vtroque caſu Deus ad iuſtitiam exercendam vtrumque feciſſet. Igitur per hoc, quòd dicitur electionem ad gloriam factam eſſe ex fine miſericordię; non impedit, quin dicatur, reprobationem factam eſſe ex fine iuſtitiæ.

A paritate prædeſtinationis.

85. S. Auguſtinus inter alios fines (de quibus infra) ob quos Deus malos creauit, eoſque reprobauit; vnum dicit, oſtenſionem iuſtitię. In *lib. 2. de peccat. mort. cap.* 18. ſicut alibi ſępè, docet, Deum in prędeſtinando, & reprobando exercere miſericordiam, & iuſtitiam. At quare circa illos miſericordiam, & circa hos iuſtitiam, cùm poſſet erga omnes exercere miſericordiam; inquit, hoc non eſſe inquirendum, ſic. *Quare autem illos velit conuertere, illos pro auerſione punire; quamquã, & in beneficio tribuendo nemo iuſtè reprębendat miſericordem, & in vindicta exercenda, nemo iuſtè repræhendat veracem,* (ideſt iuſtum) *Conſilium tamen occultioris iuſtitiæ penes ipſum eſt.* Igitur, ſicut in prędeſtinatione Deus habet pro fine ſemetipſum miſericordem; ita in reprobatione habet pro fine ſemetipſum iuſtum: & in *lib.* 1. *ad Bonifac. cap.* 20. ait, *Iam quomodo iſta diſponet, faciens alios ſecundum meritum vaſa iræ, alios*

Ex Auguſt. finis reprobationis in Deo eſt ſua iuſtitia.

Cur non circa omnes Deus exercet miſericordiã prædeſtinando, occultum eſt.

secundum gratiam vasa misericordiæ, quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? At *in lib. de bono Perseu. cap.8.* dicit. *Cur in eadem causa, me potiùs, quàm illum puniet, aut potiùs illum, quàm me liberabit, hoc non dico si quæras, quare? quia in hac re, sicut iustę est iræ eius, & sicut magnæ misericordiæ eius, sic inscrutabilia iudicia eius*; & infra ait, *in hac re cantandam esse misericordiam, & iudicium*. Igitur supposita pręscientia peccatorum, finis Dei in reprobando, seu puniendo, est iustitię exercitium, sicut in prędestinando est exercitium misericordię. Cur autem in illos, & non in istos in pari causa iustitiam exerceat, inscrutabile Dei iudicium est.

Plura August. loca.

Alij fines creationis & reprobationis.

84. Dico 2. Secundùm Augustinum, alij plures fines, seu motiua assignari possunt in Deo in creatione, & reprobatione hominum, supposita pręscientia peccatorum eorumdem.

Vnus finis extrinsecus Dei est experimentum electorum in virtutibus.

85. Prob. vnus finis, seu vnum motiuum dici potest, quòd sit exercitium, & experimentum electorum in virtutibus ob malorum infestationem: ita ex *lib. 18. de Ciuit. cap. 15. Inimici omnes Ecclesiæ quolibet errore cæcentur, vel malitia deprauentur, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam; si tantummodò malè sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam; vt autem etiam inimici diligantur, exercent eius beneuolentiam, aut etiam beneficentiam, siue suasibili doctrina, siue terribili disciplina.*

86. Idem S. Doctor in *Psalm. 106.* assignās causam, cur Deus permittat Hæreticos externè etiam prorumpere in hęreses, ait, *Potiùs illos pati intus semper; sed nos de illis non proficeremus. Cum autem separati sint, & quæstiones malignas inquietant nos, propositum est vobis ex illis, & inquisitio-*

ſitionis ſtudium, & timoris exemplum. Vnuſquiſque tremat, cum alterum videt exiſſe, tamquam ex illius exitu dicatur illi, qua propter, qui ſe putat ſtare, videat, ne cadat. Proſunt ergo, qui exeunt. Nam ſi intus eſſent, & tàm mali eſſent, nihil de illis prodeſſet: & in epiſt. 106. ait, *Hæreticos à Deo permitti, vt emineant, qui. probati ſunt in eloquio Dei; quam ſententiam Paulus expreſſit. Oportet hęreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in nobis. Et de Ciuit. lib.*11. *cap.* 18. clariùs ait. *Neque enim Deus vllum, non dico Angelorum, ſed hominum crearet, quem malum futurum eſſe præſciſſet, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum vſibus commodaret; neque ita ordinem ſeculorum, tamquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibuſdam quaſi antitheſis honeſtaret*. Et in pſalm. 54. dicit, *Ne putetis gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum: omnis malus, aut ideò viuit, vt corrigatur, aut ideò viuit, vt per illum bonus exerceatur*.

Ob bonum electorum permittātur reprobi.

Et ob pulchritudinē Vniuerſi.

87. Secundus finis, ſeu motiuum Dei in creando malos, & reprobando illos poſt peccatorum eorumdem præſcientiam, dici poteſt ſecundùm Auguſtinum, quòd fuerit, vt prędeſtinati agnoſcant Dei miſericordiam, qua cum eis vſus eſt, & Deum ex hoc continuò laudent.

Secundus finis extrſ. ſecus Dei in reprobando, qui.

Prob. ex eodem pluribus in locis. Primò *ex epiſt.* 106. ait, *malos creatos, & reprobatos, vt ex eorum iuſtis pœnis, ac debitis vaſa miſericordiæ, quæ non ſuorum operum meritis, ſed gratuita Dei gratia ſunt ab illa concretione diſcreta, quid ſibi collatū eſſet addiſcerēt, vt omne os obſtruatur, et qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ibidem iterum dicit, *Ibi gratia eſt indulgentia, vbi iuſta poſſet eſſe vindicta. Et hoc euidentius apparet à pœna debita liberato, & gratis iuſtificato, quantum beneficij conferatur; quod alter æ-*

Vt electi agnoscant Dei misericordiã.

qualiter reus, sine punientis iniquitate punitur. Et in *lib. de bono Perseu. cap. 8.* inquit, *Deus iudex est; ac per hoc ab eo gratis datur gratia, & iusto eius in alijs iudicio demonstratur, quòd eis, quibus datur, confertur gratia*.

88. Et in psalm. 87. assignat motiuum, cur Deus creat reprobos, dicens, *occurrebat autem quæstio, quis sit vsus istorum mortuorum, quid ex his agat Deus ad vtilitatem corporis Christi, quod est Ecclesia?* Et respondet. *Vt in eis demonstretur gratia, quæ est in prædestinatis, qui secundum propositum vocati sunt. Vnde ipsum corpus in alio psalmo dicit, Deus meus misericordia eius præueniet me. Deus meus demonstrauit mihi in inimicis meis*; & in psalmo 58. dixerat, *Deus meus demonstrauit mihi in inimicis meis quantam circa me habuit misericordiam, in illis mihi demonstrauit, circa quos non habuit; nisi enim debitor suspendatur, minus agit gratias, cui debitum relaxatur*.

Multa S. August. loca de hoc fine Dei in creatione, & reprobatione malorũ

89. Idem Sanctus *lib. 1. ad Simpl. quæst. 2.* plura dicit ad rem, & pręcipuè sequentia. *Quòd ergo volens Deus ostendere iram attulit vasa iræ ad vtilem alijs præstandum timorem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Etenim obduratio illa impiorum vtrumque demonstrat, & quod timendum sit, vt quisque pietate conuertatur ad Deum, & quantæ agendæ sint gratiæ misericordiæ Dei, qui in aliorum pœna, quid alijs donet ostendit. Si autem illa, quam de alijs exigit, non est iusta pœna, nihil donat alijs, à quibus eam non exigit; quia verò illa iusta est, & nulla est iniquitas apud Deum iudicantem, quis sufficiat agere gratias ei, qui hoc remittit, quod si vellet exigere; nemo se rectè diceret non debere*.

Bonum electorum insurgit ex creatione, & reprobatione malorum.

90. Alius finis, ac motiuum Dei in creandis, & re-

& reprobandis malis post pręuisionem peccatorum eorumdem, & permittendi, vt permixtim cum prædestinatis commorentur, secundùm Augustinum fuit, vt omnes homines humiliter, & cum timore suę damnationis viuerent, nescientes de quorum sunt numero.

Tertius finis creationis, & reprobationis malorũ, fuit omnium humilitas.

91. Prob. ex multis Augustini locis. Primò ex lib. de *Sancta Virginitate cap.40. An verò propter aliud credendum est, permittere Deum, vt misceantur numero professionis vestræ multi, & multæ casuri, & casuræ, nisi vt his cadentibus timor vester augeatur, quo superbia vestra comprimatur, quam sic odit Deus, vt contra hanc vnam se tantùm humiliaret Altissimus.*

Omnes humiliter viuere debẽt ne labãtur.

92. In lib. autem de *Bono Perseu. cap.* 8. inquit, *hominibus autem videtur, omnes, qui boni apparent fideles, perseuerantiam vsque in finem accipere debuisse: Deus autem melius esse iudicauit, miscere quosdam non perseueraturos certo numero Sanctorum suorum, vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi; multos enim à perniciosa elatione reprimit, quod ait Apostolus, qua propter, qui videtur stare, videat, ne cadat.*

Vt omnes timeant de casu.

93. Idem S. Doctor in eodem *lib. de Bono Perseu. cap.* 13. inquit. *Ideò quippè, vt supra diximus, non perseueraturi perseueraturis prouidentissima Dei voluntate miscentur, vt esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore, ac tremore nostram ipsorum salutem operemur.*

94. Et in *epist.* 107. quæ est ad Vitalem, idem prorsus dicit, *Propter huius timoris vtilitatem, ne regenerati, & piè viuere incipientes, tamquam securi alta sapimus, quidam non perseueraturi perseueraturis Dei permissione, vel prouisione, ac dispositione*

trium rueret, nisi ei per Dominum nostrum Iesum Christum Dei gratia subueniret?

98. Hæc ergo bona prædestinatis ex reprobatione malorum, ex creatione eorum, & mixtione cum eis, proueniunt, & sic *Vniuersa propter semetipsum operatur Deus, etiam impium*; vt eius iustitia, & misericordia in vtrisque exaltetur, & glorificetur. Amen.

CAPVT VIII.

An Deus ex supposito decreto reprobationis, aliquo modo concurrat ad peccata reproborum.

99. ADu. 1. quòd licet quæstio hæc pertineat propriè ad tractatum *de concursu Dei cum causis secundis*, abs re tamen non est hìc aliqua discutere de Dei concursu, seu influentia ad actum peccaminosum cuiuscũque peccantis, num sit verus, & physicus influxus, an mera permissio, qua nempè Deus sinit homines vti suo libero arbitrio, etiam circa obiecta mala, seu prohibita. Difficultas autem in eo consistit, quia cùm Deus sit causa prima, & vniuersalis, debet ad omnem actum secundum creaturę cuiuslibet concurrere: ideò videndum, an, vel quomodò ad actiones peccaminosas concurrat. Id autem censui in hoc Opusculo discutiendum, vt Deus optimus maximus ab iniuria authoris peccati, atque crudelis vindicetur: & mali homines excusatione indigni appareant, dum de Deo conquerun-tur. Et quamuis in capite quarto huius Opusculi multa, & meritò dicta sint contra Caluinum, eiusq; gregales, dicentes quòd Deus sua absoluta voluntate voluerit homines perdere, & quòd

Cur hic tractatur de hoc pũcto.

malis

malis Angelis vtatur ad instigandum homines,& inducendum, vt peccent; nihilominus, cùm hìc agamus de causa peccati, quod prçuisum, fuit Deo motiuum reprobandi peccatores; operę pretium duxi, blasphemiam Caluinistarum iterum confutare: deinde motiuum inquirere, cur Deus decreuerit permittere, vt caderent, quos prçuidit casuros, cùm potuisset non permittere, vel per denegationem concursus, ad opus malum, vel per collationem gratiæ efficacis ad opus bonum oppositum.

In c.4.côt. Calu. plura dicta sunt ad aliud propositum.

100. Adu. 2. Primum, quem legamus in Noua Lege, qui phanaticè dixerit Deum positiuè, ac effectiuè concurrere ad omnia peccata hominum, & æquè principaliter, sicut homines, teste S. Vincentio Lirinense in *Commonit. aduersus prophanas vocum nouitates*, fuisse Simonem Magum, quem secuti sunt Cerdon, Marcion, & Manichæus; quem errorem cum Authoribus in Orco sepultum, ab eo reuocauit in præterito sæculo impius Ioannes Caluinus. Is enim, non solùm id sępè docet, sed *in lib.1. Instit. cap. 4. §.3.* deridet, immò repræhendit antiquorum sobrietatem, quòd ausi non sint dicere, Deum velle positiuè peccata hominum, & ad ea concurrere; sæpiùsque hanc impietatem replicat, vt in *lib.1. instit. cap. 18. in lib. 3. cap. 23. §.7. & 8.* & seqq. docet expresè Deum non permittere solùm, sed efficaciter, & absolutè velle hominum peccata: & in eodem *lib.cap.23. §.4.*dicit, quòd homo iusto Dei iudicio, ac impulsu facit, quod non licet: *in §.6.* ait, quòd ex externa Dei ordinatione factum fuit primum Adę peccatum. At contra impios istos nebulones sunt omnes tàm Catholici, quàm Hęretici Theologi, sequentes Sacram

Blasphemię Caluini contra Deum, quę facit Authorem peccati.

Sacram Scripturam, ipsique Philosophi sequentes dictamen naturæ, vt mox patebit. Priùs ergo videbimus, an positiuè, an verò permissiuè tantùm Deus concurrat ad peccata hominum; deinde *in cap.*10. videbimus, cur ea permittat. Et loquimur de actualibus peccatis.

101. Adu. 3. quòd vt suppono *ex tract. de vitijs, & peccatis*, in quolibet peccato, siue commissionis, siue omissionis adsunt duo, vnum pro substrato, seu subiecto, alterum pro formali, seu forma peccaminosa; v.g. in furto, vel fornicatione, adest materialis ille actus capiendi bona alterius, vel coeundi carnaliter; qui sunt actus merè naturales; & adest in eis negatio rectitudinis debitæ in esse illis actibus, idest negatio conformitatis ad legem; lex enim præcipit, non furandum, non mæcandum; qui hæc non facit, habet conformitatem ad legem; hæc est bonitas: qui facit habet negationē huius cōformitatis, seu bonitatis. Hęc certa, & sine difficultate sunt. Sed difficultas est, quomodo, qui concurrit ad actum illum materialem capiendi bona alterius, vel coeundi cum non sua vxore, cui necessariò connexa est deformitas, seu bonitatis carentia, non concurrit ad illam deformitatem, seu bonitatis carentiam. Hoc opus, hic labor. Deus enim, vt causa prima, de necessitate causalitatis vniuersalis concurrit ad omnem actum positiuum humanum: quomodo ergo saluabitur, quòd non concurrat etiam ad deformitatem, quæ necessariò coniuncta est cum actibus illis positiuis. Hoc etiam videndū.

Duo consideranda in actu peccaminoso.

Difficultas hęc in quo consistat.

102. Dico 1. Deus nullatenus concurrit positiuè ad formale peccati, vt dici possit author peccati alicuius hominis.

Deus non concurrit ad formale peccati.

Prob. 1. ex ipsismet Ethnicis Philosophis.

Ex Ethnicis prob.

Trimegistus.

Mercurius Trimegistus *in Pimandro cap. vlt.* ait, *à Deo factore nihil turpe, nihil malum prodijt.*

103. Plato *de Republica dialogo* 2. inquit; *Bonorum quidem solus Deus causa est dicendus: malorum autem quamlibet aliam causam quærere decet.* Et postea damnat docentes oppositum, inquiens, *malorum alicui causam esse Deum, cùm bonus sit, refellendum est omninò; nec permittendum hoc quemquam dicere in sua Ciuitate, si bonis instrui legibus ciuitas debet.* Et velut fidei inquisitor Christianus Catholicus, nec audiendam permittit hanc blasphemiam, subdens, *Nec quemquam permittendum audire, siue sit ille iunior, siue senior; siue carminibus hæc inserantur, siue soluta oratione narrentur, tamquam quæ neque dictu sancta sint, neque alijs vtilia, neque inter se consona.* Quomodo sanctiùs loqui potuit quiuis Catholicus Doctor? & tamen effrons Caluinus ausus est delirare.

Plato neq; dici permittit.

104. Prob. ex S. Scriptura, Psalm. 5. *non Deus volens iniquitatem tu es.* Deuter. 32. 4. *Deus fidelis, & absque vlla iniquitate.* Sapientię 14. *odio est Deo impius, & impietas eius:* Habacuh 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Ezechiel. 18. *Nunquid voluntatis meæ mors impij, dicit Dominus?* & cętera plura loca Veter. Test. improbant Caluinistarum impietatem.

Ex S. Scriptura Veter. Test.

105. Prob. 3. ex Nouo Test Ex 2. Petri. cap. 3. *Deus neminem vult perire:* ex Rom. 3. *Nunquid iniquus est Deus? absit, alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* & cap. 9. *nunquid iniquitas apud Deum? absit.* Ex epist. 1. Ioan. cap. 3. *peccatum in eo non est.*

Ex Nouo Testam.

106. Neque dici potest, quòd pręceperit hominibus, vt peccarent. Nam Ecclesiast. 15. *Nemini*

mini mandauit impiè agere. Non dicas per Deum, abest; quæ enim odit, ne feceris, non dicas ille me implanauit. Non enim necessarij sunt ei homines impij. Vnde Iacobus in epist. Canonica docet, quòd Deus non solùm non peccat cum homine, aut iubet ei peccata, sed neque tentat eum ad peccatum. *Neque cùm tentatur dicat, quòd à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat, sed vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.*

Deus non præcipit hominibus vt peccent.

Et per Ieremiam cap. 19. protestatur Deus, quòd peccata non pręcepit, sic. *Ædificauerunt excelsa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.*

107. Prob. 4. Deus in toto Sacro Textu prohibet peccata, & comminatur pęnas peccantibus, ergo, nec ipse concurrit efficienter ad peccata; neque ea imperat: euidens est consequentia; iniustè enim ageret, si puniret opera sua, vel quæ ipse pręcepit, vt fierent. Anteced. ex lectura Sacri Textus patet; de prohibitione sufficiat vnus locus Isaiæ cap. 1. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mærens*, &c. & post multa. *Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni; regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur, sicut in vastitate hostili*, &c.

Deus prohibet peccata.

108. De pænis autem illatis à Deo ob peccata, quis fidelis Scripturam Sacram legens, diffiteri potest? incipiat ab Adamo, & consideret in quas pœnas incurrerit, & in nobis easdem induxerit ob transgressionem diuini pręcepti; quàm

magnæ sunt amissiones status innocentiæ, immortalitatis, habitationis terrestris Paradisi, certitudinis ęternę vitę; incursus in concupiscentiā. & ignorātiam, & pessimā hæreditatem peccati originalis. Legatur peccatum, & pęna Caini. Legatur exterminium generis, ferè totius, humani per diluuium, *ex eo quod cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore*. Legatur subuersio quinque ciuitatum Palestinę, Sodomæ scilicet, Gomorræ, Adamę, Seboim, & Segor, diluuio ignis, & sulphuris incensarum ob peccatum pessimum *Gen.* 19. Legatur occisio tot Myriadum primogenitorum Ægiptiorum ob tyrannidem in Hębræos, contra Dei mandatum, decem manifestis signis, Pharaoni, & ministris eius intimatum, *Exodi* 12. & seqq. Legatur submersio eiusdem Pharaonis cum toto exercitu in mari rubro, ob eorumdem Hębreorum persecutionem cùm ab eo fugerent, *Exodi* 14. Legatur excidium viginti trium millium Hębreorum sub monte Sinai iussu Moisis interfectorum, ob adorationem vituli, existente Moise in colloquio Dei in monte. Alia multa possem exempla adducere de eiusmodi punitionibus notorijs à Deo inflictis ob peccata. Quis ergo, nisi insanus, dicet Deum esse peccatorum Authorem, cum hominibus peccare, aut peccata illis præcepisse, aut præcipere? absit. Sanctus est Deus, bonorum author, peccatorum osor.

Deus punit non præcipit peccata.

Multę pęnæ inflictæ pro peccatis.

109. Prob. eadem conclusio ex Patribus, & Ecclesię Doctoribus Græcis, & Latinis, quorum in vnum congerit Bellarminus *in tract. de Amissione gratiæ, & statu peccati lib.* 2. *cap.* 9. Omnes autem vnanimiter docent, impium esse asserere, quòd Deus sit author, seu causa peccati. Ex Græcis,

Iusti-

Iustinus in *Dialogo cum Triphone* circa finem. Ireneus, qui integrum librum scripsit contra Florinum tenentem hunc errorem, ex Eusebio Cæsar. *lib.5. Histor. cap.19.* Clemens Alexandrinus *lib.1. Stromat.* Origenes *lib.4.contra Celsum.* Eusebius Cæsariensis *lib. 6. de præparatione Euangelica c. 5.* S. Athanasius *in orat. contra Idola.* S. Basilius *homil.2. de opere sex dierum.* S. Gregorius Nissenus *in lib.7. Philosophiæ* cap.1. S. Gregorius Nazianzenus *orat. 1. in Iulianum.* S. Ioannes Chrysostomus *Homil. 23. in Acta Apostolorum.* Epiphanius *in hæresim 66. Manichæi.* Theodoretus in *Epitome diuinorum decretorum cap. de Antichristo.* S. Cyrillus Alexand. *lib.3. in Iulianum.* Et S.Ioannes Damascenus *de fide orth. lib.4. cap.* 20. Hi omnes Greci Patres, vt blasphemum, & impium dogma censuerunt, & impugnarunt, quòd Deus sit causa efficiens, seu author peccatorum, quæ fiunt ab hominibus, aut istis illa præcipiat.

Omnes P. P. Grçci dicunt impium esse asserere, quòd Deus sit Author peccati.

110. Ex Latinis verò omnes nemine prorsus excepto (si Caluinistas cum suo impio magistro excipias) idem docuerunt, quod Grçci. Tertullianus *in lib. aduersus Hermogenem.* S.Ambrosius *in lib.de Paradiso cap. 15. & in lib. 1. Exameron. cap.8.* S. Hieronymus *in cap.1. ad Ephes.& in cap. 7. Eccles.* S. Prosper *in responsione ad capitula Gallorum cap.12.* S.Fulgentius *in lib.1. ad Monimum.* S.Gregorius Magn. *lib.29. Moral. cap.21.* Leo 9. *in epist. ad Petrum Antiochenum.* Hugo de S.Victore *lib.1. de Sacrament. part.5. cap.* 27. & omnes Scholarum authores, S.Thom. S.Bonau.Scotus, Alexander de Ales, & S.Augustinus, cui pro sua doctrina de electione aliquorum ex massa damnata, ad gloriam, & efficacem gratiam, ac desertione aliorum in eadem massa, ac reprobatione

Patres Latini.

ne

S. Aug. cui incumbebat hoc probare, dogma Manichæorum impugnat.

ne (licet ex præuisis demeritis) incumbebat hoc dogma probare, vt obstrueret ora, nedum Manichæorum, ac Massiliensium, sed & multorum Catholicorum nolentium pacato animo, & non præoccupato doctrinam eius in his materijs discutere, pluries impium Manichæorum (quòd Deus sit Author peccatorum nostrorum) dogma refellit. Primò *in lib. de natura, & Gratia contra Pelag. cap. 48. & 49.* vbi docet, *quod peccare nostrum est, at non posse peccare non est nostrum*. 2. *in lib. de Prædest. Sanctorum cap.* 10. idem docet. 3. in *lib. de natura, & Gratia cap.* 54. docet, *quòd peccata non diuino operi, sed humanæ voluntati, illiusque iustæ vindictæ tribuimus*. 4. *in disp. 2. contra Fortunatum*, inquit, *Peccata nostra, nisi à libera voluntate nostra essent, non essent peccata*. 5. *in lib. de vera Relig. cap. 14.* ait, *Peccatum vsque adeò voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum nisi sit voluntarium. 6. in lib. 3. cont. Iulianum Pelag. c. 3.* dicit, *peccati origo est voluntas mala, & peruersa*. 7. *in lib. 7. Confess. cap. 3.* ait, *peccati causa est liberum arbitrium*. Idem habet, *in lib. 22. con. Faustum cap. 22. 8. de Gen. ad lit. lib. 11. cap. 9.* dicit, *peccatores à se habent voluntatem malam; à Deo autem naturam bonam, & iustam pœnam*. 9. *In quæst. super Exodum qu. 29.* dicit, *peccatorum origo in voluntate hominis est*. 10. *in lib. 83. qq. qu. 19. peccatum nulli imputatur, nisi in propria fuerit voluntate*. 11. *in lib. 2. de peccat. mor. & remiss. cap. 16.* inquit, *peccatum nullum Deus habere iubet, cum scientia tamen, nullum hominem hoc esse facturum. 12. in lib. de vera, & falsa pænit. c. 16.* docet, *peccatũ nullũ ordinauit, qui nullũ relinquit impunitum; ordinauit autẽ pęnam amantibus culpam. 13. in lib. 1. de lib. arb. c. 2. & in lib. imperfecto de Gen. ad lit. c. 5.* inquit, *peccatorũ nostrorũ Deus author non est, ordinator tamen est, cũ pecca-*

Pluribus in locis id præstat S. Doctor.

cato-

catores in eo loco constituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur. 14. In articulis sibi falsò à Semipelagianis impositis, *art.* 5. ait, *peccati author Deus non est, & in lib. 2. de pecc. orig. cap. 27. in fine, & in lib. 2. cap. 3. de Symbolo ad Cathecumenos*, inquit, *peccati author est Diaboli decipientis calliditas; & hominis consentientis voluntas; naturæ verò author Deus*. Ecce quòd S. Augustinus acriter defendit, Deum non esse causam peccati, nec præcipere peccatum; sed illud odio habere, & punire. Immò ait, misereri peccantium; & ideò remedium eis contulisse, vt reconcilietur, & vt in suam redeant gratiam, nempè pœnitentiam: ita *in qq. Vet. & Noui Testam. qu.* 102. *& tract.* 49. in Euang. Ioannis, inquit, *Si peccatores Deus non amaret, de Cælo ad terram non descendisset*, & in lib. de peccat. mor. & remiss. cap. 26. & 27. dicit, *peccatores quærere, saluare, & illuminare venit Christus in hunc mundum, iuxta illud, venit filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.*

Constans S. Augustini sententia, quòd Deus non sit author peccati alicuius hominis.

Sed odit peccata, & miseretur peccantium.

111. Absit ergo ab humano corde peruersum, impiumque illud Caluini, & gregalium damnatum dogma, quòd Deus per se, & positiuè concurrat ad peccatum, vel præcipiat illud, aut cogat homines ad illud perpetrandum; cùm peccantes puniat, iramque suam in eos effundat, ac in æternas pœnas eos condamnet. An verò, cur, & quomodò permittat homines peccare, nunc videndum est.

112. Dico 2. Deus non concurrit ad peccata hominum alio modo, nisi permittendo, vt homines vtantur libero suo arbitrio, vt sibi placet, tàm scilicet circa obiecta, seu materias bonas, ac præceptas, quàm malas, seu prohibitas: ita communis Theologorum sensus.

Deus permissiuè tãtùm se habet ad hominũ peccata.

113. Prob.

113. Prob. 1. euidenti ratione, ſuppoſito fidei principio, quòd Deus concurrat ad omnes effectus cauſarum ſecundarum, quæ eſt omnipotentiæ diuinæ proprietas: *in ipſo enim*, inquit Apoſtolus Act. 17. 28. *viuimus, & mouemur, & ſumus*. Tunc ſic. Deus ad omnes actus liberi arbitrij, ex generali lege concurrit; quia omnes ſunt creaturæ; ideòque eſſentialiter à Deo dependentes in fieri, & eſſe. Sed non concurrit effectiuè, vel præceptiuè, vt probatum eſt ad malitiam peccatorum; ergo concurrit permiſſiuè, ideſt, permittendo, vt homo faciat, quod vult. Cur autem permittat, & permiſerit in Adamo, dicetur poſteà. Conſequ. prob. Alius modus concurrendi excogitari non poteſt, decens diuinæ bonitati, & omnipotentiæ, vt nempè nihil fieri poſſit à creatura, niſi volente Deo; & nulla ſit iniquitas in Sanctiſſimo Deo. Modus autem permiſſionis, ſic declaratur. Decreuit Deus creare homines, cum libero arbitrio ad faciendum, quod vellent; & decreuit præbere illis concurſum ad omnes eorum operationes; præuidit autem, quòd pro ſua libertate, opera mala, ideſt circa obiecta prohibita eſſent operaturi; & potuiſſet, ſi voluiſſet eos impedire non præbendo eis concurſum ad operationes: at decreuit non impedire, & non negare concurſum, ſed ſinere operari, vt vellent; & hoc eſt permittere. Neque video, quomodo poſſit aliter explicari hæc Dei permiſſio in peccatoribus: ergo.

Permittēdi modus.

114. Prob. 2. Concluſio ex Gen. 4. 7. dicit Deus ad Cain, *Nonnè ſi benè egeris recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit. Sed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*. Et quia Deus non impediuit Cain ne occideret

Ex facto Cain.

deret fratrem suum, sicut poterat varijs modis impedire, sed permisit, vt suo arbitrio vteretur ad malum, & sic occidit fratrem suum.

115. Prob. 3. ex Ecclesiast. 15. 14. *Ab initio Deus constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum, quòd placuerit ei, dabitur illi.* Ecce quòd Deus ab initio sic fecit hominem, vt permitteret ei facere, quod vellet, etiam cùm sciret operaturum fore malum, sicut accidit in Adamo, Caino, & omnibus peccatoribus.

Hominis liberum arbitrium in peccando ex Sac. Textu.

116. Prob. 4. ex psalm. 80. 12. vbi Deus dicit. *Non audiuit populus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Dimittit ergo, seu permittit, vt homines sua iniqua desideria exequantur.

Alia Sacr. Script. loca.

117. Prob. 5. ex Rom. 1. 24. vbi de iniquis peccatoribus Apostolus ait. *Propter quod tradidit illos Deus in desiderijs cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis,* &c. & post. *Tradidit eos Deus in passiones ignominiæ. Nã fæminæ eorum mutauerunt naturalem vsum, in eum vsum qui est contra naturam. Similiter autem masculi relicto naturali vsu fæminæ, exarserunt in desiderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.* Et post aliqua. *Tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt faciant, ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia; plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate; susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuen-*

Ex Apost. Paulo.

tores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, & sine affectione, absque fœdere, & sine misericordia,&c.Ecce quæ mala facere possunt homines ex suo arbitrio, Deo permittente; id enim significat illa *dimissio Dei secundùm desideria cordis humani, ac traditio in reprobum sensum*, vt faciant homines quod volunt.

Theodoreti explicatio.

118. Theodoretus in cit.loco ad Rom. *Tradidit eos*, inquit, *illud tradidit posuit pro permisit*,& infra. *Illos sua prouidentia priuauit, & tamquam cimbam absque rectore ferri permisit*,&c. Idem prorsus dicit in psalm.80. *& dimisi eos*,&c.

S. August. de permis. sione sententia.

S.Augustinus lib.5. cont. Iulianum Pelagianum cap.3. probat,quòd sæpè aliquod peccatum est pœna alterius peccati, quod probat ex dictis locis Psalmi, & Pauli, nempè, quòd Deus *tradidit peccatores in reprobum sensum, non quidem*, ait, *per potentiam, quasi immittat in eis mala desideria, aut mala opera.sed ait per patientiam, quia eos deserit, & permittit, vt suo arbitrio vtentes, ea committant*. Et multa Scripturæ huius permissionis enumerat facta.

119. In lib.13. de Trinit. cap. 12. ait, *Modus iste, quo traditus est homo in Diaboli potestate; non ita debet intelligi, tamquam hoc Deus fecerit,aut fieri iusserit, sed quod tantum permiserit, iustè tamen.*

Plura August.loca de permis. sione.

In lib.5. cont. Iulian. cap. 4. inquit. *Quàm verè innumerabilia Deus permittit fieri ante oculos suos, quæ vtique, si noluisset, nulla ratione permitteret; & tamen iustus, & bonus est, & quòd præbendo patientiam dat locum pænitentiæ, nolens aliquem perire; nouit Dominus, qui sunt eius*,& infra explicans illud Rom. 1. *tradidit illos* (idest reprobos) *in passiones ignominiæ*, dicit, *hoc Deum facere miris, & ineffabilibus modis*;sed semper iustè.

120. In

120. In epist.89. ait. Dictum est, *ne nos inducas in tentationem, quod intelligitur, ne nos inferri deserendo permittas*.

In lib. 10. cont. Faustum cap.9. vt Deum vindicet à calumnia scelestorum hominum, qui in Deum suas iniquitates refundunt, inquit. *Hi perturbati homines non intelligunt, in vno eodemque opera mala, non postea consequente alia, quæ manifesta erit, sed quadam comitante vindicta, aliud venire de astutia suadentis, aliud de nequitia nolentis, aliud de iustitia punientis: cum Diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit.*

Varijs argumentis S. August. probat Deũ peccata hominum non patrare, sed permittere tantùm.

121. In lib.20. de Ciuit. cap.19. dicit. *Nec dubitauit Apostolus addere, & dicere: ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacia. Deus enim mittet, quia Diabolum ista facere permittet, iusto ipse iudicio, quamuis faciat ille iniquo, malignoque consilio.*

S. Hieronym. in cap. præfatum Epistolæ ad Rom. ibi, *Propter quod tradidit illos Deus in desiderijs cordis eorum*, ait, *in hoc, quòd Deus tradidisse dicitur proprijs desiderijs peccatores, ostendit, non quòd ipse sit causa, sed quòd per longanimitatem, & patientiam, non inducendo vindictam, patitur eos secundum cordis sui agere voluntatem. Hoc facit volens eos ad pænitentiam conuerti. Idem dicitur tradere in scripturis Deus, cum non retinet delinquentes propter arbitrij libertatem, sicut in psalmo dicit dimisi eos secundum desideria cordis eorum*; ergo.

S. Hieron. idem docet de diuina permissione.

122. Pro coronide harum probationum, quòd Deus non per se concurrit ad peccata hominum, sed permissiuè tantùm, ponamus decretum Concilij Trid. sess. 6. can. 6. *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissiuè so-*

Conc. Trident. decretum hoc totum confirmat.

lum, sed propriè, & per se, adeòut sit proprium eius opus, non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, Anathema sit. Idem docuerat Concil. Arausic. secundum: ergo de fide est, quòd Deus permissiuè tantùm se habeat in peccatis hominum.

CAPVT IX.

In quo soluuntur potiora argumenta de Dei concursu ad hominum peccata.

123. ADu. quòd, licet in pręcedentibus sufficienter demonstratum sit, quòd Deus nec effectiuè, nec præceptiuè concurrit ad peccata hominum, immò ea odit, ac prohibet, & punit; sed permissiuè tantùm, quatenus sinit, vt homines suo libero vtantur arbitrio, etiam circa prohibita, & potens impedire, vel subtrahendo vires hominibus, ne operentur mala, vel alijs modis impediendo, hoc non facit: tamen, quia nunc Caluinistæ, & olim Marcionistæ, ac Valentiniani, & Manichæi multa afferunt argumenta ex Sacra Scriptura, & alia ex ratione deducta, quibus probare nituntur Deum effectiuè, vel pręceptiuè ad omnia hominum peccata concurrere: decreui aliqua ex eis in medium afferre, ac soluere, ne Tyrones incauti decipiantur.

Mens authoris, quę in hoc capite.

124. Adu. 2. quòd quamuis omnis peccans suo vtens libero arbitrio Deum deserat, ideòque à Deo deseratur, vt ex S. Augustino docet Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. & hoc accidat in omni peccato, & sic omnis peccans à sua concupiscentia vehementi obfuscatus, & obcæcatus peccet: hæc tamen obcæcatio non semper est illa magna, quę dicitur etiam induratio, de qua loquitur Isaias

ias *cap.* 53. & refert Saluator *Ioan.* 12. quam Deus immittit in aliquos, in pęnam aliquorum grauium peccatorum, vt mox patebit; quam ob caussam prefati blasphemi effutierunt, Deum in ijs casibus peccare. Priùs ergo adducam loca ista de obcæcatione, & induratione, quæ à Deo immissa, seu tradita legitur pessimis, ac reprobis hominibus; quæ, permissio quidem est, sed considerabilior; deinde de alijs simplicibus permissionibus, siue ex Sacra Scriptura, siue ex ratione caussæ vniuersalis deducta argumenta afferam, & Deo adiuuante soluam.

Obcęcatio duplex: vna in omni peccato; alia in pœnam peccati.

125. Primùm argumentum ex Veteri Testamento desumptum est euulgatissimum factum de Cencres Pharaone Exodi 4. 21. & cap. 7. 3. Deus dicit Moisi, *ego indurabo cor Pharaonis*. In cap. 8. 12. dicitur, *indurauit Dominus cor Pharaonis*. In cap. 10. 1. *ego enim indurau i cor eius*. Idem replicatur in pluribus alijs capitibus libri illius. Ergo (inquiunt Hæretici illi) Deus fuit causa, cur Pharao ad primum Moisi nuncium crudeliter tractaret Iudæos, deinde etiam visis tot Moisis miraculis, eos non dimitteret, si enim Deus eum non indurasset, paruisset.

Factum contra Pharaonē ex libro Exodi.

126. Resp. consequentiam esse voluntariam, & malè ex præmissis deductam; quia in pœnam scelerum à Pharaone patratorũ, ac patrandorum, quæ Deus præsciebat, statuerat deserere, & obcæcare, seu indurare Pharaonem, ne pareret. Nã pręter peccatum Idolatriæ circa Apim, & alia, quæ nescimus; iniustè, ac tyrannicè addixerat crudeli seruituti populum Hæbraicum, qui per annos 400. erat liber incola in Ægipto; & crudeliter eum tractabat, vtendo illo in ædificijs maximarum Pyramidum, vnde Deus *Exodi.* 4. dicit

Ratio cur Deus indurauit Pharaonem.

Moi-

Moisi, se iratum cum Ægiptijs *propter duritiam eorum, qui praerant operibus*: & perueniente ad Pharaonem Moise, ac explicante Dei mandatum, vt populum dimitteret; non solùm non paruit, sed iussit duplicari labores diurnos Iudæorum, & vapulare eos, qui laborem non perficiebant. Ventum est ad tria miracula Virgæ conuersæ in serpentem, & rursus ex serpente in Virgam: conuersionis aquæ totius Nili in sanguinem per dies septem; ebullitionis ranarum in maxima copia per totam Ægiptum; & non credidit; immò putans esse prestigia demoniaca, curauit per maleficos Iamnem, & Mambrem (vt ait Apostolus) fieri apperentia similia per Dœmonum artem: at Virga Moisis deuorauit virgam maleficam, idest, fecit eam euanescere: at Pharao non credidit. Moises edidit miraculum Ciniphum in tota Ægipto. Tentarunt malefici facere similia, & non potuerunt; immò dixerunt, *digitus Dei est hic*: neque credidit Pharao. Quid ergo mirum, si Deus in pœnam tot scelerum, tantæque incredulitatis, eum dereliquit, obcæcauit, & indurauit, vt neque post alia sex horribilia signa vellet populum dimittere; & postquam dimisit, de hoc facto pœnitens, illum cum exercitu magno persecutus est, donec in mari rubro, cum toto exercitu suffocatus simul cum illo, temporalem vitam amisit, & mortem eternam est consecutus. Pœna ergo priorum peccatorum fuit induratio.

Ordo delictorum Pharaonis

Vnde obcecatio, & obduratio Pharaonis

127. Secundus locus, ex quo desumitur argumentum, est in Iosue 11. vbi dicitur, *Domini sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel*. Ergo Deus indurauit, & fuit causa, vt non se traderent Iosue in Seruos, sed

Aliud argum. Caluini ex Iosue.

ſed obſtinati necarentur.

228. Reſp. ex eodem capite, & ex alijs præcedentibus haberi ſolutionem: Deus enim præceperat Moiſi, & per hunc Ioſue ſucceſſori, & toti populo, vt omnes Cananęi, vtpotè Idolatræ, &c. ad vnum necarentur completa enim erat eorũ malitia, propterea eos deſerere ſtatuerat, vt neque humiliare ſe poſſent Hębreis, ab eiſque veniam petere, & eiſdem Ciuitatum claues tradere: ideò ſubdit Textus, *Et pugnarent contra Iſrael, & caderent, & non mererentur vllam clementiã, ac perirent, ſicut præceperat Dominus Moiſi*. Regula ergo vniuerſalis, ex Auguſtino, eſt, vt quoties in Sacro Textu legitur obduratio, vel excæcatio alicuius à Deo ex hominũ obſtinata malitia proueniẽs; intelligatur deſertio, qua Deus aliquem obſtinatum peccatorem priuat ſuo auxilio ad reſipiſcendum, & permittit eum vti ſuo libero arbitrio in malum, vt cadat, & totum hoc in pœnam priorum peccatorum: pluries autem id docet S. Auguſt. primò in epiſt. ad Sixtum, quæ eſt 105. *Non obdurat Deus impartiendo malitiam; ſed non impertiendo miſericordiam*. 2. in lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. ait, *obdurare Deum eſt nolle miſereri; nec ab illo irrogatur aliquid, quo ſit homo deterior, ſed tantum, quo ſit melior non erogatur*. 4. in lib. 5. cont. Iul. cap. 3. ait, *cæcitas mentis, quam ſolus Deus illuminator remouere poteſt, & eſt peccatum, quo in Deum non creditur, & eſt pæna peccati, qua cor ſuperbum digna animaduerſione punitur, & eſt cauſa peccati, cum aliquid mali cęci cordis errore committitur*. Hæc, & alia plura Auguſtinus. Itaque non Deus eſt author peccati, ſed ipſemet peccans, qui non curans, ſed ſpernens Dei illuminationes; & inſpirationes, à Deo deſeritur in pœnam ſuorum peccatorum. 129. Ter-

Cur Cananęos Deus deſeruerit, & indurauerit.

S. Auguſt. doctrina quare, & quando Deus obcęcat, & indurat.

129. Tertius locus, quo Phanatici vtuntur habetur, *Gen.* 45. & 50. In primo, cùm Iosep venditus Ismaelitis à fratribus, & ab Ismaeliti Putiphari Magistro militum Pharaonis, deind ex Dei prouidentia factus à Pharaone Ægipt Primus Minister, & se, vt ibi, fratribus manife staſſet, hique stupidi, ac trementes de vindict iusta timerent, veniamque implorarent, Iosepl consolans eos dixit, ne timerent, & adducen huius causam excusantem illos, dixit, *Non ve stro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* E in *cap.* 50. cùm ab officio pietatis sepulturæ Patris sui Iacob de Hebron reuerteretur in Ægiptũ, magis timentes fratres de vindicta, & iterum veniam de in eum patrato delicto petentes, se humiliter benignitati Ioseph commendarent; Ioseph ait, *Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati?* ex quo duplici dicto, Phanatici inferunt, quòd fratres Ioseph ex Dei consilio, ac voluntate fratrem persecuti sunt, eumque vendiderunt.

Factum Ioseph in Ægipto venditi.

130. Resp. ad primum, *Non vestro consilio*, &c. quòd duo consideranda sunt in Ioseph casu. Primum est venditio facta ex inuidia Fratrum. Secundum est exaltatio eius in Ægipto. Primum fuit peccatum fratrum, ad quod Deus permissiuè se habuit; sicut cum cæteris peccatoribus: Secundum verò non processit ex consilio, seu intentione fratrum, qui volebant eum perdere: sed fuit intentio Dei, qui peccatum illud fratrum ordinauit ad exaltationem Ioseph; & hoc tantùm dixit fuisse Dei voluntatem, non primum; inquit enim, *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me, quasi Patrem Pharaonis, & Dominum vniuersæ domus eius, & Principem in*

Duo consideranda in casu Ioseph. Vnũ malum, quod fuit à fratribus. alterũ bonum, quod fuit à Deo.

omni terra Ægipti. Et sic nihil ad rem.

131. Ad 2. ex cap. 50. *Dei non possumus resistere voluntati*. Resp. non fuisse voluntatem Dei, vt fratres Ioseph, ei inuidentes, ipsum venderent; sed voluntas Dei fuit, vt mala cogitatio, & actio eorum de perdendo illum inter mancipia Ægipti, quò, venditus, erat asportandus, verteretur in bonum suum; ideò addidit. *Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos*. Voluntas ergo Dei erat exaltandi Ioseph in Principem; ideò iam ante 43. annos, eo nesciente quòd significarent, immisit duo somnia, quæ fratribus narrauit, *Gen.* 1.27. Vnum in quo viderat, se in campo cum fratribus ligare manipulos spicarum; ac manipulum suum stare, & manipulos fratrum genuflexos adorare manipulum suum; quod audientes fratres dixerunt; *Numquid Rex noster eris, aut subijciemur ditioni tuæ?* Alterum quod narrauit ijsdem, & Patri, *Vidi per somnium, quasi Solem, & Lunam, ac vndecim Stellas adorare me*. Cui Pater dixit. *Quid sibi vult somnium hoc? numquid ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Volebat ergo Deus exaltare eum efficaciter, cui nemo poterat resistere; & vsus est facto peccaminoso fratrum, per quod in Ægiptum, locum exaltationis, induxit.

Dei voluntas non fuit de venditione, nisi permissiua, de exaltatione positiua

132. Quartus locus, quo Phanatici vtuntur in Dei iniuriam, & scelestorum excusationem, sumitur ex *Iob*. 12. vbi de Deo dicitur, *commutans labium veracium, & doctrinam senum aufert, qui immutat cor principum, & decipit eos, vt frustra incedant per inuium; palpabunt, quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet, quasi ebrios*, &c.

Dictum Iob, quod Deus facit errare.

ex quo concludunt, quòd Deus est causa peccatorum eorumdem, & non permissiuè tantùm, sed effectiuè.

133. Resp. satis superque Scripturæ interpretes omnia similia loca de permissione, vel de vindicta in pœnam alicuius peccati declarasse. Ad hunc autem Iob, *Commutans labium*, Glos. ord. ait, *quia sæpè hi qui cælestia prædicando veraces erant, dum temporalia diligunt, ad terrena dicenda corruunt, labium veracium commutatur*. Lyr. ibi inquit. *Aliquando propter elationem subtrahitur lumen cognitionis veræ, & sic falsa loquuntur, vt dicitur Rom. 1. dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*. Verbo, *doctrina*. Glos. ord. ait, *quia Iudæi nequaquam ea credendo secuti sunt, quæ Patres suos dixisse meminerunt*. Lyr. ibi ait, *eos infatuando prædicto modo; non quod aliquando falsum à Deo immittatur intellectibus eorum; sed quia ex demeritis eorum subtrahit illustrationem suam; & sic cadunt à veritate propter proprium defectum*. Versu, *Qui immutat cor principum*, &c. Glos. ord. dicit, *cor principum terræ immutatum est, cum summi Sacerdotes, & Seniores populi illi conabantur obsistere, quem priùs prædicabant; & decepti sua malitia, incedere per inuium frustra conabantur; quia crudelitati eorum quærentium extinguere nomen suum, patere via non poterat, contra authorem omnium*. *Palpabunt*, &c. Lyr. pluribus, sed sicut supra, id explicat, quòd nempè Deus non immittit malum in cordibus principum; sed quòd ex demeritis subtrahit illustrationem, ne cognoscāt veritatem, & sic cadunt in deceptionem per proprium defectum, & sic permittit eos errare, quasi ebrios.

Glosę declaratio aperta, & clara de permissione, vel vindicta, ac pęna.

134. Quintus locus, seu quintum argumentum, quo Phanatici vtuntur, desumitur ex Isaię cap.

Argum. ex Isaia desumptum.

cap.63. *Tu Domine Pater noster, & Redemptor noster, quare errare nos fecisti Domine de vijs tuis, indurasti cor nostrum, ne timeremus te?*

135. Resp. Interl. *errore fecisti*, ait, *permisisti. Erroris, & induritiæ causa videtur, dum non corripit delinquentes.* Ver. *indurasti*, eadem Interl. ait, *indurari permisisti suspendendo flagella.* Lyr. inquit, *indurasti cor meum subtrahendo gratiam cor mollificantem, tamen iustè pro nostra incredulitate.*

136. Sextus locus, seu argumentum Phanaticorum desumitur ex Ieremiæ 20. vbi ait Propheta, *Seduxisti me Domine, & seductus sum, fortior me fuisti, & inualuisti; factus sum in derisum tota die; omnes subsannant me.* Sed Glos. ord. sic explicat, *dicit Propheta à Domino se deceptum, cui supradictum est Prophetam in gentibus dedit e, & constitui te hodiè super Gentes, & regna, &c. Quibus verbis arbitrabatur nihil se contra Iudæos dicturum; sed contra Gentes: & ideò prophetiam libenter assumpsit. Nunc autem res in contrarium recidit, vt captiuitatem Ierusalem prædicaret, & persecutiones, ac angustias sustineat.* Ita S. Hieronymus; sed Theodor. & Vatabl. dicunt, *Propheta dicere volebat, Domine detrectaui munus Prophetæ dicens, Puer ego sum, & tu me induxisti, promittens me futurum columnam ferream, & murum æneum; & ecce omnes obruunt me, & succumbo carceri, ærumnis, odijs, & irrisionibus Iudæorum. Videtur ergo mihi tacitè, & callidè in hosce compedes, & ærumnas inductus, & seductus.* Ex hoc autem non potest colligi, quòd Deus Ieremiam deceperit, vel quòd in aliquod peccatum eius influxerit; sed quòd ipsemet Ieremias à semetipso deceptus sit, intelligens Dei verba materialiter, ac literaliter; non spiritualiter, ac mysticè; quia re vera

Argum. ex Ieremia.

Hieron. responsio.

Alia Theodor. & Vatabl.

Ieremias à semetipso deceptus est.

fuit ſpiritualiter columna ferrea, & ſuper Gentes, & regna; nam omnibus nationibus prædixit regnorum ſuorum deſtructionem; & Iudæos acriter obiurgauit; & in obſidione Ieruſalem, ac deſtructione eius facta per Nabuch, Propheta conſulebat, vt ei ſe traderent, alioquin captiui ducerentur, & Ciuitas, ac templum vaſtarentur; & ei non paruerunt; & vaſtata Ciuitate, Ieremias obtinuit à Nabuch, vt pergeret quò vellet. Iuit autem in Ægiptum, vbi proſequens corripere iniquos Iudæorum mores, ab eis ibi lapidatus eſt; & ideò argumentum hoc non eſt ad rem, quòd Deus deceperit Ieremiam.

137. Septimus locus, ſeu argumentum, quòd Phanatici putāt Achillem in hac materia, deſumitur ex lib. 3. Reg. cap. 22. 20. vbi legitur Deum dixiſſe. *Quis decipiet Acab Regem Iſrael, vt deſcendat, & cadat in Ramoth, &c. & egreſſus eſt ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait, ego decipiam illum. Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius, & dixit Dominus, decipies, & præualebis: egredere, & fac ita.* Et ſic accidit. Quoniam falſi Prophetæ Regis Acab Idolatræ prędixerunt, eum in bello victurum Regem Sirię: contrarium tamen accidit. Immò, quia Micheas verus Propheta reuelauit Acab, quòd Prophetæ ſui erant mendaces, & ſpiritus Domini eos deſeruerat, Sedecias vnus ex eis dedit alapam Micheę, inquiens, *me ne deſeruit ſpiritus Domini*? ex quo inquit Caluinus, quòd Deus fuit author mendacij in Prophetis Acab, & per eos decepit etiam Acab.

Argum. 7. ex lib. 3. Regum; quòd Deus per Diabolum decepit Regem Acab.

138. Reſp. ad hoc, & ſimilia argumenta, vt ad primum, quòd magnis peccatoribus in pœnam ſuæ obſtinationis in peccatis permiſit Deus, vt deciderent in alia peiora; vt decipiantur, & deci-

decipiant. Sic autem fuit pessimus ille Idolatra Acab Rex Samariæ, seu Israel, ob cuius conuersionem ab Idolo Baal ad verum Deum, Elias tot patrauit miracula, vt nec plueret in Samaria tota, idest in toto Regno Acab tribus annis cum dimidio, *ex 3. Reg. 17.* & postea ad Eliæ preces descendit pluuia: ad Eliæ preces Deus fecit grande illud miraculum in sacrificio Eliæ, vt madefactis lignis, ac Victima, & circa altare fossis plenis aquæ ad confirmandam Eliæ doctrinam de falsitate Baal, & veritate Dei Eliæ, immisso igne de Cœlo combussit victimam, & ligna, & siccauit fossas; quam ob causam ex Eliæ consilio Acab occidi iussit falsos Propheta suę Vxoris Iezabel 450. & tamen non reliquit Baal. Ad preces Eliæ existentis in vertice montis Deus immisit ignem è cœlo, & combussit Præfectum militum cum quinquaginta suis, quos miserat Acab ad capiendum Eliam; & hoc bis accidit: & alia plura Elias miracula fecit; nec tamen Acab conuersus est. Acab iste nequam mediante impia vxore Iezabel, per calumniam accusari, & necari fecit Naboth, vt vineam istius arriperet, *ex 3. Reg. cap. 21.* & alia plura commiserat Acab delicta; ideò permisit Deus, vt Diabolus deciperet Prophetas Acab, & illi istum, promittentes victoriam de Rege Siriæ, vt ab isto caderet sicut factum est.

Obstinatio Acab in Idolatria; visis tot Eliæ miraculis.

Miracula Eliæ quæ.

In pœnam delictorum Deus permisit Acab decipi.

139. Glosa pariter Interl. *Quis decipiet*, ait, *Quod exigebant merita eius*. Glos. Lyr, inquit, *non intelligendum, quòd falsitas, vel falsum reueletur à Deo, vel de eius mandato, cum sit veritas per essentiam, sed per hoc intelligitur permissio diuina, quia iusto iudicio Deus permittit malos homines decipi à Demonibus, qui non habent potestatem aliquid faciendi*,

di, nisi quantum ipse permittit, Hæc Lyranus. Voluit ergo Deus punire Acab ob præfata magna, & multa eius peccata, permittendo eum decipi à Prophetis suis falsis à Demone deceptis, vt iniens bellum contra Benadab Regem Siriæ, ab hoc occideretur.

8 argum. Caluini, & cæterorum.

140. Octauus locus, seu octauum argumentum Phanatici sumunt ex *Ioan.* 12. 36. vbi Saluator comprobat dictum Isaiæ *cap.* 53. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixerat Isaias, excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant, & intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam Dei, & locutus est de eo.*

Quomodo excæcati sunt Iudęi.

141. Resp. ex Glos. Interl. *Non poterant. Quando prædicebat incarnationem Christi, prędicebat etiam excæcationem Iudęorum*, & infra eadem Interl. *excæcauit*, inquit, *Deus deserendo eos, qui cum possent videre, noluerunt, & cum possent cogitare, & intelligere, noluerunt*. Glos. ord. dicit, *hanc excæcationem meruit voluntas eorum tumida, qui suam nolentes constituere iustitiam, iustitiæ Dei non sunt subiecti; quod dicit non posse credere, ita est culpa voluntatis humanæ, sicut, quod dicitur, Deus non potest se negare, laus est voluntatis Diuinæ*. Glos. Lyr. clariùs ait, *non poterant credere*, &c. *Hæc impossibilitas non est absoluta, sed ex suppositione, scilicet, supposito, quod haberent voluntatem obstinatam in malo; sicut de aliquo dicitur non potest diligere illum, quando habet voluntatem fixam in odio eius*. Verbo, *excæcauit*, dicit Lyr. *Subtrahendo lumen gratiæ propter eorum malitiam, quia auertebãt se ab hac luce*. Verbo, *& indurauit cor*, &c. inquit, *Quia subtractionem gratię, quæ cor mollificat per deuotionem, sequitur cordis induratio per cordis obstina-*

Deserti sũt à Deo.

Ex obstinatione in malo.

linationem. Sic Lyr. Non ergo Deus est causa peccati hominis, deserens illum propter illius obstinationem, sed in pœnam excæcat ipsum.

142. Nonum argumentum desumunt Phanatici ex Rom.1. vbi Apostolus plura dicit. Primò *tradit Deus illos in desiderijs cordis eorum in immunditiam*. 2. dicit. *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*; & numerat multa, ac nefanda scelera. Tertiò inquit. *tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant, quæ non conueniunt*, eaque narrat; suntque potiora peccatorum genera. Ex quibus concludunt, quòd miseri reprobi, Deo autore, peccant.

Vnum argum. ex epist. ad Rom.

143. Resp. omnia hæc permissiuè à Deo prouenire. Interl. in primo versu, *tradidit in desideriis*, ait, *idest, ita à se parati, non à Deo*. Glos. ord. idem ait, *quia nihil absque Dei permissione fit*. *rius in desideria cordis, quod eorum erat à Deo sibi dictum; postea in immunditiam tantum, vt corpo- naturaliter repugnantia, quadam vi applicarent, & tio aptiora facerent*. Lyr. ait, *Tradidit illos Deus, est, tradi permisit in pænam præcedentis peccati*.

Ad omnia numerata scelera Deus permissiuè se habet.

144. Augustin. vt in præcedd. capp. notaui- is ad hæc, & similia loca, vniformiter sem- r respondet; nempe, quòd propter præceden- , & consuetudinaria peccata tradit peccatores desideria cordis eorum, idest, dimittit eos, vt cundùm sua praua desideria, atque inclinatio- s operentur; & hoc in pœnam precedentium dictorum. Ideò *in psalm*.80. dicitur, *dimisit eos undum desideria cordis eorum, ibunt in adinuen- nibus suis*. Ita August. *in lib*.5. *cont. Iul. cap*.3. *in lib. de Gratia, & lib. arb. cap*.21. Quòd verò id rmittat Deus in pœnam præcedentium peccatum, docet August. in eodem *lib. cont. Iul. c*.5. in-

S. Aug. ad hęc, & omnia similia respondet, quòd Deus in pęnam peccatorũ permittit.

inquiens, *Crimina criminibus vindicantur, & supplicia peccantium, non tantum sunt tormenta, sed & vitiorum incrementa. Et in Psalm.* 57. declarans illud, *supercæcidit ignis* &c. inquit, *inter primum peccatum apostasiæ, & vltimam pænam ignis æterni, media, quæ sunt, & peccata sunt, & pæna peccati*. Idem postea docuit S. Gregor. in *lib.* 25. *moral. cap.* 9.

10 argum. ex 2. Thess.

145. Decimum argumentum desumunt Phanatici ex 2. *Thessal. cap.* 2. 10. vbi loquens Apostolus de Antichristi aduentu, & de reproborum per eum deceptione, ait, *ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*. Ergo, inquiunt, Deus decipiet eos; ideòque si ex deceptione, ac errore illo peccabunt, Deus dicendus erit author peccati, sicut erit author erroris.

De permissione errãdi loquitur Paulus.

146. Resp. sicut aliàs, & nuper in præcedenti. Interl. *mittet illis*, dicit. *Quia non receperunt veritatem, permittet venire ad illos, eum, qui est ipsa malitia, quia pater omnis malitiæ, & iniquitatis*. Glos. ord. quæ est Augustini, inquit, *Deus, Diabolum ista facere permittet, iusto quidem iudicio, quamuis faciet ille iniquo, indignoque consilio. Proindè iudicati seducuntur, & seducti iudicabuntur. Sed iudicati iudicio Dei occultè iusto, & iustè occulto seducentur. Seducti autem iudicabuntur nouissimo, manifestissimoque iudicio per Christum iustissimè iudicaturum iniustissimè iudicatum*. Id ergo tunc accidet miseris (qui in fine mundi erunt) reprobis: quia veritatem euangelicam credendi, & operandi non receperunt, in huius peccati pœnam permittet Deus, vt in errorem Antichristi incidant, ab eo seducantur, eumque vsque ad

Ex August.

In fine mũdi quid accidet reprobis tũc viuentibus & quarè.

ad baratrum sequantur.

147. Quia tamen omnes eiusmodi errores, ac deceptiones hominum reproborum, quæ alijs vocabulis dicuntur excæcationes, & obdurationes in malo, à Deo deserente permittuntur in pęnam præcedentium peccatorum, libet adducere vnam generalem, sed magistralem Augustini doctrinam: Is enim *in lib. 5. cont. Iul. cap. 3.* ait. *An non est peccatum, & pœna peccati, vbi legitur, Deus misit illis spiritum erroris, & seduxerunt Ægiptum in omnibus vijs suis, sicut seducitur ebrius? Nonnè peccatum, & pęna peccati, vbi Deo dicit Propheta, quia errare fecisti nos Domine à via tua, obtudisti corda nostra, vt non timeremus te? Ecce tu iratus es, & nos peccauimus, propterea errauimus, & facti sumus immundi omnes? Nonnè est peccatum, & pœna peccati, vbi legitur de Gentibus, quas debellauit Iosue, quia per Dominum factum est confortari cor eorum, vt obuiam irent ad bellum contra Israel, & exterminarentur? Nonnè est peccatum, & pœna peccati, quòd non audiuit Roboam Rex plebem benè monentem, quoniam, sicut Scriptura loquitur, erat conuersio à Domino, vt statueret verbum suum, quod de illo locutus est in manu Prophetæ? Nonnè est peccatum, & pęna peccati in eo, quod scriptum est, Amasiam noluisse audire Ioas Regem Israel benè monentem, ac procederet ad bellandum?* Et infra sequitur. *Vndè est illud Apostoli, quod ad Thessalonicenses scribit. Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Vt seduceretur Acab, & in prælio periret*: & adducit Historiam supra allatam de Diabolo ex Dei permissione decipiente Prophetas Acab, ipsumque Acab per eos.

Generalis August. regula circa permissionem Dei, vt reprobi peccent.

In pęnam semper sũt permissiones, quas narrat.

148. Alia plura adduci poſſent Scripturę loca eiuſdem tenoris: at quia omnia eamdem patiuntur reſponſionem, ea omitto, & ad finem Opuſculi accedo.

CAPVT X.

Cur Deus ſciens, malos caſuros, permittit eos tentari, & cadere?

Authoris proteſtatio.

149. ADu. 1. quòd licet prima facie quæſitum hoc videatur exoticum, ne dicam importunum; cùm inueſtigare intendat ſecreta Dei conſilia, deterrente Paulo ad Rom. 11. 34. dum ait, *ò altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incompræhenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: Quis nouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* nihilominus, quia Deus per Prophetas, & Apoſtolos in Sacra Scriptura, & per traditiones Apoſtolicas, & Conciliorum declarationes, ac per communem interdum Doctorum, ac Sanctorum ſenſum, multa arcana reuelauit Eccleſiæ, quæ nemo poterat penetrare, multa inquam dura, multaque obſcura, ex quibus alia ijs connexa deduci poſſunt, vt ſunt omnes concluſiones Theologicæ, quæ ex principijs reuelatis deducuntur, quærimus, an ſolutio propoſiti dubij in Sacra Scriptura iam reuelata reperiatur; vel ex ea ab aliquo Concilio, vel Sancto Doctore deducta ſit, aut deduci poſſit, vel ex traditione Apoſtolica habeatur.

Ex aliquibus reuelatis alia inferuntur.

150. Adu. 2. Motiuum inquirendi hoc dubium, inde oritur; cùm tota Scriptura prędicet, Deum eſſe Patrem noſtrum amantiſſimum, benigniſſimum, miſericordioſiſſimum: *& miſe-*

tio-

rationes eius super omnia opera eius, immò essentialiter esse Charitatem, cur permiserit, primum hominem peccare, cùm prę\scitet, eum casurum, & cum eo totum genus humanum; & quare permiserit alios post eum, & nunc permittat nos peccare; cùm præuiderit casuros, eumque offensuros, & mortem ęternam incursuros; maximè, quia dicit Apostolus, ***Deus vult omnes saluos fieri***, & Propheta dicat, ***Deus non vult mortem peccatoris***: dum autem sciens homines peccaturos, eos non impedit, sed permittit peccare, arguitur, quòd nolit saluare, sed perdere? Ratio dubij, quę sit.

151. Adu. 3. Quòd de duplici permissione tentationis, & peccati loqui debemus; primò de permissione tentationis, & peccati Adæ. Secundò de permissione tentationum, ac peccatorum omnium hominum in omni statu, ac tempore; immò & ipsius Adami post primũ lapsum, & quęrere debemus quodnam potuerit esse motiuum Dei; primò in permissione peccati Adæ, cum quo tota lapsa fuit humana natura. 2. quodnam fuerit, & modò etiam sit motiuum Dei in permittẽdo, quòd homines; siue electi, siue reprobi cadãt in peccata, cùm possent miris, ac varijs modis à Deo impediri: & nota, quòd non loquor de peccatis exexcatorum, ac induratorum (quia de hac permissione in præcedenti locuti sumus) sed loquor de permissione cæterorum simplicium peccantium, antequam ad statum excæcationis, & indurationis deueniant. De permiſsione primi peccati Adę, totius humani generis primò. Deinde de alijs permissionibus loquẽdum.

152. Dico 1. Non est adhuc explicitè reuelatum, cur Deus permiserit Adamum per Vxorem allici ad comestionem pomi vetiti, cum transgressione diuini præcepti, & de facto transgrediendo peccare. Non est reuelatũ explicitè, cur Deus permiserit Adam peccare.

153. Prob. Nuſpiam in Sacra Scriptura reperitur huius rei reuelatio: neque Concilium aliquod ex loco aliquo Sacræ Scripturæ intulit, ac definiuit motiuum huius permiſſionis. Ergo nequit dici reuelatum, quomodocumque illud ab aliquo authore aſſeratur.

Negatiuè probatur ex Auguſt.

154. Prob. 2. ex S. Auguſtino, qui licet (vt poſtea dicam) aliquod motiuum aſſignare videatur; tamen nullum aſſerit, tamquam reuelatum: nam in *lib.* 11. *de Gen. ad lit. cap.* 4. ait, *ſi ergo quæratur, cur Deus permiſerit hominem tentari, quem tentationi conſenſurum eſſe præſciebat; altitudinem quidem conſilij eius penetrare non poſſum; & longè ſupra vires meas eſſe confiteor*. Idem prorſus reſpondere videtur ad ſimile quæſitum *in epiſt.* 106. quæ eſt *ad Paulinum* reſpondens ad quæſitum, cur Deus creet illos, quos peccaturos præuidit, & ad æternam pœnam damnandos, iam ab æterno decreuit? ait, *Deus ſic facit, quia ſic vult*; *cur autem velit*, reſpondet, *tu qui es, qui reſpondeas Deo? an non habet poteſtatem figulus faciendi vaſa, alia in honorem, alia in contumeliam*; quæ eſt; reſponſio Pauli *Rom.* 9. ad eos, qui inquirerent, cur Deus aliquos prædeſtinauit, alios reprobauit; ſaluo tamen, quòd *apud Deum non eſt iniquitas*, & quòd *omnia, quæ facit, in iuſto iudicio facit*. Idem Sanctus Doctor in *lib.* 11. *de Gen. ad lit. cap.* 10. ait, *poſſet Deus peccantium voluntates in bonum conuertere, quoniam omnipotens eſt; poſſet planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt. Debemus enim non plus ſapere, quàm oportet ſapere*. Sed poſtea, vt mox dicam, aſſignat probabilia quædam motiua, cur permiſerit homines peccare, & cur eos præſciens peccaturos, adhuc creauerit. Igitur explicitè reuelatum non eſt,

Semel, ac iterum Auguſt. dicit ſe cauſam neſcire.

cur

cur Deus permiserit primum hominem, & omnes alios cum eo peccare; deinde omnes pariter permiserit proprijs actualibus peccatis peccare, & multos sic prȩuisos, ac damnandos creare.

155. Dico 2. Probabilissimè teneri potest, quòd motiuum Dei primarium, cur permiserit primum hominem, & totum genus humanum cum eo, deinde singulos actualibus etiam peccatis peccare, fuerit ostensio suæ misericordiæ, ac iustitiæ circa liberos homines exercendarum. Alia autem plura secundaria, diuinam sapientiam, & liberalitatem demonstrantia assignari possunt.

Probabile est, quòd Dei primũ permissionis motiuũ fuerit ostẽsio misericordiæ, & iustitiæ. Et alia secundaria plura.

156. Probata remanet hæc Conclusio ex ijs, quæ diximus in cap. 7. huius Opusculi, in quo quæsitum fuit, ***quem finem habuerit Deus in reprobatione malorum***: eadem autem de vtroque quæsito est ratio.

Aliàs probata fuit Conclusio.

157. Prob. nihilominus hȩc conclusio. Deus in operando nequit habere pro fine primario aliud, quàm semetipsum in diuersis suis perfectionibus se manifestantem, vt habetur ex Prou. 16. 4. ***Vniuersa propter semeptipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum***. Sed in facto huiusmodi permissionis peccandi non videtur assignari posse aliud motiuum, nisi hoc, vt scilicet Deus ostenderet se misericordem cum aliquibus in parcendo, & iustum vindicem cum alijs in puniendo; & hæc fuit S. Augustini mens, qui, licet vbi supra, dixerit se nescire cur sic fecerit, (existimo, quòd de scientia euidenti, vel reuelata loqui voluerit) hoc tamen motiuum misericordiæ, & iustitiæ à se exercendarum putat fuisse. Nam in *lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 8.* ait, ***Cur ergo non crearet Deus etiam quos malos futuros esse prȩsciebat,***

Rursus probatur.

(& vtitur verbis Rom. 9.) *volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, & ob hoc sustinens in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam? sic enim, qui gloriatur, non nisi in Domino glorietur, cùm cognoscat non suum esse, sed illius esse, non solùm vt sit, verùm etiam non nisi ab illo benè sit, à quo habet vt sit. Nimis itaque importunè dicitur: Non essent, quibus Deus tantam beneficentiam misericordiæ suæ tribueret; si aliter esse non possent, nisi essent & hi, in quibus vindictæ iustitiam demonstraret.*

Aug. ratio Conclusionis.

158. Clariùs id docet S. Augustinus in *lib. de Correptione, & Gratia cap.* 10. inquiens, *Deus igitur permisit hominem tentari, quem sciebat esse casurum; quia simul videbat, eo casu se vti posse ad misericordiam, & iustitiam declarandam, dum ex damnata massa alios iustè puniet, alios misericorditer liberabit.* Item ibidem, ait, *Qui creauit omnia bona valdè, & mala ex bonis exoritura esse præsciuit, sciuit, magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benè facere, quàm mala nulla esse permittere.*

Replicat idem S. August.

Alia alibi, & plura S. August. & alij Ecclesiæ Doctores assignare solent motiua cur Deus permiserit primum hominem, deinde cæteros peccare; & cum hac præscientia eos, etsi casuros, ac etiam damnandos, creare: sed omnia reduci possunt ad præcitatum motiuum misericordiæ, ac iustitiæ. Nam in dicto *libro de Gen. ad lit. cap.* 9. inquit, *Cur enim non vtrique potius essent, quando in vtrisque, & bonitas Dei, & æquitas iure prædicatur? At enim, si Deus vellet, etiam isti boni essent. Quantò melius hoc Deus voluit, vt quod vellent, essent: Sed*

boni

boni infructuosè, mali autem impunè non essent, & in eo ipso alijs vtiles nõ essent; sed præsciebat quid eorum factura esset voluntas mala. Præsciebat sanè, & quia falli non potest eius præscientia: ideò non ipsius; sed eorum est voluntas mala. Cur ergo eos creauit, quos tales futuros esse præsciebat? Quia sicut præuidit, quid mali essent facturi; sic etiam præuidit de malis factis eorum, quid boni esset ipse facturus. Sic enim eos fecit, vt eis relinqueret, vnde & ipsi possent aliquid facere; quo quidquid etiam culpabiliter eligerent, illum de se laudabiliter operantem, à se quippè habent voluntatem malam; ab illo autem, & naturam bonam, & iustam pœnam, sibi debitum locum; alijs exercitationis adminiculum, & timoris exemplum.

S. August. discursus, cur Deus creauit, quos malos esse præscie bat.

159. In sequenti *cap.* 10. hæc dicta confirmat, & ad rem nostram concludit: Postquam enim dixit ea, quæ supra de hoc capite adduxi, inquit. *Puto autem paulò ante, satis nos ostendisse, non parui boni esse rationalem creaturam, etiam istam, quę malorum comparatione cauet malum, quod genus bonæ creaturæ non esset, si omnes malas voluntates in bonum Deus conuertisset, & nulli iniquitati pœnam debitam infligeret, ac si non esset, nisi solum illud genus, quod nulla, vel peccati, vel supplicij malorum comparatione proficeret, ita velut aucta numerositate excellentioris generis ipsorum generum bonorum numerus minueretur.* Itaque ad exercendam iustitiam Deus permittit homines suo vti libero arbitrio, & peccare.

Alia Aug. loca.

160. Idem S. Doctor alibi docet, id Deum permisisse, vt experiretur homo, se liberum esse, & suorum actuum tàm ad bonum, quàm ad malum esse dominum. Nàm in *lib. de Corrept. & Gratia cap.* 12. ait, *Ille Adam, & terrente nullo, &*

Permittit Deus peccare, vt homo se liberum esse cognoscat.

in-

insuper contra Dei terrentis imperium, libero vsus arbitrio, non stetit in tanta fœlicitate, in tanta non peccandi facilitate. Tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tantæ bonitati, & benè viuendi fœlicitati perseuerandi committeretur arbitrium : & post aliqua. *Fortissimo* (ideſt Adamo) *dimisit, atque permisit facere quid vellet: infirmis seruauit, vt ipso donante, inuictissimè, quod bonum est vellent, & hoc deficiente, inuictissimè nollent*. Et *de Ciuit.lib.7. cap.10.* de libertate hominis, & permiſſione illa vtendi, ſic loquitur. *Deus sic administrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat.* Quid enim nobilius in homine, quàm libertas ad agendum quod vult. Cùm ergo inter alias præclaras homini collatas dotes, hæc in naturalibus ſumma ſit, quia per eam à cæteris differt animantibus, ſi ſibi impediretur, ne ea poſſet vti, fruſtra collata fuiſſet. Ideò per neceſſariam conſequentiam, ſuppoſito hoc beneficio ſibi à Deo collato; permiſſio operandi, quod vellet, bonum, ac malum, fuit ei concedenda: Et in hoc relucet Dei benignitas, ac liberalitas.

Alibi confirmat.

Cætera motiua Dei in permiſſione pecandi ex capite ſeptimo huius Opuſc. deſumi poſſunt: Nam ad idem ſunt.

Alia permiſſionis peccandi motiua ex c. 7. huius Opuſc. deſumenda.



CAP.

CAPVT XI.

An Christus etiam pro reprobis mortuus sit, & in quo eis profuit.

161. ADu. 1. Huius quæsiti solutionem maximi momenti esse, nedum pro Catholicis contra Hęreticos, sed etiã pro Catholicis inter se ipsos. Duo siquidem quæsitum continet. Primum, an Christus mortuus sit etiam pro reprobis, & hoc contra Hæreticos, nedum antiquos, sed & modernos aliquos, qui se iactant Catholicos, facilè ex Sacra Scriptura, Concilijs, Apostolicę Sedis definitione, & vnanimi Sanctorum Patrum, ac Theologorum sententia soluitur. Secundum est; supposito cum fide, quòd pro reprobis etiam mortuus sit; cùm fides etiam doceat eos non esse electos, nec à Christo fuisse reconciliatos Deo finaliter, ideòque perituros; videndum est, quale beneficium eis contulit Christi mors; id enim importat Christum esse passum, & mortuum pro humano genere, vt mox dicetur: Si autem Christus non attulit reprobis salutem, & innumeris neque fidem, quia eum numquam acceperunt; & consequenter, nec vllam attulit iustificationem, neque primam, quia sine baptismo in lege Euangelica, & sine remedio contra originale in lege naturæ, ac scripta decesserunt, quale bonum his collatum, aut illis conferendum attulit Christus: Et hic reuera est cardo difficultatis in hoc quæsito.

Magni pōderis est quęsitum hoc.

Duo continet.

Primum facile: secūdum difficile.

162. Adu. 2. Quòd, sicut fides docet, Christus est Saluator, ac Redemptor, & Mediator humani generis indefinitè, & vniuersaliter, non verò

huius, vel illius generis, aut nationis; & sic tàm hominum, qui in lege naturæ, aut lege scripta, quàm eorum, qui fuerunt, sunt, & erunt pro tempore legis Euangelicę; & sic omnium omnis temporis hominum: Vndè insurgit curiosum, sed nobile quæsitum, quid scilicet Christi passio, ac mors contulerit etiam hominibus, tàm prædestinatis, quàm reprobis, qui ante Christum mortui erant.

Christus est omnium Saluator.

163. Adu. 3. quòd Remigius Lugdunensis in libro de tribus epistolis contra Epistolam Hincmari ad Amulum cap.8. §.2. quatuor classes hominum distinguit per comparationem ad Christum, inquiens. *Primus ordo est electorum, ac prædestinatorum ad vitam æternam, de quibus perire nullus potest, & qui omninò omnes saluantur. Secundus ordo est eorum, qui recta fide, & pietate accedunt ad gratiam baptismi, & per eam accipiunt indulgentiam peccatorum. Tertius est eorum, qui adhuc in infidelitate positi, vocandi tamen sunt per misericordiam Dei, & hoc sine dubio in Ecclesia consecuturi, quod consecuti sunt illi duo ordines, siue perseuerantium, siue non perseuerantium. Quartus est infidelium, qui numquam credituri sunt. De tribus primis dicit pertinere ad gratiam Christi, & pro illis esse mortuum, & beneficium aliquod eis contulisse; at pro his quarti ordinis mortuum non esse, nullumque eis beneficium contulisse.*

Remigij Lugdun. sententia.

164. Adu. 4. quòd distinctio Theologorum de Christi passione, & morte pro omnibus applicata efficaciter, vel sufficienter necessariò admittenda est, alioquin non apparet via, nec modus defendendi, quòd Christus sit Saluator omnium, vt canit Ecclesia, docuerunt Apostoli, ipseque Christus, vt patebit; declaratione tamen indiget hæc

Distinctio efficaciæ, & sufficientiæ mortis Christi tenenda.

hęc distinctio efficacię, ac sufficientiæ; alioquin inuoluta adhuc remaneret distinctio, & fuga potiùs, quàm solutio difficultatis appareret: his pręmissis

165. Dico 1. Christus pro omnibus omninò hominibus, tàm prædestinatis, quàm reprobis passus, ac mortuus est. Pro omnibus omninò hominibus Christus mortuus est.

166. Prob. facilè omnibus argumentis, quæ pro hoc dogmate adduxi in *tom.1. in 3. sent. disp. 20.art.4. & 5.* desumptis ex Sacra Scriptura, Patribus Græcis, ac Latinis, & ex Concilijs.

167. Primò ex 2. Cor. 5. 14. *Charitas vrget nos, æstimantes hoc; quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Secūdò ex Rom. 5. 6. *Christus pro impijs mortuus est.* Alia loca adducam sub titulo Redemptoris. Ex S. Scriptura.

168. Prob. ex Patribus Græcis: ex Gregor. Nazian. orat. 25. *Per Christi perpessiones omnes reformati sumus, nullo penitus excepto, qui eidem Adamo participauimus, & à serpente decepti, & per peccatum morte affecti,* &c. Ex Patribus Gręcis S., Gregor. Nazian.

169. Et quod magis vrget in *orat.* 3. quæ est inuectiua contra Iulianum Apostatam iam mortuum, inquit. *Tu manum mouere aduersus eam ausus es, quæ, & pro te, & propter te clauis affixa est.* Et in orat. 38. loquens de reprobis Hæreticis, ait, *Pro quibus etiam gratis mortuus est Christus.*

170. Cirillus Alexand. in epist. ad Monachos, ait, *Vnus ex omnibus resurgens, qui pro omnibus mortuus erat, vt proprio sanguine redimeret quidquid sub Cælo est, & acquireret Deo, ac Patri omnes, qui in vniuersa terra consistunt.* S. Cirill. Alexand.

171. S. Basilius in *psalm.* 48. inquit, *Christum sanguinem suum pro nobis omnibus effudisse.* S. Basil.

Euseb. Cæsar. 172. Eusebius Cæsar. 10. de Demon. Euang. ingeniosè notat Sanctum Ioannem Baptistam, omnium primum id dogma prædicasse, dum Io: 1. 17. de Christo dixit, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Eusebius, inquit, *Pro toto grege hominum agnum illum sacrificatum esse, dicit.*

S. Epiph. 173. S. Epiphanius Hæresi 69. ait, *ipse Christus Sacerdos, ipse hostia semetipsum obtulit pro omni creatura Pontificatus officio fungens*, &c.

Alia Patrum Græcorum, immò & Latinorum dicta sub titulo Saluatoris, Redemptoris, & Mediatoris adducam.

Ex PP. Latinis. S. Cyprian. 174. Prob. ex Patribus Latinis. S. Cyprianus in *lib. de Opera, et Eleemos.* circa finem, introducit Diabolum loquentem cum Christo, præsente reproborum turba, & sic dicentem. *Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi; nec familiam meam pratio passionis, & crucis redemi, nec Regnum Cæleste eis promitto*: Ergo pro eis etiam tenet Christum passum.

S. Ambr. 175. S. Ambrosius in lib. 3. de offic. cap. 3. ait, *Christus quoque Dominus, qui pro omnibus mortuus est, mercedem suam euacuatam delebit.* Et in *lib. de Ioseph cap.* 7. dicit, *Christus omnibus vitam dedit. Ipse pro omnibus mortem suam obtulit.* In psalmo verò 118. sepè formula hac loquendi vtitur.

S. Hieron. 176. Hieron. in 2. *epist. ad Cor. cap.* 5. super illud, *Christus pro omnibus mortuus est*, inquit, *solus inuentus est, qui vt immaculata Hostia pro omnibus, qui erant in peccatis mortui offerretur.*

177. August. *tract.* 12. in Ioann. super illis verbis Ioan. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus*

dus per ipsum; inquit. *Ergo quantum in medico est, saluare venit ægrotum; ipse se interimit, qui præcepta medici seruare non vult. Venit Saluator in mundum; quarè Saluator dictus est mundi, nisi, vt saluet mundum, non vt iudicet mundum. Saluari non vis ab ipso, ex te iudicaberis.* S. August.

178. Clariùs cont. Iulianum *lib.6. cap.*1. ait. *Attende, cùm validis argumentis vrgearis. Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum, ego dico, non nisi pro peccatoribus mortuum; ita vt respondere cogaris, si nullo peccato paruuli obstricti sunt, non esse pro paruulis mortuum. Dicit enim ad Corinthios, quoniam vnus pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est.* Et longo, sed digno discursu argumentum istud prosequitur, concludens, *Christũ pro omnibus mortuũ esse, nemo dubitet, qui se nõ negat, aut dubitat esse Christianũ.* Clarè August. id probat.

179. S. Prosper Augustini fidelis discipulus, *ad 9. argumentum Gallorum*, quo dicebatur, ex Augustini doctrina sequi, quòd non sit crucifixus, & mortuus pro omnibus hominibus, multa dixit, inter quæ hoc. *Nullum omninò esse ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo Domino suscepta non fuerit: sed non sufficere hominum redemptioni crucifixum esse Dominum Iesum Christum, nisi commoriantur ei, & consepeliantur in baptismo*, &c. S.Prosper.

180. Idem dicit idem Sanctus in respons. *ad primam obiectionem Vincentianam*, super hac re, docens pro se, & Magistro suo Augustino, *Cum itaque propter vnam omnium naturam, & propter vnam omnium causam à Domino Nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicuntur redempti; & tamen non omnes à captiuitate sunt eruti, redemptionis proprietas, haud dubiè penes illos est, de quibus Princeps mundi missus est foras &c. Poculum quippè immortali-* Iterum S. Prosper.

talitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.

181. S. Leo 1. *Serm. 1. de Natiu. Domini*, ait, *vna cunctis lætitiæ communis est ratio; quia Dominus noster peccati, mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Et in serm. 1. de Passione Domini*, sic ad Iudæos alloquitur. *Meritò soli non habetis, quod omnibus perire voluistis: & tamen tanta est bonitas nostri Redemptoris, vt etiam vos possitis consequi veniam, si Christum Dei filium confitentes, illam paricidialem malitiam relinquatis. Non enim Dominus in Cruce frustra orauit, Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Quod remedium nec te Iuda transisset, si ad pœnitentiam confugisses, quæ te reuocasset ad Christum, non quæ te reuocasset ad laqueum.*

S. Leo Mag.

Alios Patres, atque Scholasticos omnes breuitatis gratia omitto, & stabiliora, Conciliorũ, & S. Sedis Apostolicæ prosequor argumenta.

182. Concilium Prouinciale Arelatense celebratum anno 475. contra Prædestinatianos, *anathema* dixit *illi, qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines saluos esse velit*, Immò Lucidus Gothescalchi discipulus, tunc suam retractauit sententiam oppositam, his verbis. *Nunc verò Sacrorum Testimoniorum authoritate, quæ abundè per spatia diuinarum Scripturarum inueniuntur, ex Seniorum doctrina ratione patefacta, libens fateor, Christum, etiam pro perditis aduenisse, quia eodem nolente perierunt. Neque enim fas est circa eos solùm, qui videntur esse saluati, immensæ diuitias bonitatis, ac beneficia diuina concludi. Nam si Christum his tantum remedia attulisse dicimus, qui redempti sunt; videbimur absoluere non redemptos,*

Conc. Arelat.

Retractatio Lucidi.

quos

quos pro redemptione contempta, constat esse punien-dos. Idem docuit Concilium Valentinum Pro-uinciale *in can.4*.

Concil. Valent.

Concilium Trident.Generale in *sess.6.cap.3.* expresse id docet hisce grauibus verbis, *Christum promissum in lege Veteri venisse in mundum, vt & Iudæos, qui sub lege erant redimeret, & Gentes, quę non sectabantur iustitiam, iustitiā apprehenderent, atq; omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Verùm, & si ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen beneficium mortis eius recipiunt, sed ij dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur*: Ergo pro omnibus mortuus est.

Concil. Trid.

183. Tandem à Summis Pontificibus Innocentio Decimo primùm, postea à successore Alexandro Septimo damnantibus, vt hæreticas quinque propositiones Iansenij, ea, quæ dicebat Christum *non esse mortuum pro omnibus*, in ordine quinta, *hæretica declarata, & damnata est*.

Ex definitione S. Sedis.

184. Dico 2. Quamuis reprobi per Christi passionem, & mortem, à iugo, ac seruitute Diaboli in effectu liberati, ac soluti non fuerint in effectu; fuerunt tamen soluti, ac liberati sufficienter quantum ad solutionem prætij superabbundantis, ac infiniti.

Reprobi quomodo à Christo redempti.

185. Prob.1. Omnes Theologi, ac Patres S. Scripturæ interpretes hoc modo, vt nuper patuit declarant Christum pro omnibus, & singulis hominibus mortuum; & omnes redemisse; quia nempè pretium pro omnibus sufficiens Deo Patri soluit in effectu.

186. Confirmatur. Non possunt aliter intelligi verba Conciliorum, & Patrum dicentium Christum

Non potest aliter intelligi, vel declarari, quòd Christus sit omnium Redemptor.

ſtum eſſe omnium omninò hominumSaluatorem, Redemptorem, ac Mediatorem;& non poſſet Eccleſia canere, *Chriſte Redemptor omnium*. Vnde Clemens Alexandrinus *lib.7.Strom.* inter cætera de Chriſto omnium Saluatore, ait; *eſt enim Saluator, non horum dumtaxat, illorum verò minimè. Si quidem pro cuiuſque captu beneficentiam ſuam impertijt. Græcis perindè, ac Barbaris, & qui ex illis, prædeſtinati ſuo tempore vocati ſunt fidelibus, & electis.* Clemens Alexand. *Non igitur reſtrictus in aliquos erit, qui ex æquo vocauit omnes.* Et infra. *Quinam ergo Saluator, & Dominus, niſi omnium ſit Saluator, & Dominus.*

187. Prob.2. ex ijs, quæ diffusè in *tom.* 1. *in* 3. *ſent. diſp.* 20. *art.* 4. per totum, ſed præcipuè §. 2. diximus. Non alio modo Patres ſaluant, quòd Chriſtus ſit Redemptor omnium, tàm electorum, quàm reproborum; niſi, quia paſſione, ac morte ſua meruit media, quibus applicatis homines liberari poſſint à ſeruitute Demonis, & qui non adhibent illa, non liberantur. Ergo magnum hoc beneficium attulit etiam reprobis. Anteced. prob. ex plurium SS.Patrum dictis. S. Auguſt. in *Serm.*114. qui nunc eſt in appendice, ait. S. Auguſt. *Saluator noſter in ſtatera Crucis pretium noſtræ ſalutis appendit, & vna morte vniuerſum mundum, ſicut omnium conditor, ita omnium reparator abſoluit. Indubitanter enim credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quàm totus mundus valeret.*

188. S. Baſilius ſupra etiam relatus in *pſalmo* 48. Super illud, *& pretium redemptionis animę ſuę,* S. Baſil. dicit, *Inuentum eſt vnum par omnibus ſimul liberandis hominibus, quod in redemptionem animarum pretium eſt impenſum, Sanctus videlicet, ac pretioſus ſanguis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quem nobis omnibus*

...ibus effudit. Vnde, & pretio redempti sumus.

189. S. Prosper, vt supra patuit, docet, hoc modo omnes homines bonos, & malos fuisse redemptos, quòd nempe Christus pretium sanguinis, idest meritum, in eius effusione soluerit, vt scilicet ijs tantùm prosit, quibus communicatur, & appropriatur per Sacramenta Baptismi, & Pęnitentiæ post peccatum. Ij verò, quibus non communicatur eius meritum per applicationem talium Sacramentorum in actu, seu effectu, non liberantur à Diaboli seruitute: inquit enim, *Non sufficere hominum redemptioni Crucifixum esse Dominum Christum, nisi commoriantur ei, & consepeliantur in baptismo*, &c. Item, *Sanguinem Christi redemptionem esse totius mundi: sed qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alienos esse*. Et post aliqua, vt supra, dicit, *Cuius mors non ita est impensa humano generi, vt ad redemptionem eius etiam, qui regenerandi non erant, pertineret; sed ita ut, quod per vnicum exemplum gestum est pro vniuersis, per singulare Sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippè immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur*. Ergo, sicut Sacramenta Baptismi, & Pęnitentiæ post peccatum liberant à seruitute Diaboli eos, qui ijs vtuntur, seu quibus applicantur; ita liberarent, & in effectu redimerent etiam alios omnes, ac reprobos, si eodem modo his applicarentur: Et hoc voluit docere Concil. Trid. supra relatum, dicens; *Verum licet Christus pro omnibus mortuus sit, non omnes tamen beneficium mortis eius recipiunt, sed ij dumtaxat, quibus beneficium passionis eius communicatur*. Communicatio autem

S. Prosper.

Quomodo in effectu Christus liberat, per Sacramentorum applicationē.

Ideò in effectu non redimũtur reprobi, quia Sacramenta non recipiunt, quando, & vt oportet.

tem passionis, ac meritorum Christi, per quam quis à seruitute Diaboli liberatur, & ad salutem æternam disponitur, fit per præfata Sacramenta, eam efficaciam ex meritis Christi habentia: Ista autem pro omnibus omninò hominibus Christus meruit, & pro omnibus instituta, & parata sunt. Isto igitur modo, omnes etiam reprobos redemisse dici potest Christus, siue sint ex reprobis, qui numquam talia Sacramenta receperunt, siue ex ijs, qui receperunt quidem, sed non perseuerarunt in bono. Alia plura argumenta studiosus lector in nostro citato tomo **1.** ***in 3.sent. disp.*** **20.** ***art.*****4.** ad satietatem inueniet.

Cur aliquibus non communicetur Christi meritũ.

190. Cur autem ijs actu non communicetur meritum passionis Christi, eisque non applicentur Sacramenta; & cur, si aliquibus applicentur, temporaliter tantùm prosunt, & ad perseuerantiam non conducunt; alia nequit assignari ratio, nisi illa fundamentalis, quia non fuerunt à Deo discreti à massa perditionis. Cur autem à massa perditionis discreti non fuerint, inquit Augustinus cum Apostolo *Rom.* 9. respondendum est, sicut aliàs sæpè diximus; *ò homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* At statim adducit rationem sæpè à nobis in præced. capite adductam, sic nempe, sapientissimum Deum fecisse in ostensionem gloriæ, potentiæ, ac magnitudinis suæ in exercitio misericordiæ, & iustitię: ideòque Psalmista crebrò in hac duplici virtute, seu perfectione Deum glorificat, *misericors Dominus, & iustus*: & in Psalmo 80. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.*

Cur reprobi à massa perditionis non fuere discreti

Cur-

191. Cur tandem eos à massa perditionis nō discretos reprobauerit damnans eos ad æternam pœnam damni, & sensus, iam in toto hoc Opusculo diximus; quòd ex præscientia peccatorum adultos damnauerit; paruulos autem in originali decedentes, ad pœnam tantùm damni; neque vllam aliquis hominum assignare potuit causam: Sed inquit Augustinus, in hoc puncto ad occultū, sed iustissimum Dei iudicium est recurrendum, apud quem, vt inquit Apostolus, *nec iniquitas est, nec personarum acceptio*: & quòd nos *non debemus plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, & gratias continuò agere debemus Deo, qui nos eripuit de potestate Diaboli, & trāstulit in Regnum dilectissimi filij sui Iesu Christi per eius passionem, ac mortem, cui gloria in sæcula. Cur non discreti fuere reprobati.

192. Dico 3. Christus Dominus, nedum pro reprobis post eius aduentum natis, ac nascituris vsque ad mundi finem mortuus est, eisque beneficium attulit sufficienter per institutionem mediorum ad salutem; sed etiam pro reprobis, qui à mundi initio, vsque ad ipsum extiterunt, mortuus est, beneficium eis afferens per media ad salutem à Deo tunc pro toto humano genere instituta ex præuisione meritorum, ac mortis Christi in tempore futuræ. Etiam pro reprobis, qui fuerūt ante ipsum Christus mortuus est.

193. Prob. ac declaratur hęc curiosa conclusio, clariùs postea in sequenti Opusculo (de Auxilijs) declaranda. Sic ergo prob. Christus mortuus est pro omnibus, sic decernente Deo, quia omnes in Adamo erant mortui, vt sæpè testatur Apostolus, & docet fides; sed nedum prædestinati, ac reprobi, qui Christi aduentum sequuntur, in Adamo mortui sunt; sed etiam omnes, qui

eum præcesserunt, incipiendo ab Adamo vsque ad mortem eiusdem Domini: ergo pro ijs etiam mortuus est. 2. quia Christus, per mortem fuit Mediator omnium hominum pręsentium, futurorum, ac præcedentium, immò quasi (vt ita dicam) magis propter illos mortuus est; ait enim Apostolus, *Rom.3. 25. Per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* Pro omnibus ergo hominibus, etiam, qui Christum præcesserunt, mortuus est Christus; & de prædestinatis inter eos, est adeò certum, vt ipsi omnium primi beneficium mortis senserint, quia à Lymbo liberati, & in Cœlum introducti; pro antecedentibus ergo etiam mortuus est Christus.

Euidens ratio supposita fide.

194. Prob. modò secunda pars, quoad beneficium, quod etiam reprobi præcessores mortis Christi, per eum obtinuerunt, euidenti ratione. Omnibus, qui Christum pręcesserunt (loquendo de adultis) Deus dedit media necessaria ad salutem, ob merita passionis, & mortis Christi præuisa, quæ illis tantùm profuerunt, quibus applicata fuerunt: sicut modò ob merita passionis, ac mortis exhibita, ijs tantùm prosunt media salutis, quibus applicantur. Ergo sicut Christus ideò profuit reprobis post eius mortem natis, ac nascituris, quia pro ijs per exhibita merita, instituta sunt media ad salutem; ita profuit illis ab initio mundi vsque ad suum aduentum; quia Deus ob pręuisa Christi merita instituit media ad salutem necessaria ad delendum originale, & ad delendum actualia patrata post deletionem originalis: nec potest aliter declarari beneficiū, quod

Quale beneficium attulit reprobis antecedentibus Christi mors.

quod reprobis illorum temporum attulit Christus. Quòd verò ijs non profuerunt, neque saluati sint; hoc accidit, quia media illa non fuerunt eis applicata; sicut modò reprobi damnantur, quia media salutis, vel eis non applicantur, vel quia non, vt oportet, applicantur.

195. Prob. 2. & redit in idem. Electi, & prędestinati pro lege naturę, & gratiæ Christum Mediatorem habuerunt pro liberatione à seruitute Diaboli, tàm in statu originalis, quàm in statu personalis peccati; quia Deus ob pręuisa merita passionis, & mortis Christi instituit pro omni lege remedium contra originale, & personale, seu actuale; & efficaciter voluit, vt eis applicarentur illa remedia; ergo pro reprobis etiam erant parata; alioquin non habuissent gratiam sufficientem ad salutem, & fuissent excusatione digni, si pro eis media illa, nec applicata, neque parata fuissent. Anteced. prob. ex S. Hieronymo in *cap. 3. epist. ad Gal.* vbi ait Apostolus. *Conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Hieron. inquit. *Scribit ad Timotheum, Vnus est Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus postquam ob nostram salutem de Virginis vtero dignatus est nasci, Dei & hominum homo Christus Iesus, sequester est dictus. Antequam verò humanum corpus assumeret, & esset apud Patrem in principio Deus Verbum, ad omnes Sanctos, ad quos factus est sermo Dei, Enoch videlicet, Noe, Abraam, Isac, & Iacob, & postea Moisem, & cunctos Prophetas, quos Scriptura commemorat, sine additamento hominis, quem nec dum assumpserat, Mediator tantummodò nuncupatur.* Hæc autem mediatio, illum præstabat effectum, vt electos illos, in originali nascentes, & postea in

Media salutis Deus instituit pro antiquo tempore, ob pręuisa merita Christi.

Ex Hieron.

mortali proprio cadentes, per aliqua media, peccata illa delentia, Deo reconciliaret; sicut factum est: nam pro toto tempore legis naturę aderat remedium contra originale, quod, vt alibi dixi, erat oblatio quędam facta Deo, cum fide venturi, implicitè saltem crediti; & pro mortali proprio, aderat remedium contritionis de peccato, cum proposito non peccandi de cætero, & cum fide venturi eodem modo crediti. Pro Iudæis verò incipiendo ab Abraham, cui præcepta fuit circũcisio vsq; ad promulgationem Euangelij, remediũ contra originale pro maribus fuit circumcisio; pro alijs verò extra Iudęos durauit idem remedium, quod prius. At pro mortali proprio in vtraque lege durauit vsque ad promulgationem Euangelij idem remedium, licet pro Iudęis in lege scripta aliqua legalia fuerint addita. Hæc autem remedia dependenter à meritis Christi fuerunt à Deo instituta, vt ipse esset omnium Mediator; quia ait Apostolus *ad Colofs.* 1. 18. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in Cælis sunt.*

Remedia contra originale. & actuale pro lege naturæ. Et pro lege scripta.

Christus caput omnium.

196. Et S. Augustinus *lib.* 2. *de pecc. orig. contra Pelag. & Cælest. cap.* 24. docet, omnes Sanctos Patres in fide Christi venturi, ac merituri, Dei gratiam, & peccatorum remissionem obtinuisse: ait enim, *ex fide, qua nos viuimus vna eademque vixerunt antiqui iusti; & ipse Moises Testamenti Minister Veteris, hæres Noui, incarnationem, passionem, & resurrectionem Christi credentes futuram, quam nos credimus factam*: quod priùs docuerat in *lib.* 3.

Ex S. Aug. fuit semper necessaria Christi fides ad salutem.

lib. 3. cap. 4. contra duas Epistolas Pelagij, & contra Iulianum Pelag. lib. 1. cap. 2. eisdem verbis. Quoniam ex Ephes. 1. 10. *Deus proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in Cælis, & quæ in terra sunt.*

197. Tunc sic. Ista media ad salutem pro deletione originalis, & actualium peccatorum instituta, non fuerunt à Deo determinata pro his tantùm, aut illis, sed communia omnibus hominibus, bonis, & malis, vt eis pro necessitate vterentur; quia, vt inquit S. Augustinus, *numquam Deus reliquit mundum sine remedio, nec vnquam præcepit impossibilia*; omnes ergo etiam reprobi in prioribus legibus habuerunt remedia contra vtrumque peccatum, & gratiam sufficientem per vnicum Mediatorem Christum. Noe enim ante diluuium electis,& reprobis, vt resipiscerent prædicabat; nam *ex 1. Epist. Petri 3. 20.* habemus, quòd Christus ad inferos descendens, *his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca*, &c. Aliquos enim ex ijs in Lymbo fuisse oportet, quos Christus arguit, quia non crediderunt Noe prædicanti diluuium futurum, licet per centum annos, vt ait Glos. ord. in citato loco Petri, durauerit fabricatio Arcæ à Noe elaboratæ. Lyr. Iudæus olim, ibidem ait. *Noe ex parte Dei peccatores ad pœnitentiam hortabatur*. Omnibus ergo bonis, & malis prædicabat pœnitentiam Noe: & sic oportuit eos auxilia habuisse supernaturalia ad posse credere, pænitere, ac Deum diligere; quia erat eis impossibile eos actus naturalibus viribus exequi. Hæc auté auxilia eis Deus concedebat intuitu meritorum præuisorum Christi, omnium Mediatoris.

Noe prędicauit bonis & malis.

Aliud

198. Aliud Scripturæ exemplum eſt illud Ionæ, quo prædicante in magna Ciuitate Niniue; Regeque terrefacto, ac indicente ieiunium rigoroſum pro hominibus, & beſtijs, & mandante reſipiſcentiam à peſſimis vijs ſuis, pęnitentiam egerunt, & Deus placatus eſt, & Ciuitas ſubuerſa non fuit: igitur auxilium diuinum habuerunt, vt pæniterent, ac Deum placarent: illud autem auxilium Deus conceſſit ex præuiſione mortis, ac meritorum Mediatoris Chriſti.

Ionas prædicauit bonis, & malis

199 Alia innumera ſuppetunt Scripturæ exépla, & pręſertim omnium Prophetarum maiorum, ac minorum, quos miſit Deus ad prædicandum Idolatris Regibus, tàm Samariæ, quàm Iudeę, eorumque populis, quamuis nihil profecerint: oportuit ergo, vt populi illi, quibus prædicabant, quoſque à peccatis, præſertim Idolatriæ retrahere ſatagebant, auxilia gratiæ, nempe illuminationes, ac inſpirationes ad cognoſcendam veritatem, & adorandum Deum pro eius cognitione, & aſſecutione, habuerint; alioquin impoſſibilia eis fuiſſent, quæ ſibi prædicabantur; neque potuiſſent de inobedientia puniri: Hæc enim duo Dei bonitati, ac iuſtitiæ non conueniunt Si igitur media illa ad ſalutem neceſſaria, & ad reſipiſcendum, ac ſanctè operandum habuerunt (quamuis eis ex ſua culpa vſi non fuerint) ex pręuiſis meritis paſſionis, ac mortis Chriſti hominum omnium Mediatoris, ac Redemptoris. Ipſum enim conſtituit Deus caput totius Eccleſiæ pro omni ſtatu; & in ipſo decreuit omnia inſtaurare; ideò ſine ipſo factum eſt nihil: & ſicut ſine eo, nihil boni ſupernaturalis nunc fieri poteſt: neque potuit ante eius aduentum fieri, & ſicut nunc Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc


Prophetæ omnes ſimiliter prędicarunt.

Iis, quibus prędicabãt auxilia ſufficientia habuerũt.

hunc mundum ob merita Christi exhibita: ita tunc ob eadem præuisa. Omnibus ergo, etiam reprobis, qui existunt, & exiſtent, ac extiterunt ab initio mundi vſque ad Chriſtum, ex morte eius præuiſa, aut exhibita beneficium aliquod ſalutare obtinuerunt, quo vti potuerint, ac poſſint: quòd verò non vtantur, aliundè, vt ſæpè diximus, prouenit.

Sine depẽdentia ad Christi merita nullũ opus bonũ fieri vmquã potuit.

200. Concludamus ergo Caput iſtud, ſimulque Opuſculum cum S. Auguſtino *lib. de ſalut. docum. cap. 46. Chriſtus non pro Sanctis tantùm paſſus eſt; ſed pro peccatoribus, & impijs, ac ſceleratis aſcendit in Crucem, & paſſione ſua nos omnes reuocauit ad vitam: non Sanctis tantùm dedit Deus Solem, & Lunam, & pluuiam, & omnia naſcentia terræ,* &c. Non enim iniuſtus eſt Deus, aut perſonarum acceptor: ſed iuſtus, benignus, ac miſericors; cui gloria in ſæcula. Amen.





OPVSCVLVM TERTIVM.

DE GRATIIS ACTVALIBVS, SEV DE DIVINIS AVXILIIS.

CAPVT PRIMVM.

Quid intelligatur nomine Gratiæ *actualis, seu Diuini* Auxilij.

1. 
DV. 1. quòd Theologus, omnes suas Conclusiones eruere debet ex Sacra Scriptura, siue literaliter accepta, siue declarata à Romano Pontifice, vel à Concilijs Generalibus, siue Prouincialibus à Sãcta Apostolica Sede approbatis; siue à traditionibus; siue à Patribus, vel Sanctis, aut præclaris Ecclesiæ, laudatisque Doctoribus: Nam Ecclesiast. 8. dicitur. *Non te prætereat narratio Seniorum; ipsi enim didicerunt à Patribus suis, vt scias in tempore opportuno dare responsum.* Hoc idem docuit Innocent. 1. vt habetur in *can. vlt. dist. 20. de quibus causis. Si nulla soluendi, ligandique authoritas in libris Veteris Testamenti, quatuor Euangeliorum cum totis scriptis Apostolorum appareat, ad diuina recurre scripta* Græ-

Theologus quibus medijs debet suas probare conclusiones.

Græca. Si neque in illis, Canones Apostolicæ Sedis intuere. Si neque in illis ad Catholicæ Ecclesiæ Historias Catholicas, à Catholicis Doctoribus scriptas manum mitte. Si nec in illis, Sanctorum exempla perspicaciter recordare. Quod si omnibus his inspectis huius quæstionis qualitas non lucidè inuestigatur Seniores Prouinciæ congrega, & eos interroga. Facilius namque inuenitur, quod à pluribus Senioribus quæritur. Verus enim repromissor Dominus ait, Si duo, vel tres conueniunt super terram in nomine meo, de omni re, quamcumque petierint, fiet eis à Patre meo. Hæc ergo sunt Ecclesiastica, ac diuina Promptuaria, è quibus canonicæ, theologicæ, ac morales resolutiones excerpédę sunt: & propterea in primi Opusc. initio me declaraui, quòd, quando pro difficilibus hisce materijs claras resolutiones non inuenero in Sacra Scriptura, in decretis Romanorum Pontificum, vel in approbatis Concilijs; ad Sanctorum antiquorum Patrum, atque Ecclesiæ Doctorum, qui Apostolorum temporum proximiores fuerint, Doctrinas, recurram, inter quos vnum Augustinum, vtpotè omniscium elegi; & sicut in duobus Opusculis feci, sic prosequar in hoc de Auxilijs diuinis, pro quibus tuendis, ac declarandis contra Pelagianos, ac Manichæos, vsque ad vitæ finem laborauit: cuius Doctrinam Vniuersalis Ecclesia complexa est. Ex Scriptura ergo primùm huius quęsiti resolutio petenda est; ideò

S. Scriptur. admonitio.

Innoc. I. documentum.

Authoris intentio.

2. Adu. 2. quòd hæc vocabula *Gratia*, *Auxilium*, seu *Adiutorium* diuinum, in Sacra Scriptura, cum suis significatis sæpè in vtroque Testamento reperiuntur.

Gratia, auxilium diuinum, & adiutoriũ in S. Scrip. commemorantur.

3. De vocabulo enim *Gratiæ* diuinæ collatæ, vel conferendę à Deo hominibus, vel ab eo petendę,

dę, &si penè innumera Scripturę sint loca, vt facilè quisque in Concordantijs Bibliorum, Verbo, *Gratia*, videre potest; tamen ad laborem subleuandum aliqua referam Exodi 11.3. *Dabit autem Dominus Gratiam populo*: idem repetit in cap.12.18. & in cap. 13. 12. de ipsomet Moise inueniente gratiam apud Deum, tot beneficia ei largientem; Iudith. 10. 8. *Deus Patrum nostrorum det tibi gratiam*. Psalm.83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Prou.3.14. *Mansuetis dabit gratiam*. Sap.4. 15. *Gratia Dei, & misericordia est in Sanctos eius*; & alia plura possunt loca Veteris Testamenti adduci. At quia Nouum Testamentum ex gratiarum abundantia appellatur *Lex Gratiæ*, quia Ioan. 1.17. *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, ex eo accipiamus exempla. Act.6. 8. *Stephanus plenus gratia, & fortitudine*: cap. 7. 10. *Deus dedit ei gratiam, & sapientiam*: cap.15. 11. *per gratiam Domini Iesu*. Rom.1.5. *Per quem accepimus gratiam*, & in tota epistola per 24. vices mentio fit de Gratia Dei. In epistol. ad Corinth. 25. vicibus, in alijs supra 50. Item in vtraque epistola Petri: in secunda, & tertia Ioannis, & in epist. Iacobi. In his ergo, & in omnibus canonicis Libris mentio fit de gratia, quam Deus hominibus confert.

De Gratia frequens mentio in S.Script.

In Nouo Testam. sępius, quia est lex gratię.

4. De vocabulo *Auxilij diuini*, quod Deus hominibus impertitur pro suis actionibus exercendis, 2. Paralip. 20.17. *Videbitis auxilium Domini*. Iudit.6.21. *petentes auxilium à Deo Israel*. Psalm. 19.3. *Mittit tibi auxilium de Sancto*, &c. Psalm.39. 13. *Da nobis auxilium de tribulatione*. Psalm.61.8. *Deus auxilij mei*. Psalm.70.12. *Deus meus in auxilium meum respice*. Psalm. 120. *Auxilium meum à Domino*, & alia plura suppetunt

Sacrę

Sacræ Scripturæ loca. Isaiæ 41. 10. & 14. Deus improperat Populo, *ego auxiliatus sum tibi*, cap. 49. 8. *In die salutis auxiliatus sum tibi*. cap. 50. 7. *Dominus Deus auxiliator*: idem replicat infra. Sub titulo Adiutorij diuini habemus alia Sacri Textus loca. Psalm. 34. 2. *exurge in adiutorium mihi*; Psalm. 67. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*. Psalm. 125. *Adiutorium nostrum in nomine Domini*. &c.

De auxilio diuino pluries fit mentio.

Item de adiutorio.

5. Habemus ergo in Sacra Scriptura hęc vocabula significantia beneficium aliquod, seu opē aliquam, quam Deus hominibus confert, quę aliquando appellatur *Gratia*, aliquando *Auxilium*, aliquando *Adiutorium* actuale; sed idem significant, ideò significatum horum vocabulorum nunc inquiro.

6. Adu. 3. quòd nomen *Gratia* etiam inter prophanos Scriptores commune est ad significandum omne bonum, omneque beneficium, quod aliquis alteri confert gratis ex sua beneuolencia, sine merito recipientis; nam si ex merito confert, non est gratia, sed pręmium, & merces. Inter Theologos autem de diuinis erga homines beneficijs, & gratijs differentes, *Gratia* diuina in genere sumpta significat omne bonum, omneque donum, quod Deus hominibus largitur, siue sit naturale, idest, spectans ad naturam hominum, vt est anima, corpus, vita, sanitas, bona fortunæ, honores, &c. siue sit bonum spirituale, & supernaturale disponens, & conducens ad spiritualem vitam, & æternam salutem. De primo gratiarum genere hìc non loquimur, sed de secundo, nempe spirituali, ac supernaturali ad salutem conducente. At quia Gratia spiritualis, ac supernaturalis multiplex est, quędā; enim dicitur habitualis,

Apud prophanos gratia quid significat.

Gratię genus multiplex.

Habitualis.

lis, & sanctificans, seu gratum, & sanctum faciens, quæ ex Scoto, quem sequor, est eadem, ac Charitas; quædam est gratis data, quæ non sanctificat, sed est in bonum aliorum, vt latè dixi in *tom.3. in 3. sent.* vt Prophetia, Gratia miraculorum, & aliæ septem; quædam dicitur gratia actualis, seu auxilium illud, quo Deus concurrit cum homine ad aliquod opus bonum, conducens ad salutem: in hoc loco non loquimur de primis Gratiarum generibus, sed de postremo, de gratia nempe actuali.

Gratis data.

Actualis quæ.

7. Adu.4. quòd nomen *Auxilium diuinum* est commune ad omne adiutorium, quo Deus adiuuat homines cooperando cum illis in suis operationibus, tàm naturalibus, quàm supernaturalibus: Omnis enim homo, omnisque creatura, tàm in sui primo esse, & conseruari, quàm in omni sua operatione indiget ope, ac auxilio Dei, vt docet Apostolus Act.17.28. *In eo enim viuimus, mouemur, & sumus.* Hìc autem nõ loquimur de auxilio diuino in tanta latitudine accepto; sed de auxilio, quo indiget homo in motibus, seu operationibus, tàm internis, quàm externis conducentibus ad salutem, vt sunt v.g. obseruantia præceptorum, *sicut oportet*, obseruantia consiliorum; omniaque supererogationis opera, pietatis, Religionis, &c. De gratijs, seu auxilijs ad hæc opera requisitis hìc loquimur; ideò

Auxilij genus multiplex.

8. Dico 1. nomine *Gratiæ*, seu *Auxilij diuini*, actualis, intelliguntur omnes illæ cooperationes, & adiutoria, quibus Deus cooperatur cum hominibus, dum exercent, *sicut oportet*, opera præceptorum, vel consiliorum, vel supererogationis ad salutem pertinentia.

Quid intelligitur nomine gratiæ.

9. Prob. ex suppositione, quòd homo efficere

re

re non possit aliquod opus meritorium, siue de condigno, vt in homine iusto, siue de congruo, vt in homine disponente se ad iustitiam, (per baptismum, seu per pœnitentiam obtinendam,) vt de fide esse dicemus in suo loco, sine *gratia*, *seu auxilio* ad opera ista facienda à Deo obtinendis; ergo Gratia actualis, seu Auxilium diuinum hanc opem, hunc concursum, seu adiutorium significant, quod ad prefata opera facienda est necessarium, & sine quo non fierent, vel non fierent, *vt oportet*, idest à Deo exigita, eique placentia. Anteced. prob. ex S.Scripturæ locis: Hanc opem Sancti à Deo petebant. Tren. 5. 21. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*. Ierem. 31. 18. *Conuerte me, & conuertar, quia tu es Dominus Deus meus*. Psalm. 79. 8. *Deus virtutum conuerte nos; ostende faciem tuam, & salui erimus*. Et vt in notabili diximus sæpè sic Dauid Dei opem ad benè, & sanctè operandum implorabat, *Deus in adiutorium meum intende. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in Cælis. Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi, auxilium meum à Domino*, &c. *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti*, & cętera multa. *Quis cõsurget mihi aduersus malignãtes, aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem. Nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minus habitasset in inferno anima mea. Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me.* Psalmo 93.

Hanc à Deo homines petũt.

Ex Veter. Testam.

10. Hieremię 31. 19. *Postquam conuertisti me, egi pænitentiam; & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum*. Ezzechielis 36. & 37. Deus promittit

mittit hoc auxilium, hancque gratiam conuertendi, ac trahendi ad pęnitentiam, & ad sanctè operandum. *Dabo tibi cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri; & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Alia similia Veteris Testamenti loca, quæ Dei opem, seu adiutorium, & gratiam ad benè operandum in via salutis, indicant; in decursu huius Opusculi adducentur.

Ex Nouo Test. notitia gratię.

II. Ex Nouo Testamento plura pariter sumi possunt loca, quæ diuinam gratiam, seu auxilium indicant, quo Deus omnes infirmos homines adiuuat ad benè, sanctèque operandum: aliqua igitur ex his proferam. Apocal. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum eo, & ipse mecum.*

Ex 2. Timot. 1. 9. *Qui liberauit nos, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia.*

Ex Pauli Epistolis.

Ex Rom. 8. 26. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, nam quod oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Ex Philipp. 3. 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & proficere pro bona voluntate.*

Ex 1. Corinth. 4. 8. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et in cap. 12. 3. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.*

Ex 2. Corinth. 3. 5. *Non quod sufficientes simus*

mus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.

Ex Euangelio pariter, ipsiusque Saluatoris ore audiuimus gratias, seu auxilia, quæ nobis ad benè operandum necessaria sunt, quęque Deus ob eius merita nobis elargitur. Ioan. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum.* cap. 1. 6. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & de plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia:* & cap. 14. Christus ait, *sine me nihil potestis facere.* Matth. 23. 27. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti;* & Matth. 6. 9. docet, *Sic orabitis. Pater noster, &c. & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Ioann. 17. 11. ipsemet Saluator orat pro Apostolis, vt adiuuentur. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Et specialiter pro Petro Lucæ 22. 31. inquit. *Simon, ecce Sathanas expetiuit nos, vt cribraret, sicut triticum. Ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

Ex Euang.

12. Tota ergo Sacra Scriptura vtriusque Testamenti scatet eiusmodi locis, quæ indicant adiutoria diuina, ac supernaturalia, quæ confert Deus hominibus, vt possint opera salutis operari. Dicuntur autem adiutoria, seu auxilia, quæ dant virtutem, seu vires ad talia opera, sine quibus fieri non possunt: dicuntur, *gratiæ*, quia gratis, & sine meritis à Deo donantur: dicuntur *actualia* adiutoria, seu gratiæ ad differentiam habituum supernaturalium, vel etiam moralium, qui à Deo conceduntur, permanentque in homi-

Tota Scriptura plena est his dictis significantibus diuina adiutoria.

Cur dicātur gratię

ne, siue operetur, siue non, ante actum, & post actum; at gratiæ istæ actuales, siue actualia auxilia cum actibus incipiunt, & desinunt, durantque, durante actu. At quid sint, an aliqua qualitas animæ, vel eius potentijs inhęrens, vel ipsamet Dei cooperatio; & quotuplicis generis sint, an necessaria, &c. dicetur postea. Pro nunc sufficit scire, quòd dentur istæ gratiæ actuales, seu auxilia; & significent opem, quam Deus confert hominibus ad benè, sanctèque operandum.

Cur dicũtur actuales.

CAPVT II.

De varijs nominibus, ac speciebus gratiarum, seu auxiliorum.

13. ADu. 1. quòd antequam deueniamus ad discussionem necessitatis, naturæ, ac effectuum diuinarum gratiarum, seu auxiliorum, operæ prętium est diuersas eorum species, ac nomina explicare, vt tyrones faciliùs eorum naturam intelligant. Gratiarum autem, seu auxiliorum nomina, quæ in Sacra Scriptura, vel in Concilijs, vel in Sanctorum Patrum, & præsertim Augustini codicibus reperiuntur; ista sunt. *Præueniens, excitans, adiuuans, cooperans, subsequens, medicinalis, sanans, efficax, sufficiens, qua, & sine qua.* Omnium ethimologias, naturas, & effectus, crasso, (vt ita dicam) pro nunc modo per plures paragraphos, & capita prælibabimus, latiùs postea, ac distinctiùs de eisdem acturi.

Gratiarũ, seu auxiliorum nomina.

14. Adu. 2. quòd nedum hìc, sed in toto hoc Opusculo hęc duo *gratia actualis*, & *auxilium*, promiscuè sumuntur, & idem significant, nempe fauorem illum, seu opem, quam Deus elargitur homi-

hominibus ad operandum, *vt oportet*, opera salutis, quæ non posset homo cum solis naturalibus viribus facere: dicitur autem *auxilium*, quia per illud Deus auxiliatur, vt homo facere possit, & faciat opera, quę de se sine illo auxilio non posset: dicitur verò *gratia*, eo quòd à Deo, qui nulli debet, gratis, ideſt, sine meritis datur; vnde Apostolus Rom. 11. 6. *si autem gratia ex operibus*, (ideſt meritis) *iam gratia non est gratia*: quia tunc esset *merces*; seu pręmium.

Idem auxilium, ac gratia actualis.

§. I.

An detur; quæ, qualisue sit Gratia præueniens.

15. DIco. Gratia, seu auxilium *præueniens*, confitenda de fide est: & est illa, qua Deus præuenit intellectum, & voluntatem humanam in ordine ad actus bonos, & sanctos, *illuminando intellectum* ad cogitandum hic, & nunc de illis, *&* *inspirando* voluntati, vt consentiat, & exequatur.

Datur gratia pręueniens, & quæ est.

16. Declaratur Conclusio, & postea probabitur. Quilibet homo, vel scit legem Euangelicam, vel non. Si non, vt Pagani, Mahometani, Iudęi, & suo modo etiam Hęretici, dixi, *suo modo*, ideſt circa ea, quæ non credunt; si istis pędicatur veritas Euangelica, & à Deo illuminantur ad cognoscendam veritatem, & inspirantur ad consentiendum illi, quod fit per voluntatē imperantem intellectui, vt assentiatur; illuminatio illa respectu intellectus, & inspiratio respectu voluntatis sunt gratiæ *præuenientes*: quia reuera præueniunt actus talium potentiarum: & si sunt

Explicatio concluſ.

Quid sit gratia præueniens, & cur sic dicta.

efficaces sequitur consensus voluntatis, & assensus fidei in intellectu, neque enim aliter creditur, quia vt docet S. Augustinus; *cætera potest homo nolens; credere verò non nisi volens*. Si autem gratia ista præueniens non sit efficax, intellectus illuminatur quidem, & voluntas inspiratur; sed effectus credendi non sequitur; vt accidit Iudæis (Christo, & Apostolis prædicantibus) multi enim auditorum crediderunt; cæteri verò non. Vnde autem oriatur, quòd gratia efficax sit in illis, & non in istis; discutietur postea.

17. Quòd verò hoc modo fiat conuersio infidelium venientium ad fidem Deo præueniente eorum potentias, easque ad consensum, & assensum disponente, docere videtur Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. loquens de alicuius infidelis conuersione, sic. *Declarat* (S. Synodus) *iustificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum præueniente gratia, sumendum esse, hoc est; ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, liberè gratiæ assentiendo, & cooperando, disponuntur; ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens*; & in fine ait, *cum dicit Scriptura conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur*: Et in capite sequenti declarans, quomodo ex Dei gratia præparatur, ac disponitur homo ad primam iustificationem, idest, cùm quis primò conuertitur ad fidem, eamdem præuenientem gratiam confitetur, ac declarat sic. *Disponuntur autem ad ipsam iusti-*

Quomodo per præuenientem disponitur homo ad credendũ.

iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitùs reuelata, & promissa sunt; &c. Hoc ergo est exemplum de gratia preueniente, seu excitante infidelem ad conuersionem; quia sopitus in sua Religione, à Deo præuenitur, & excitatur ad cognoscendam veritatem, & volendum credere, & diligere Deum, ac in eo sperare: quod pluribus modis facere potest Deus; regulariter tamen id facit per prædicatores Euangelij: speciali modo facit per obseruationem vitæ, ac morum fidelium; specialiùs per lectionem librorum de fide, & lege Christianorum tractantium; specialissimè tandem, (sed raró) cùm quis nec prędicatorem audit, nec mores Christianorum videt, nec libros sacros legit; sed ex improuiso, Deus in mentem ipsius immittit dubium aliquod, ac diffidentiam de sua Religione; & inspirat, vt pergat ad locum aliquem, in quo audire possit, ac instrui de nostra lege. Hęc ergo est gratia *præueniens*, seu *excitans* pro casu conuersionis: Alia exempla pro alijs operibus bonis, ac sanctis, vt sunt obseruantia præceptorum, aut consiliorum, aut supererogationum opera, quæ post conuersionem ab omni fideli fieri possunt, pro quibus quoque pręueniens gratia necessaria est, mox adducam.

Conc. Trid explicatio huius gratiæ.

Quibus modis Deus præuenit per gratiā.

18. Si ergo homo sit fidelis; quia tenetur ad pręceptorum naturalium diuinorum, ac positiuorum, atque Ecclesiæ obseruantiam, & si vult potest etiam Euangelica consilia obseruare, & alia supererogatoria facere, vt eremiticam degere vitam, peregrinationes, ac ieiunia peragere; aliasque mortificationes suscipere, vt dormitionem in terra, vigilias, flagellationes, & alia eiusmodi subi-

Opera supererogatoria, quæ sunt.

ſubire; ad omnia hæc peragenda, prçuenit Deus, vt poſtea patebit, excitando, illuminando, & inſpirando talia opera ; quia, vt diximus ex Apoſtolo, *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Item, dum fidelis cadit in peccatum, vt pæniteat, gratia præueniente, ſeu excitante indiget; vt ſcilicet Deus eum illuminet, ac inſpiret ad id faciendum, vt Trid. docet in *ſeſſ.6.can.3*. Sed de neceſſitate prçueniẽtis; immò, & omnis alterius gratię loquemur poſtea. Nunc de nomine tãtùm, natura, & qualitate præuenientis gratiæ loquimur. Hac ergo explicatione præuenientis gratię ſuppoſita, quod debet admitti,

Quòd de fide confitenda ſit prçueniens gratia.

19. Prob. Concluſio, quòd confiteri debemus dari, hanc gratiam præuenientem: ex Pſal. 58 11. *& miſericordia eius præueniet me*. S. Auguſtin. concione 2. in Pſal. 58. vt oſtendat, quòd omne opus noſtrum bonum, ac meritorium, ſemper à Deo incipit, nunquam à nobis, inquit, *Cogitate, quod dictum eſt, præueniet me. Si aliquid tuum primùm attuliſti; & ex tuo aliquo bono primò Dei miſericordiam meruiſti, non te præuenit. Quando autem vel intelligis, quia præuentus es, niſi intelligas, quod ait Apoſtolus, quid habes, quod non accepiſti. Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Hoc eſt miſericordia eius præueniet me.*

Ex S. Scrip.

Idem Auguſtinus lib. 2. ad Bonif. cap. 9. ait: *Auertat Deus hanc amentiam, vt in donis ſuis nos priores faciamus, poſteriorem ipſum. Quoniam miſericordia eius præueniet me: & ipſe eſt, cui fideliter, veraciterque cantamus. Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: & quid hoc aptius intelligitur quam ipſa, de qua loquimur, cupiditas boni? Tunc enim bonum concupiſci incipit, quando dulceſcere*

cape-

cæperit. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, quę fit in nobis, & nos delectet, & cupiamus, hoc est amemus, quod præcipit nobis: in qua si nos non præuenit Deus, non solùm non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Si enim sine illo nihil possumus facere; profectò, nec incipere, nec proficere; quia, vt incipiamus dictum est, Misericordia eius subsequetur me. Et in Enchiridio cap. 3. dicit. *Nam vtrumque legitur in sanctis eloquijs: & misericordia eius præueniet me; & misericordia eius subsequetur me, nolentem præuenit, vt velit. Volentem subsequitur, ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, vtique nolentibus piè viuere, nisi vt Deus operetur in illis, vt velint: oramus ergo pro inimicis nostris, vt misericordia Dei præueniat eos, sicut præuenit nos.*

Ex August.

Iterum tertiò, & plùries Aug.

20. Idem S. Doctor conc. 1. in Psal. 58. Pelagium perstringens, qui docebat bonam hominis volitionem præcedere, eique gratiam postea conferre (quando confitebatur gratiæ necessitatem) sic ait ad Deum. *Quid in me inuenisti, nisi sola peccata? Tuum nihil aliud, nisi natura, quam creasti: cætera mala mea, quæ deleuisti. Non ergo prior ad te exurrexi; sed tu ad me excitandum venisti. Nam misericordia eius præueniet me. Antequam aliquid boni ego faciam, misericordia eius preueniet me. Quid hic respondebit infelix Pelagius?* Alia plura congeri possunt S. Augustini loca de Gratia hac præueniente; sed nunc necessarium non est. Adducentur autem, cùm discutiemus, an gratia, maximè prima, detur præcedente aliquo merito ex parte hominis. Pro his enim quęstionibus, an gratia sit necessaria ad bona opera, & an detur à Deo præcedente aliquo bonæ voluntatis motu, tot annis contra Pelagianos, magno

Pro hac gratia tuēda contra Pelagium laborauit August.

gno

gno cum Ecclesiæ fructu S. Doctor laborauit.

21. Probari potest secundò hæc conclusio de existentia præuenientis gratię ex Concil. Trid. supracitato, toties *præuenientem* gratiam commemorante: & in eadem sess. 6. can. 3. sic definitur. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei gratia iustificationis conferatur, anathema sit.*

Trident. definitio.

22. Confirmatur ex Concilio Arausicano *can.* 18. definiente, gratiam Dei præcedere omnia bona opera, vt fiant.

Concil. Arausi.

23. Confirmatur ex Cælestino Primo, *epist.* 1. *cap.* 12. idem cum S. Augustino docente: & tandem ex communi sensu Ecclesię, exceptis Semipelagianis, qui vt recedant à Pelagio, docent quidem Gratiam Dei esse necessariam ad omnia opera bona, excepto tamen initio fidei: hunc enim actum dicebant fieri ab homine viribus naturæ, cætera autem bona opera ex auxilijs gratiæ: sed de errore eorum, & de necessitate gratiæ pro quolibet actu bono, loquemur postea.

Cælest. 1.

24. Hinc est, quòd Ecclesia in suis collectis sæpè sic orat. *Tua nos Domine quæsumus gratia semper pręueniat, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos*: ita in Dom. 16. post Penthecostem.

In 2. Dom. Aduentus. *Excita Domine corda nostra ad præparandas vnigeniti tui vias*, &c. Item *Gratiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde*, &c.

Ex orationibus Ecclesię probatur gratia prȩueniens.

In Dom. 5. post Pascha. *Deus à quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, vt cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus.*

In

In Dom. 8. post Penthec. *Largire nobis quæsumus Domine semper spiritum cogitandi, quę recta sunt propitius, & agendi*, &c.

In Dom. 24. post Penthec. *Excita quæsumus Domine tuorum fidelium voluntates, vt diuini operis fructum propensius exequentes pietatis tuæ remedia maiora percipiant.*

In orationibus cõmunibus. In secunda ad petẽdã serenitatem, dicitur; *præueniat nos quęsumus Domine gratia tua semper, & subsequatur: & has oblationes, quas pro peccatis nostris nomini tuo consecrandas offerimus*, &c.

Ibidem in oratione pro remissione peccatorum, dicitur. *Deus qui*, &c. *illumina corda nostra, vt tua valeamus implere præcepta.* Pluries eodem modo orat Eccl.

Ibidem in oratione 3. ad repellendas malas cogitationes. *Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina quæsumus corda nostra gratiæ tuæ splendore, vt digna, ac placita maiestati tuæ cogitare semper, & te sincerè diligere valeamus.* Aliæ plures similes phrases orandi pro gratia præueniente sunt in Ecclesia: Ergo de fide est.

§. II.

An detur Gratia excitans, quæ, qualisue sit.

25. ADu. 1. quòd licet Gratia præueniens eadem sit, ac excitans; quia tamen hoc etiam nomine appellatur, & effectum quemdam notabilem in animæ potentijs efficit; sub hoc nomine de ea, eiusque effectu loquemur: quoniam animam quasi dormientem, & de nullo bono cogitantem, & fortè tunc de malo aliquo, Deus eã Cur de hac loquitur Author

 exci-

excitat, facitque euigilare, illuminando intelle-ctum ad cogitationem alicuius boni, & inspirando voluntatem ad eius amorem per primos motus à solo Deo excitatos, ex quibus homo priùs nihil cogitans, vel malum cogitans, aut appetens, experitur, se mutatum ad aliam cogitationem, & appetentiam: hæc autem gratia, & fauor diuinus præuenit actus intellectus, & voluntatis: ideòque est *præueniens, & excitans* eas potentias.

Notabilis cognitio pro toto hoc tract.

26. Adu. 2. pro clara notitia huius gratiæ immò & omnium dicendorum in hoc Opusculo, quòd cùm Deus excitat aliquem ad bonum opus cogitandum, appetendum, seu volendum, ac exequendum, quomodocumque faciat, siue immediatè per seipsum internè, siue per lectionem alicuius Libri spiritualis, vel alterius; siue per concionatorem, aut alium externè loquentem; dum isti externè loquuntur, Deus semper internè loquitur illuminando, & inspirando, ac inflammando ad volendum id, quod externè proponitur, nec sufficeret externa illa vocatio, seu propositio rei bonæ, ac hortatio ad eam (vt Pelagius aliquando docebat) nisi Deus ad intus in corde audientis loqueretur; quod egregiè de more docuit S. August. in epistol. 1. S. Ioann. *tract. 3* super illud *non habetis necessitatem, vt aliquis doceat vos; quia vnctio ipsius* (idest Spiritus Sancti) *docet vos de omnibus*: Multa dicit S. Doctor de internis Auxilijs, seu Gratijs diuinis; sed ad rem nostram hoc dicit peculiare. *Videte magnum Sacramentum fratres. Sonus verborum nostrorum aures percutit; Magister intus est. Si non sit intus, qui doceat; inanis fit strepitus noster. Magisteria forinsecus adiutoria quædam sunt, & admonitiones, Cathedram*

Externa locutio, vel alia notitia non sufficit, nisi Deus internè loquatur.

thedram in Cælo habet, qui corda docet: propterea dicit in Euangelio, Vnus est Magister vester Christus. Ipse ergo intus loquitur; quia nemo hominum illic est, Interiùs est Magister, qui docet; Christus docet; inspiratio ipsius docet. Vbi illius inspiratio non est, & vnctio, forinsecus inaniter perstrepunt verba. Postea adducit exemplum Agricolę fundentis aquam circa arborem; at dare ei non potest virtutem producendi poma. Sic se habet prędicator prædicans doctrinam, qui non potest dare virtutem faciendi opera bona: vnde Apostolus. *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*: hæc S. Augustinus.

26. Dico ergo: Admittenda est gratia dicta *excitans*, quæ animam quasi sopitam, & de bono non cogitantem, excitat ad cogitandum, & cupiendum tale bonum. Datur gratia excitãs.

27. Prob. & declaratur. Quamuis in Sacra Scriptura non habeamus hoc vocabulum, *Excitans* ad rem nostram faciens, nec verbum, *Excito*; habemus tamen æquipollentia, expergefactio, ac expergiscor, exurrectio, & exurgere; quæ idem significant. Ephes. 5. 14. habetur. *Propter quod dicit, surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Interl. *Propter quod dicit*, ait, *Spiritus Sanctus per me*. V. *qui dormis* ait, *oblitus Dei*. V. *exurge à mortuis*, ait, *à dormitione futura*. V. *illuminabit te Christus*, ait, *Hic per fidem, & in futuro per speciem; quia ipse est Sol iustitiæ*,

28. S. Augustinus in *psal.* 62. locum istum discutiens, ait. *Apostolus excitabat animam dormientem, quando ad hoc eam excitabat, vt illuminaretur à Christo: ergo secundùm ipsius vigilias dicit*

 iste,

iste, Deus Deus meus ad te luce vigilo. Non enim vigilares in te, nisi oriretur lux tua, quæ te de somno excitaret, illuminat enim animas Christus, & facit eas vigilare:& in psal. 87. de semetipso excitato à somno inconsiderantiæ veritatis fidei, inquit, *Quomodo crederem, nisi audirem, sed vt audita crederem, ipse me attraxit, quia in occulto à morte cordis, non quilibet medicus, sed ipse excitauit*: & infra; *At per hoc, nec credere potuissem, nisi me Dei misericordia præuenisset: & quia mortuos suscitat; & vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt, me in occultis vocando, & suscitando, & trahendo à tenebris reduxisset, & in lumen fidei perduxisset.* Idem S. Doctor in psal. 106. loquens de excitatione, & suscitatione alicuius infidelis, ait; *Nihil putantem aliud esse post hanc vitam, socordem, obrutum cor habentem illecebris mundi, & manifestis delectationibus consopitum, vt excitetur iustè ad quærendam gratiam Dei, & fiat sollicitus, & tamquam è somno euigilet, nonne manus Dei excitat eum?*

S. August. plura loca.

29. Theodoretus in hunc Pauli locum inquit. *Qui enim socordem, tamquam somnum deponit, Domini lucis radium suscipit.*

Theodoretus.

30. Aliud simile excitationis verbum habemus in Isaiæ 26. 19. *Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus*: & in Ioelis 1. 5. *expergiscimini ebrij, & flete; & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam perijt ab ore vestro.*

Isaias de expergefactione.

31. Quartum simile nomen, ac verbum habemus in S. Scriptura explicans actionem excitandi hominem ad benè, ac sanctè operandum, nempe *Illuminationem*. Cùm nempe homo mundi huius voluptatibus abstractus, manet quasi obtenebratus, nihil cogitans de spiritualibus re

bus

bus ad animæ ſalutem ſpectantibus ; & Deus ex ſua miſericordia illuminat illum ad cogitandum de illis, & ad ea concupiſcendum; quod pluribus modis contingere poteſt, nempe audiendo concionatorem aliquem, vel alium de diuinis diſſerentem; vel librum aliquem legendo; vel abſque vllo ex his extrinſecis medijs, Deus internè cogitationem aliquam in eum immittit ſpecies rerum ſpiritualium mouendo, & ad earum applicationem concurrendo, necnon ad eorum affectum, tunc homo ille à Deo *Illuminatur*, & tenebræ mundanarum rerum tunc ab eo repelluntur: de hac illuminatione ſæpè fit mentio in S. Scriptura, præſertim in pſalterio. Pſal. 26. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea*: crebrò autem hanc à Deo petebat: pſal. 12. *illumina oculos meos*. pſalm. 17. *Deus meus illumina tenebras meas*. pſal. 66. *Illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri, vt cognoſcamus in terra viam tuam*. pſal. 73. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*, & cætera plura. Eccleſiaſtici 2. 10. *Illuminabuntur corda veſtra*, cap. 24. 43. *Illuminabit omnes operantes in ſe*. In Nouo Teſtamento multa quoque de illuminatione hac diuina habemus teſtimonia. Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. 1. Corinth. 4. 5. *Illuminabit abſcondita tenebrarum*. Epheſ. 1. 18. *Illuminatos oculos cordis*, cap. 5. 14. *Illuminabit te Chriſtus*, &c.

Illuminationis exēpla in Scriptura.

32. Quintum ſimile nomen, & verbum reperitur in Sacra Scriptura explicans excitantem hanc gratiam, nempe inſpiratio, qua Deus homini nihil de ſpiritualibus rebus cogitanti, immittit, aliquo ex nuper dictis modis, cogitationē aliquam obiecti boni, & amorem eius. Iob. 32. 8. *Spiritus eſt in hominibus, & inſpiratio omnipotentis*

Aliud ſimile verbum explicans excitationem eſt inſpiratio.

Quid sit gratia prę- ueniens, & cur sic di- cta.

efficaces sequitur consensus voluntatis, & assensus fidei in intellectu, neque enim aliter creditur, quia vt docet S.Augustinus; *cętera potest homo nolens; credere verò non nisi volens*. Si autem gratia ista præueniens non sit efficax, intellectus illuminatur quidem, & voluntas inspiratur; sed effectus credendi non sequitur; vt accidit Iudęis (Christo, & Apostolis prædicantibus) multi enim auditorum crediderunt; cęteri verò non. Vnde autem oriatur, quòd gratia efficax sit in illis, & non in istis; discutietur postea.

17. Quòd verò hoc modo fiat conuersio infidelium venientium ad fidem Deo pręueniente eorum potentias, easque ad consensum, & assensum disponente, docere videtur Concilium Trident. sess. 6. cap.5. loquens de alicuius infidelis conuersione, sic. *Declarat* (S.Synodus) *iustificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum præueniente gratia, sumendum esse, hoc est; ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, liberè gratię assentiendo, & cooperando, disponuntur; itaut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens*; & in fine ait, *cum dicit Scriptura conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitęmur*: Et in capite sequenti declarans, quomodo ex Dei gratia præparatur, ac disponitur homo ad primam iustificationem, idest, cùm quis primò conuertitur ad fidem, eamdem pręuenientem gratiam confitetur, ac declarat sic. *Disponuntur autem ad ipsam iusti-*

Quomodo per præuenientem disponitur homo ad credendũ.

iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitùs reuelata, & promissa sunt; &c. Hoc ergo est exemplum de gratia præueniente, seu excitante infidelem ad conuersionem; quia sopitus in sua Religione, à Deo præuenitur, & excitatur ad cognoscendam veritatem, & volendum credere, & diligere Deum, ac in eo sperare: quod pluribus modis facere potest Deus; regulariter tamen id facit per prædicatores Euangelij: speciali modo facit per obseruationem vitæ, ac morum fidelium; specialiùs per lectionem librorum de fide, & lege Christianorum tractantium; specialissimè tandem, (sed rarò) cùm quis nec prędicatorem audit, nec mores Christianorum videt, nec libros sacros legit; sed ex improuiso, Deus in mentem ipsius immittit dubium aliquod, ac diffidentiam de sua Religione; & inspirat, vt pergat ad locum aliquem, in quo audire possit, ac instrui de nostra lege. Hęc ergo est gratia *præueniens*, seu *excitans* pro casu conuersionis: Alia exempla pro alijs operibus bonis, ac sanctis, vt sunt obseruantia præceptorum, aut consiliorum, aut supererogationum opera, quæ post conuersionem ab omni fideli fieri possunt, pro quibus quoque pręueniens gratia necessaria est, mox adducam.

Conc. Trid explicatio huius gratiæ.

Quibus modis Deus præuenit per gratiā.

18. Si ergo homo sit fidelis; quia tenetur ad prçceptorum naturalium diuinorum, ac positiuorum, atque Ecclesiæ obseruantiam, & si vult potest etiam Euangelica consilia obseruare, & alia supererogatoria facere, vt eremiticam degere vitam, peregrinationes, ac ieiunia peragere; aliasque mortificationes suscipere, vt dormitionem in terra, vigilias, flagellationes, & alia eiusmodi subi-

Opera supererogatoria, quæ sunt.

ſubire; ad omnia hæc peragenda, pręuenit Deus, vt poſtea patebit, excitando, illuminando, & inſpirando talia opera ; quia, vt diximus ex Apoſtolo, *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Item, dum fidelis cadit in peccatum; vt pæniteat, gratia præueniente, ſeu excitante indiget; vt ſcilicet Deus eum illuminet, ac inſpiret ad id faciendum, vt Trid. docet in *ſeſſ.6.can.3*. Sed de neceſſitate pręueniẽtis; immò, & omnis alterius gratię loquemur poſtea. Nunc de nomine tãtùm, natura, & qualitate præuenientis gratiæ loquimur. Hac ergo explicatione præuenientis gratię ſuppoſita, quod debet admitti,

Quòd de fide confitenda ſit pręueniens gratia.

19. Prob. Concluſio, quòd confiteri debemus dari, hanc gratiam præuenientem: ex Pſal.58 11. *& miſericordia eius præueniet me*. S. Auguſtin. concione 2. in Pſal.58. vt oſtendat, quòd omne opus noſtrum bonum, ac meritorium, ſemper à Deo incipit, nunquam à nobis, inquit, *Cogitate, quod dictum eſt, præueniet me. Si aliquid tuum primùm attuliſti; & ex tuo aliquo bono primò Dei miſericordiam meruiſti, non te præuenit. Quando autem vel intelligis, quia præuentus es, niſi intelligas, quod ait Apoſtolus, quid habes, quod non accepiſti. Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Hoc eſt miſericordia eius præueniet me.*

Ex S. Scrip.

Idem Auguſtinus lib.2. ad Bonif.cap.9. ait: *Auertat Deus hanc amentiam, vt in donis ſuis nos priores faciamus, poſteriorem ipſum. Quoniam miſericordia eius præueniet me: & ipſe eſt, cui fideliter, veraciterque cantamus. Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: & quid hoc aptius intelligitur quam ipſa, de qua loquimur, cupiditas boni? Tunc enim bonum concupiſci incipit, quando dulceſcere cape-*

cæperit. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, quę fit in nobis, & nos delectet, & cupiamus, hoc est amemus, quod præcipit nobis: in qua si nos non præuenit Deus, non solùm non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Si enim sine illo nihil possumus facere; profectò, nec incipere, nec proficere; quia, vt incipiamus dictum est, Misericordia eius subsequetur me. Et in Enchiridio cap. 3. dicit. *Nam vtrumque legitur in sanctis eloquijs: & misericordia eius præueniet me; & misericordia eius subsequetur me, nolentem præuenit, vt velit. Volentem subsequitur, ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, vtique nolentibus piè viuere, nisi vt Deus operetur in illis, vt velint: oramus ergo pro inimicis nostris, vt misericordia Dei præueniat eos, sicut præuenit nos.*

Ex August.

Iterum tertiò, & plùries Aug.

20. Idem S. Doctor conc. 1. in Psal. 58. Pelagium perstringens, qui docebat bonam hominis volitionem præcedere, eique gratiam postea conferre (quando confitebatur gratiæ necessitatem) sic ait ad Deum. *Quid in me inuenisti, nisi sola peccata? Tuum nihil aliud, nisi natura, quam creasti: cætera mala mea, quæ deleuisti. Non ergo prior ad te exurrexi; sed tu ad me excitandum venisti. Nam misericordia eius præueniet me. Antequam aliquid boni ego faciam, misericordia eius pręueniet me. Quid hic respondebit infelix Pelagius?* Alia plura congeri possunt S. Augustini loca de Gratia hac præueniente; sed nunc necessarium non est. Adducentur autem, cùm discutiemus, an gratia, maximè prima, detur præcedente aliquo merito ex parte hominis. Pro his enim quęstionibus, an gratia sit necessaria ad bona opera, & an detur à Deo præcedente aliquo bonæ voluntatis motu, tot annis contra Pelagianos, magno

Pro hac gratia tuenda contra Pelagium laborauit August.

gno

gno cum Ecclesiæ fructu S. Doctor laborauit.

21. Probari potest secundò hæc conclusio de existentia præuenientis gratię ex Concil. Trid. supracitato, toties *præuenientem* gratiam commemorante: & in eadem sess. 6. can. 3. sic definitur. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse, sicut oportet, vt ei gratia iustificationis conferatur, anathema sit.*

Trident. definitio.

22. Confirmatur ex Concilio Arausicano *can.* 18. definiente, gratiam Dei præcedere omnia bona opera, vt fiant.

Concil. Arausi.

23. Confirmatur ex Cælestino Primo, *epist.* 1. *cap.* 12. idem cum S. Augustino docente: & tandem ex communi sensu Ecclesię, exceptis Semipelagianis, qui vt recedant à Pelagio, docent quidem Gratiam Dei esse necessariam ad omnia opera bona, excepto tamen initio fidei: hunc enim actum dicebant fieri ab homine viribus naturæ, cætera autem bona opera ex auxilijs gratiæ: sed de errore eorum, & de necessitate gratiæ pro quolibet actu bono, loquemur postea.

Cælest. 1.

24. Hinc est, quòd Ecclesia in suis collectis sæpè sic orat. *Tua nos Domine quæsumus gratia semper pręueniat, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos*: ita in Dom. 16. post Penthecostem.

In 2. Dom. Aduentus. *Excita Domine corda nostra ad præparandas vnigeniti tui vias*, &c. Item *Gratiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde*, &c.

Ex orationibus Ecclesię probatur gratia pręueniens.

In Dom. 5. post Pascha. *Deus à quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, vt cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus.*

In

In Dom. 8. post Penthec. *Largire nobis quæsumus Domine semper spiritum cogitandi, quę recta sunt propitius, & agendi*, &c.

In Dom. 24. post Penthec. *Excita quæsumus Domine tuorum fidelium voluntates, vt diuini operis fructum propensius exequentes pietatis tuæ remedia maiora percipiant.*

In orationibus cõmunibus. In secunda ad petẽdã serenitatem, dicitur; *præueniat nos quęsumus Domine gratia tua semper, & subsequatur: & has oblationes, quas pro peccatis nostris nomini tuo consecrandas offerimus*, &c.

Ibidem in oratione pro remissione peccatorum, dicitur. *Deus qui*, &c. *illumina corda nostra, vt tua valeamus implere præcepta.* Plaries eodem modo orat Eccl.

Ibidem in oratione 3. ad repellendas malas cogitationes. *Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina quæsumus corda nostra gratiæ tuæ splendore, vt digna, ac placita maiestati tuæ cogitare semper, & te sincerè diligere valeamus.* Aliæ plures similes phrases orandi pro gratia præueniente sunt in Ecclesia: Ergo de fide est.

§. II.

An detur Gratia excitans, quæ, qualisue sit.

25. ADu. 1. quòd licet Gratia præueniens eadem sit, ac excitans; quia tamen hoc etiam nomine appellatur, & effectum quemdam notabilem in animæ potentijs efficit; sub hoc nomine de ea, eiusque effectu loquemur: quoniam animam quasi dormientem, & de nullo bono cogitantem, & fortè tunc de malo aliquo, Deus eã Cur de hac loquitur Author

 exci-

excitat, facitque euigilare, illuminando intellectum ad cogitationem alicuius boni, & inspirando voluntatem ad eius amorem per primos motus à solo Deo excitatos, ex quibus homo priùs nihil cogitans, vel malum cogitans, aut appetens, experitur, se mutatum ad aliam cogitationem, & appetentiam: hæc autem gratia, & fauor diuinus præuenit actus intellectus, & voluntatis: ideòque est *præueniens, & excitans* eas potentias.

Notabilis cognitio pro toto hoc tract.

26. Adu. 2. pro clara notitia huius gratiæ, immò & omnium dicendorum in hoc Opusculo, quòd cùm Deus excitat aliquem ad bonum opus cogitandum, appetendum, seu volendum, ac exequendum, quomodocumque faciat, siue immediatè per seipsum internè, siue per lectionem alicuius Libri spiritualis, vel alterius; siue per concionatorem, aut alium externè loquentem; dum isti externè loquuntur, Deus semper internè loquitur illuminando, & inspirando, ac inflammando ad volendum id, quod externè proponitur, nec sufficeret externa illa vocatio, seu propositio rei bonæ, ac hortatio ad eam (vt Pelagius aliquando docebat) nisi Deus ad intus in corde audientis loqueretur; quod egregiè de more docuit S. August. in epistol. 1. S. Ioann. *tract.* 3. super illud *non habetis necessitatem, vt aliquis doceat vos; quia vnctio ipsius* (idest Spiritus Sancti) *docet vos de omnibus*: Multa dicit S. Doctor de internis Auxilijs, seu Gratijs diuinis; sed ad rem nostram hoc dicit peculiare. *Videte magnum Sacramentum fratres. Sonus verborum nostrorum aures percutit; Magister intus est. Si non sit intus, qui doceat; inanis fit strepitus noster. Magisteria forinsecus adiutoria quædam sunt, & admonitiones, Cathedram*

Externa locutio, vel alia notitia non sufficit, nisi Deus internè loquatur.

thedram in Cælo habet, qui corda docet: propterea dicit in Euangelio, Vnus est Magister vester Christus. Ipse ergo intus loquitur; quia nemo hominum illic est, Interiùs est Magister, qui docet; Christus docet; inspiratio ipsius docet. Vbi illius inspiratio non est, & vnctio, forinsecus inaniter perstrepunt verba. Postea adducit exemplum Agricolę fundentis aquam circa arborem; at dare ei non potest virtutem producendi poma. Sic se habet prędicator prædicans doctrinam, qui non potest dare virtutem faciendi opera bona: vnde Apostolus. *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus:* hæc S. Augustinus.

26. Dico ergo: Admittenda est gratia dicta *excitans*, quæ animam quasi sopitam, & de bono non cogitantem, excitat ad cogitandum, & cupiendum tale bonum. Datur gratia excitãs.

27. Prob. & declaratur. Quamuis in Sacra Scriptura non habeamus hoc vocabulum, *Excitans* ad rem nostram faciens, nec verbum, *Excito*; habemus tamen æquipollentia, expergefactio, ac expergiscor, exurrectio, & exurgere; quæ idem significant. Ephes. 5. 14. habetur. *Propter quod dicit, surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Interl. *Propter quod dicit*, ait, *Spiritus Sanctus per me*. V. *qui dormis* ait, *oblitus Dei*: V. *exurge à mortuis*, ait, *à dormitione futura.* V. *illuminabit te Christus*, ait, *Hic per fidem, & in futuro per speciem; quia ipse est Sol iustitiæ*,

28. S. Augustinus in *psal.* 62. locum istum discutiens, ait. *Apostolus excitabat animam dormientem, quando ad hoc eam excitabat, vt illuminaretur à Christo: ergo secundùm ipsius vigilias dicit*

 iste,

iste, Deus Deus meus ad te luce vigilo. Non enim vigilares in te, nisi oriretur lux tua, quæ te de somno excitaret, illuminat enim animas Christus, & facit eas vigilare:& in psal. 87. de semetipso excitato à somno inconsiderantiæ veritatis fidei, inquit, *Quomodo crederem, nisi audirem, sed vt audita crederem, ipse me attraxit, quia in occulto à morte cordis, non quilibet medicus, sed ipse excitauit*: & infra; *At per hoc, nec credere potuissem, nisi me Dei misericordia præuenisset: & quia mortuos suscitat; & vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt, me in occultis vocando, & suscitando, & trahendo à tenebris reduxisset, & in lumen fidei perduxisset*. Idem S. Doctor in psal. 106. loquens de excitatione, & suscitatione alicuius infidelis, ait; *Nihil putantem aliud esse post hanc vitam, socordem, obrutum cor habentem illecebris mundi, & manifestis delectationibus consopitum, vt excitetur iustè ad quærendam gratiam Dei, & fiat sollicitus, & tamquam è somno euigilet, nonne manus Dei excitat eum?*

S. August. plura loca.

29. Theodoretus in hunc Pauli locum inquit. *Qui enim socordem, tamquam somnum deponit, Domini lucis radium suscipit.*

Theodoretus.

30. Aliud simile excitationis verbum habemus in Isaiæ 26. 19. *Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus*: & in Ioelis 1. 5. *expergiscimini ebrij, & flete; & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam perijt ab ore vestro.*

Isaias de expergefactione.

31. Quartum simile nomen, ac verbum habemus in S. Scriptura explicans actionem excitandi hominem ad benè, ac sanctè operandum, nempe *Illuminationem*. Cùm nempe homo mundi huius voluptatibus abstractus, manet quasi obtenebratus, nihil cogitans de spiritualibus rebus

us ad animæ salutem spectantibus; & Deus ex
a misericordia illuminat illum ad cogitandum
e istis, & ad ea concupiscendum; quod pluribus
modis contingere potest, nempe audiendo con-
onatorem aliquem, vel alium de diuinis disse-
entem; vel librum aliquem legendo; vel absque
llo ex his extrinsecis medijs, Deus internè cogi-
ationem aliquam in eum immittit species rerum
piritualium mouendo, & ad earum applicatio-
em concurrendo, necnon ad eorum affectum,
unc homo ille à Deo *Illuminatur*, & tenebræ
nundanarum rerum tunc ab eo repelluntur: de
ac illuminatione sæpè fit mentio in S. Scriptura,
præsertim in psalterio. Psal. 26. *Dominus illumi-
atio mea, & salus mea*: crebrò autem hanc à Deo
etebat: psal. 12. *illumina oculos meos*. psalm. 17.
Deus meus illumina tenebras meas. psal. 66. *Illumi-
et vultum suum super nos, & misereatur nostri, vt
ognoscamus in terra viam tuam*. psal. 73. *Illuminans
u mirabiliter à montibus æternis*, & cætera plura.
Ecclesiastici 2. 10. *Illuminabuntur corda vestra*, cap.
24. 43. *Illuminabit omnes operantes in se*. In No-
uo Testamento multa quoque de illuminatione
hac diuina habemus testimonia. Ioan. 1. *Illumi-
nat omnem hominem venientem in hunc mundum*. 1.
Corinth. 4. 5. *Illuminabit abscondita tenebrarum*.
Ephes. 1. 18. *Illuminatos oculos cordis*, cap. 5. 14.
Illuminabit te Christus, &c.

Illuminationis excpla in Scriptura.

32. Quintum simile nomen, & verbum repe-
ritur in Sacra Scriptura explicans excitantem
hanc gratiam, nempe inspiratio, qua Deus
homini nihil de spiritualibus rebus cogitanti im-
mittit, aliquo ex nuper dictis modis, cogitationē
aliquam obiecti boni, & amorem eius. Iob. 32.
8. *Spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipoten-*
tis

Aliud simile verbum explicans excitationem est inspiratio.

tis dat intelligentiam. Act. 17. 23. *Deus dat omnibus vitam, inspirationem, & omnia*, 2. Petri 1. 11. *Sancto Spiritu inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*. Timot. 3. 18. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est*, &c. & Saluator Ioann. 3. 8. inquit, *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vndè veniat, aut quo vadat*.

33. Omnia ergo nomina, & verba hæc supradicta significant ex parte Dei actum illum, quo hominem, quasi sopitum, ac dormientem, obtenebratum à curis sęculi, & incogitantem de diuinis, ac medijs ad salutem conducentibus, Deus vel per extrinseca media, vel intrinsecus etiã eum excitat, illuminat, inspirat, facit expergisci, vt de his cogitet, eaque cupiat: ex parte verò hominis recipientis significat effectum illum excitationis, expergefactionis, inspirationis, ac illuminationis circa diuina, ac supernaturalia.

Significata excitationis quę.

Quæ quidem excitatio non datur solùm, cùm primò venit homo ad fidem; sed quotiescumque post acceptum baptismum, vel in peccatum labitur, & pænitet, vel cùm in rebus ad animam spectantibus socors, & negligens est, vt in suo loco dicetur.

§. III.

An detur Gratia adiuuans, & quæ, qualisue sit.

34. ADu. quòd quamuis omnis diuina gratia dici possit adiuuans; quia omnis, quæcumque sit, adiuuat vires naturę, complens eius potentiam, vt possit operari opera supernaturalia, & meritoria, siue de condigno, vt in iusto existente in gratia habituali, siue de congruo, vt de

Aliquo modo omnis gratia dici potest adiuuans.

de peccatore diſponente ſe ad iuſtificationem, tàm ad Baptiſmum, quàm ad Sacramentum Pœnitentiæ per actus fidei, ſpei, dilectionis Dei, & pœnitentię; qui quidem actus ex Spiritus Sancti inſpiratione, atque adiutorio fiunt, vt docet Tridentinum *ſeſſ.6.can.3.* tamen de gratia adiuuante in tanta latitudine, non loquimur; ſed de alio genere gratię adiuuantis; nempe de illa, quam largitur Deus homini iam excitato, illuminato, pręuento, expergefacto, & cupienti bonum cognitum exequi. De hac ergo adiuuante, vt bonum illud cognitum, ac volitum exequatur, & petat à Deo adiutorium, vt exequi poſſit, hoc poſito,

35. Dico admittenda, & confitenda eſt gratia *Adiuuans* ſpecialiter dicta, qua Deus hominem illuminatum, pręuentum, excitatum, ac expergefactum, adiuuat, vt exequi poſſit bonum illud iam cognitum, ac inſpiratum, & exequatur. Eſt de fide. Admittenda eſt gratia adiuuans.

36. Prob. Multa ſunt Sacræ Scripturę loca, quæ adiuuantem Dei gratiam, modò generalem, modò peculiarem indicant. 1. Paralip. 12.18. *Te enim adiuuat Deus tuus*; & in cap.18. 8. *adiuuitque eum Dominus*; & vtrobique de Salomone eſt ſermo. 2. Paralip. 25. 8. *Dei quippè eſt adiuuare*: in pſalterio ſæpiſſimè de hac adiuuante gratia fit ſermo, eamque implorabat Dauid ad benè operandum. Ipſe enim fidem firmam habens, ferè continuò à Deo illuminatus ad bona opera facienda, Dei opem pro exequendo precabatur. pſal. 39. *Domine ad adiuuandum me reſpice*. Idem replicat in pſal.69. pſal.78. pſal.108. & pſal.118. Iſaiæ 41. 13. Deus inquit, *Ne timeas, ego adiuui te.* Ex Nouo Teſtam. Rom.8.26. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram*. Ex S. Scriptura loca multa.

Prob.

Deus adiutor noster dicitur.

37. Prob. 2. ex eadem S. Scriptura; in qua Deus anthonomasticè appellatur *adiutor noster*. Exodi 2. 22. *Deus Patris mei adiutor meus*. Psal. 9. *Adiutor in opportunitatibus*. ps. 17. *Deus meus adiutor meus*. Idem replicat in psalmis 18. 26. 32. &c. & Paulus Hebr. 13. 9. *Dominus mihi adiutor*.

Petitur à Deo adiutorium.

38. Confirmatur ex eisdem S. Scripturę locis, in quibus exprimitur hoc adiutorium Dei pro exequendis eius mandatis. Psal. 9. *Iustum adiutorium meum à Domino*: psal. 34. *Exurge in adiutorium mihi*: psal. 73. *Intende in adiutorium meum*. Idem replicat in psalm. 89. & in psalm. 123., & alibi sæpè.

Ex S. Aug.

39. Prob. 3. ex S. Augustino de Gratia *Adiuuante* post excitationem pluries loquente. Nam in lib. 2. ad Bonif. cap. 10. ait. *Hominis autem propositum bonum adiuuat quidem subsequens gratia; sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia*, & postea inquit, *Studium quoque hominis, quod dicitur bonum, quamuis cum esse cæperit adiuuetur; non tamen incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur.* In lib. de Grat. & lib. arb. cap. 10. ait. *Qua gratia voluntas humana non tollitur; sed de mala mutatur in bonam; & cum bona fuerit adiuuatur*: in lib. de Grat. Christi cap. 18. dicit, *facit homo arborem bonam, cum Dei accipit gratiam: sed etiam, vt faciat fructum bonum, eadem gratia necesse est adiuuetur; ipse quippè* (Deus) *in bonis arboribus cooperatur fructum, qui per se dat intrinsecus incrementum*.

Plura S. August. loca.

40. Idem Sanctus in Epistola ad Hilarium clariùs id confirmat. *Iubet igitur, vt facere iussa conati, & nostra infirmitate sub lege fatigati adiutorium gratiæ poscere nouerimus, & si quid facere potuerimus operis boni, ei, qui adiuuat, non simus ingrati. Neque enim volutatis arbitrium ideò tollitur,*

quia iuuatur, sed ideò iuuatur, quia non tollitur. Deinde exemplificat de Dauid poſcente à Deo adiuuari. *Qui enim dicit adiutor meus eſto, confitetur, ſe velle implere, quod iuſſit, ſed ab eo qui iuſſit, adiutorium poſcere, vt poſſit. Sic, & iſte cum ſciret, neminem eſſe poſſe continentem, niſi Deus det, adijt Dominum, & deprecatus eſt, vt quæ volens adijt, volens deprecatus eſt, nec petijſſet, niſi eſſet voluntas; ſed niſi petijſſet quantum poſſet voluntas?* Et de hac materia continentiæ iterum loquitur in fragmento ſermonum de præcepto continentiæ, inquiens, *Contine teipſum, iuſſio eſt, præceptio eſt, audiendum eſt, faciendum eſt, ſed niſi Deus adiuuet, remanemus. Conamur quidem facere voluntate, & nititur quidem voluntas; non præſumat poteſtas, niſi adiuuetur infirmitas.*

41. Tandem, quia Iulianus Pelagianus, & poſtea Semipelagiani aſſerebant initium boni operis eſſe à voluntate humana, ideſt propoſitum benè operandi à nobis eſſe ſine gratia, & eo poſito, Deum per gratiam adiuuare, vt propoſitum illud bonum in executione ponatur, S. Doctor acriter in eos inuehitur, docens, etiam initium bonæ voluntatis, ſeu propoſitum benè operandi eſſe à Deo per gratiam excitantem; executionem autem illius propoſiti à voluntate quidem eſſe, Deo cooperante per gratiam adiuuantem; & quoties quis excitatur ad bonum, & proponit exequi, debet orare Deum, vt ſe adiuuet. Impugnatio autem præfatorum, legi poteſt in *lib.1. ad Bonif. cap.19. in lib.2. ad eundem cap.5. & 10. in lib.4. cap.11. in lib.4. cont. Iul. cap.5.* & alibi ſæpè, vt patebit, cùm de neceſſitate gratię loquemur. Ex argum. cont. Iul.

42. Prob. tandem, quòd gratia adiuuans prętet excitantem pro operis executione, ſit ad-

Adiuuans gratia pręter excitãtem admittenda est.

Ex Trid.

mittenda ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. vbi de dispositione ad iustificationem sic loquitur. *Iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua, nullis existentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem liberè assentiendo, & cooperando disponantur*, &c. vbi gratiam *Adiuuantem*, vltra excitantem fatetur; & in cap. 6. inquit, *Dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum*, &c.

Gratia adiuuans distincta est ab excitante.

43. Dico 2. Gratia adiuuans ad opus bonum exequendum distincta est à gratia excitante, seu pręueniente; & quandoque sequitur ad eam (Deo dante) quandoque non.

44. Prob. & declaratur. Multi à Deo diuersimodè vocantur, & excitantur, siue ad fidem suscipiendam, si infideles sunt, siue ad legem obseruandam, vel aliud opus bonum consilij, aut supererogationis faciendum, si fideles sunt; & tamen aliqui consentiunt, & opus illud exequuntur; alij non (vndecumque hoc proueniat, non curo pro nunc.) Certè priores per adiuuantem gratiam id faciunt: posteriores verò, cum sola excitante remanserunt; ergo sunt distinctæ: Anteced. facilè prob. ex facto Christi Domini: eo enim prædicante, & illuminante, ac excitante auditores ad suscipiendas à se prædicatas veritates; aliqui credebant, alij, & multò plures, non obstantibus etiam claris miraculis, non credebant. Prædicante Paulo, Petro, cæterisque Apostolis; aliqui crediderunt, alij in obstinatione perstiterunt, & sic de cæteris missionibus discurren-

Clarum, & facile argum. de infidelibus nolentibus credere.

rendum. Eodem modo prob. anteced. de fidelibus circa alia bona opera, vt quisque in seipso, & in alijs Socijs potest experiri, vel in priuatis, vel in publicis vocationibus ad opus bonum peragendum. Loquendo enim de publicis; plures, siue viri, siue fęminæ audiunt concionatorem hortantem ad vitam cælibem, ad ieiunium, ad alias sensuum mortificationes; omnes excitantur; omnes illuminantur: & fortè nullus exequitur, vel aliqui, & non alij. Ecce, quòd datur excitans sine adiuuante; licet numquam detur ista, sine illa. De priuata, seu occulta vocatione, quilibet, si velit veritatem fateri, dicet, quòd interdum, & sæpè cognoscit, se internè à Deo excitari, ac illuminari ad aliquod bonum opus, siue præcepti, siue consilij, siue supererogationis faciendum; & tamen non consentit, nec exequitur. Tunc certè remanet excitatus, ac illuminatus tantùm, sed non adiutus. His autem vocatis, & excitatis non consentientibus comminatur Deus, se in iudicio dicturum Prou. 1.24. *Quia vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, ego quoque in interitu vestro ridebo*. De his quoque sæpè locutus est Christus, præsertim Lucæ 22.47. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit se, & non fecit secundùm voluntatem eius vapulabit multis*. Cùm enim tanto tempore Saluator prædicasset Iudæis, & operibus prædicationem comprobasset, inquit, *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. Ioann. 5.40. cum Scripturis eos conuincere dignabatur, dicens; *scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis*. Certum est autem ex Capite præceden-

Argum. de fidelibus.

Ex diuina sententia concluditur distinctio harum gratiarũ.

ti. & Notabili secundo, quòd Christus excitabat, & illuminabat auditores suos, non verbis extrinsecis tantùm, sed vnctione intrinseca, gratia nempe excitante, illuminante, ac inspirante: & tamen conuersio multorum non sequebatur; ideò adiuuans in eis non fuit; quia hæc est cum suo effectu, ad quem ponendum iuuat: vnde autem oriatur defectus, seu carentia istius in excitato externè, & internè, vt non sequatur excitationem, in suo loco dicetur.

Ex facto, & doctrina Christi.

45. Confirmatur ex ijs, quæ Iudæis exprobabat S. Stephanus Act. 8. *Dura ceruice, & incircumcisis auribus, & cordibus, vos semper Spiritui Sancto resistitis. Sicut Patres vestri, ita & vos*: Igitur Spiritus Sanctus excitabat, illuminabat, & inspirabat corda eorum, vt veritatem reciperent; at non omnes recipiebant: Igitur sola in eis mansit excitans.

Ex facto S. Stephani.

46. Prob. tandem ex diuersitate effectuum istarum gratiarum. Gratia excitans ad aliquod opus bonum, etiamsi hoc non sequatur, habet semper effectum suum in anima excitati, quia intellectus supernaturaliter remanet illuminatus de bonitate obiecti, seu operis faciendi, & voluntas inspirata, seu accensa ad illud volendum: & hìc sistit in rigore excitatio. At effectus adiuuantis supponit prædictam excitationem, & est executio boni operis, ad quod facta est excitatio. V. G. Deus excitat hominem ad actum fidei, vel spei, vel Charitatis, vel ieiunij, contritionis, vel alicuius actus pietatis: si excitatus non exequitur, excitationem passiuam iam habuit, sed non effectum principalem, ad quem ordinabatur: si verò exequitur, habet effectum principalem, qui demonstratiuè tantùm excitanti tribuitur; effectiuè verò

Ex effectibus harum gratiarum probatur distinctio earum.

verò, & immediatè, adiuuanti, ad quam immediatè sequitur: ergo hęc distincta est ab illa, eamque interdum sequitur, interdum non. Ideò S. Augustinus de peccat. mer. & remiss. lib. 2. cap. 18. ait: *Quod verò ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante, & adiuuante non possumus*: vtraque ergo ad effectum in actu ponendum est necessaria. An autem in adiuto, & exequente, eadem, sed cum duplici effectu, sit gratia excitans, & adiuuans, non contendo, nec de hac re disputo, quia nec reuelatum video, neque ab Ecclesia declaratum, nec à Sancto Augustino, alioue Sancto Ecclesiæ Doctore traditum; sed dico solùm, quòd non semper cum excitante coniuncta est adiuuans.

47. Quòd si quis contendat esse eamdem cum excitante, fateri deberet, quòd omnis excitatus ad aliquod opus bonum, exequatur; quod falsum esse, docet experientia. Si tandem quis teneat esse eamdem, sed cum duplici effectu excitandi, & adiuuandi, & interdum, vel vt plurimum, separari, non contradicerem: At puto esse distinctas, ac separabiles, ex nuper dictis. Authoris ingenuitas

§. IV.

An detur, & quæ qualisue sit gratia cooperans, *& an distincta ab adiuuante.*

48. ADu. 1. quòd tàm in Sacra Scriptura, quàm in Concilijs, & in Sanctis Patribus reperimus gratiam Dei appellari *Operantem*; & aliquando *Cooperantem*, quia cum voluntate cooperatur ad faciendum actum bonum; eo quia per gratiam Deus, vel operatur in nobis sine nobis, Cooperans quare sic dicta.

bis, vel cooperatur nobiscum: nonnulla enim habemus Sacri eloquij exempla: de *operante* sic dicitur, Ephes. 1. 19. *Qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis eius*: in cap. 3. 7. *Euangelij factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis eius*. Coloss. 1. 29. vbi Paulus de prædicatione Euangelij ait. *In quo laboro certando secundum operationem eius, quam operatur in me in virtute*: & 1.Corint.12.11. de nouem gratijs gratis datis, inquit, *Diuisiones operationum sunt; alij datur operatio virtutum*. De cooperante pariter multa habemus exempla. Marci 16.20. de Apostolis post Ascensionem Domini dicitur. *At illi perfectè prædicauerunt vbique, Domino cooperante*, &c. Rom. 8.28. *omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundum propositum vocati sunt Sancti*: & Iacobus in sua Canonica Epistola cap.2.22. loquens de Abraham immolaturo filium Isaac, ait, *fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consumata est*.

Exempla S Script. de operante Gratia.

Exempla de cooperante.

49. Adu. 2. quòd ex hac nominum diuersitate, quibus Dei gratia nominatur, oriri potest controuersia, an sint species diuersæ gratiarum; an verò sint nomina tantùm diuersa ob effectuum diuersitatem, vel ob modos aliquos in effectibus existentes; vel ob aliquam aliam qualitatem, quam eadem gratia *Adiuuans* adducit in voluntate exequente actum, ad quem per præuenientem, ac excitantem gratiam erat iam excitata, seu inspirata: ideò



Gratia operans non est species diuersa ab excitante, vel adiuuante.

50. Dico. Gratia dicta *operans* non est species aliqua distincta ab excitante, vel adiuuante; sed est eadem cum aliqua earum, solo nomine differens.

51. Prob. nulla est necessitas ponendi hanc spe-

ſpeciem diſtinctam à prædictis; neque aſſignari poteſt effectus proprius ab illis diuerſus, iſtique correſpondens, vt proprius: ergo. Conſequentia eſt euidens: Omnis enim res, præſertim ſupernaturalis ob aliquam neceſſitatem, aut finem ponitur; non enim Deus operatur fruſtra. Anteced. in quo tota vis eſt, probatur. Gratia actualis, vt poſtea dicemus, eſt homini neceſſaria ad aliquem actum bonum faciendum, ſiue ordinatum ad iuſtificationem, ſiue ad augumentum gratię habitualis, ac meritorum, vt accidit in homine iuſto, ſeu exiſtente in gratia. Sed ad hæc peragenda ſufficiunt gratia excitans ad cognoſcendum, ſeu illuminandum, ac inſpirans ad volendum, quod fit per præuenientem, dictam excitantem; & gratia adiuuans, vt ponatur in opere illud bonum, de quo facta eſt illuminatio, ac inſpiratio: nec aliquid aliud eſt neceſſarium, vt opus bonum in executione ponatur; vel aſſignetur neceſſitas: ergo diuerſum nomen tantùm eſt, non res diuerſa.

Argum. à ſufficienti

52. Confirmatur ex Apoſtolo ad Philipp. 3. vbi de Gratia operante loquitur, *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*. Gratia autem *operans* in hoc loco ſignificat, tàm præuenientem, ac excitantem, quàm adiuuantem; quia habet *connexum velle, & perficere*: & ipſemet S. Auguſtinus *in lib. de Gratia Chriſti cap.* 25. eodem modo loquitur de gratia operante, dicens, *Vitium ſuperbiæ niſi operante gratia ſanetur, iuſtitiæ pace nemo perfruitur*. Operans ergo gratia per Auguſtinum, eſt illa, quæ habet ſecum coniunctum effectum ſanandi vitia: Hæc autem eſt eadem, quæ præuenit, excitat, ac inſpirat ad actus virtutum vitijs oppoſitos, & adiu-

Ex Sacra Scriptura.

Ex S Aug. eſt eadem, ac adiuuãs.

adiuuat ad eos exercendos, donec vitia superentur, & extinguantur.

Gratia cooperans eadem est cū adiuuante.

53. Dico 2. Gratia dicta *Cooperans*, non est aliqua species distincta ab adiuuante; sed eadem prorsus, sic dicta, quia voluntati iam prçuentæ, excitatæ, ac inspiratæ cooperatur; & nomine tantùm ab ea differt.

54. Prob. & declaratur. Non enim multiplicanda sunt entia præsertim supernaturalia creata, sine necessitate. Nulla autem adest necessitas asserendi hanc speciem gratiæ distinctam ab excitante, & adiuuante; nec assignari potest effectus, aut finis ei competens, distinctus ab excitatione, ac adiuuatione passiuis. Ergo. Min. prob. Cùm homo à Deo excitatur per illuminationem ad cognoscendum actum bonum, & inspiratur ad eum volendum; & adiuuatur, vt velit, & in executione ponat; nil aliud est necessarium in homine, vt benè operetur: vel assignetur, quid sit amplius necessarium, & ad quid. Hinc est, quòd, vt vidimus in præcedentibus Capitibus, Dauid olim, & Ecclesia nunc, has tantùm petit à Deo gratias, prçuenientem scilicet, atque adiuuantem: & Concilium Trid. *in sess.6.cap.*5. agens de homine ad iustificationē se disponente, inquit, excitari, & adiuuari; & in can. 3. de his tantùm mentionem facit. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anath. sit.* Si ergo in negotio disponendi se ad iustificationem, quod est omnium maximum, alia gratia non requiritur, in nullo alio opere bono videtur alia necessaria.

Concil. Trid. decretum id ostendit.

55. Confirmatur. S. Augustinus eximius Gra-

tiæ

ciæ Doctor, non videtur aliam gratiarum speciem adstruere, præter istas, nam vt ex eo docet *Trid. sess. 6. cap.* 11. inquit, *Deus non præcipit impossibilia, sed præcipiendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adiuuat, vt possis*: & cum idem Sanctus de gratia homini ad benè, *vt opportet*, operandum, necessaria loquitur, ferè semper appellat adiuuantem. En aliqua exempla, in lib. 2. de peccat. mer. & remiss. cap. 5. ait: *etiam, vt conuertamur Deus adiuuat*: & in cap. 18. *Quod verò ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante, & adiuuante non possumus; & hæc est voluntas bona*: in epist. 105. quæ est ad Sixtum ait; *Spiritus aliter adiuuat nondum inhabitans; aliter inhabitans: nondum inhabitans, adiuuat, vt sint fideles: inhabitans adiuuat iam fideles*: in epist. 106. quæ est ad Paulinum, *in his qui salui fiunt, adiutor Deus operatur, & velle, & operari*: in epist. 143. quæ est ad Iulianum dicit. *Liberum arbitrium nisi Dei gratia iuuetur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest.* S. August. de adiuuā. te sæpè loquitur.

56. Confirmatur ex formulis orandi Ecclesiæ, quibus orat Deum, vt nos adiuuet, quod idem est, ac petere, vt per suam gratiam cooperetur cum nostra voluntate, quæ infirma, & imbecilla est, egetque adiutorio diuino, sine quo nec potest operari actum bonum, sicut oportet, nec operabitur: ergo. Anteced. prob. In recitandis horis canonicis semper præmittitur, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*: sæpè dicitur, *adiutorium nostrum in nomine Domini*, In Quadragesima, in omnibus ferijs, 2. 4. & 6. cuiuslibet hebdomadæ, cum omni humilitate, ac genuflexione Ecclesia canit; *Adiuua nos Deus salutaris noster*, qui modus orandi ex Ex formulis orandi Ecclesiæ probatur.

Psalm.78.sumptus est:et si ad vetus Testamentum respiciamus, vt aliàs diximus, plurima huius formulæ inueniemus exempla. 2. Paralip.14. 11. *Adiuua nos Deus*: ibidem in cap. 25. 8. *Dei est adiuuare*. Psal.27. *Sperauit cor meum in Domino,& adiutus sum*. Psal.41. *Exurge Domine,adiuua nos.* Psal. 91. *Misericordia tua Domine adiuuabat me*. Psal.118. *Adiuua me, & saluus ero.* Et infra, *iudicia tua adiuuabunt me*; & alia plurima suppetunt eiusmodi loca: petere autem à Deo, vt nos adiuuet, idem est, ac petere, vt Deus nobiscum ad benè operandum cooperetur; ergo adiuuans gratia eadem est, ac cooperans.

§. V.

An detur;quæ,qualisue sit gratia Subsequens, *& an distincta ab adiuuante*.

Sensus quę siti.

57. ADu. quòd in Psal.22. 6. legitur: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*. Hinc Theologi ansam arripuerunt admittendi quamdam gratię speciem ab alijs distinctam, quam appellarunt subsequentem, seu consequentem; sed non video qualem effectum ei tribuant ab effectu adiuuantis distinctum. Hoc ergo in loco breuiter videndum est; an detur hęc consequens, seu subsequens gratia, an distincta ab adiuuante: & quis sit effectus illius: at non damno admittentes.

Admittenda gratia subsequēs, sed non distincta ab adiuuante.

58. Dico ergo Admittenda est gratia dicta *subsequens*, seu *consequens*; non tamen distincta ab adiuuante, nisi in modo, & duratione, vsque ad finem vitæ ad operis.

59. Prob. prima pars, ex præfato Psalmo. Hanc

Hanc gratiam agnouit Augustinus, & de ea sępè locutus est: in Enchir. ad Lauren. cap. 32. *Oramus pro inimicis nostris, vt misericordia Dei praeueniat eos, sicut praeuenit nos. Oramus autem pro nobis, vt misericordia eius subsequatur nos.* Ibidem idem, ait. *Nolentem praeuenit, vt velit. Volentem subsequitur, ne frustra velit*: & ad Bonif. lib. 4. cap. 6. inquit, *vt incipiamus dictum est, misericordia eius praeueniet me; vt perficiamus, dictum est, misericordia eius subsequetur me. Hoc bonum propositum adiuuat quidem subsequens gratia; sed nec ipsum esset, nisi praecederet gratia.* Ex S.Scriptura. Ex August.

60. S.Fulgentius eodem prorsus modo loquitur, sicut S.Augustinus: at quia eius doctrina probat etiam secundam partem, pro hac eum adducam. Ideò

61. Prob. Secunda pars, quòd quoad me non sit distincta ab adiuuāte nisi in modo, & duratione, realiter autem, & essentialiter sit gratia adiuuans ad exequendum bonum opus, de quo facta est excitatio, ac illuminatio, & inspiratio. Nam Interl. Cassiodori in cit. Psal. locum; *& misericordia eius subsequetur me omnibus diebus vitae meę, & vt inhabitem in domo Domini in longitudine dierum*, inquit, *subsequetur me quandiù sic viuo. Non autem hoc tantùm, sed etiam, vt inhabitem*, &c. Lyran. Glosa ait, *misericordia eius subsequetur me per augumentum gratiae*: eadem ergo gratia semper adiuuans vsque ad finem perseuerans, vel etiam aucta est. Non distincta ab adiuuante.

62. Theodoretus in hunc Psal. inquit. *Misericordia tua subsequetur me, &c. Horum autem bonorum tua inexplicabilis benignitas est cōciliatrix, nostras pręces minimè expectans; sed nos veluti fugientes persequens, & praeueniens, & salutem im-* Theodore.

pertiens, & consuetudinem diuinis sedibus præbens, tùm in præsenti vita, tùm etiam in futura: eadem ergo gratia adiuuans semper est.

63. Prob. ex S. Fulgentio Augustini doctrinam optimè callente. Is ergo in lib. 1. ad Monimum sic habet. *Ipse Deus donat gratis in digno gratiam, qua iustificatur impius, illuminatur munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis, vt praueniente misericordia bonum velle incipiat, & subsequente misericordia, bonum, quod vult facere valeat*: & infra. *Ipsa præueniendo gratia misericorditer incipit, ipsa subsequendo custodit. Ipsa gratia in Scripturis misericordia nominatur, de qua dicit Dauid, Deus meus misericordia eius præueniet me*; & in alio loco, *misericordia eius subsequetur me per omnes dies vitæ meæ. Præuenit igitur impium, vt fiat iustus; subsequitur iustum, ne fiat impius. Præuenit cæcum, vt lumen, quod non inuenit, donet; subsequitur videntem, vt lumen, quod contulit, seruet. Præuenit elisum, vt surgat, subsequitur eleuatum, ne cadat. Præuenit donans homini bonam voluntatem; subsequitur beneuolentem operando in illo boni operis facultatem. Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur; quod præueniens ipsa largitur*: & postea multis interpositis, iterum dicit. *Prædestinauit ad gratiam quos ad se præsciuit misericordiæ præuenientis auxilio redituros; & in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros.*

S. Fulgent.

Eadem est adiuuans, & subsequens.

64. Idem S. Fulgentius in lib. de Incarn. & Grat. ait. *Cum ergo Paulus esset blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, non ideò est adiutus Dei gratia, quia credere voluit, sed vt credere vellet donum gratiæ præuenientis accepit*: & post multa, iterum inquit. *Quia revera, & vt velimus misericordiæ*

cordiæ præuenientis illuminamur dono; & vt curramus, misericordiæ subsequentis fulcimur auxilio.

65. Idem Sanctus in lib. de Veritate Prædestinationis, & Gratiæ, ait. *Sicut ergo bonæ voluntatis initium nemo potest habere, nisi fuerit misericordia Dei præueniente illuminatus, quia præparatur voluntas à Domino: & rursus scriptum est, Deus meus misericordia eius præueniet me: ita tandem bonam voluntatem nemo vsque in finem poterit obtinere, nisi fuerit iugiter eadem misericordia subsequente seruatus; dicit enim Deo beatus Dauid, misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Misericordia igitur, quæ gratis malum hominem præuenit, vt mutet in melius, & ipsa, quem bonum facit subsequendo regit, ne mutetur in peius. Omne igitur bonum voluntatis, & operis, tunc inesse potest homini, si præuenientis gratiæ largitate detur, eiusdemque gratiæ subsequentis opitulatione seruetur: quę malum præuenit, vt bonam Deo largiente voluntatem habere incipiat, quam ante, quia per se habere non poterat, non habebat. Subsequitur autem bonum, vt perseueret, ac perficiat in bona voluntate, quam ex se habere non potuit. Præuenit ergo dirigendo cor hominis primùm: subsequitur autem custodiendo cor rectum.*

Pluries id docet S. Fulg.

66. Idem Sanctus in toto illo libro multa interpolata profert dicta, quæ mirificè totam materiam de præueniente, ac subsequente (quam semper adiuuantem nominat) gratia explicat: ideò ea addùcam. *Non autem præueniendo illuminaretur liberum arbitrium, si non esset, nec subsequendo adiuuaretur, si illuminatum, ad aliquid sibi bonæ cogitationis, aut operis esse posset idoneum*: & post alia. *Tunc salubriter discimus quid facere debeamus, quando nos misericordia præueniens illuminat, & sanamur,*

Accuratè id considerauit S. Fulg.

namur, vt quod illa præueniente discimus, eadem subsequente, faciamus. Præuenit enim nos, dum propitius fit Dominus omnibus iniquitatibus nostris; subsequitur nos, cum sanat omnes languores nostros. Præuenit misericordia liberum hominis arbitrium; dum in nondum benè volente sola operatur exordium bonæ voluntatis: subsequitur dum benè volenti subministrat auxilium, vt benè operando perueniat ad bonæ voluntatis effectum: misericordia igitur præueniens cooperaturam sibi hominis voluntatem sola præparat; subsequens autem cooperantem sibi voluntatem iuuat: & post alia: *nihil bonæ cogitationis oboriri, nisi quod beneficio gratiæ præuenientis infunditur; nihil in melius augeri, nisi quod subsequentis iuuamine roboratur*: eadem ergo per S.Fulgentium est gratia adiuuans, & subsequens, idest, sequens præuenientem.

Conclusio generalis ex S. Fulg.

S. Gregorius Magnus in *lib.22. moral.cap.5 aliàs* 10. de vtraque hac gratia iuxta Augustini, ac Fulgentij mentem sic loquitur. *Sancti viri sciunt post primi parentis lapsum de corruptili stirpe se editos; & non virtute propria, sed præueniente superna gratia Dei ad meliora se vota, vel opera commutatos, &c. eique de accepto munere debitores fiunt; qui, & præueniendo dedit eis bonum velle quod noluerunt, & subsequendo dedit eis bonum posse, quod volunt.*

S. Gregor. Magnus.

67. Ex toto ergo hoc discursu concluditur, non solùm, quòd gratia subsequens sit eadem, ac adiuuans, qua bonum opus iam inspiratum ponitur in esse: sed concluduntur officia vtriusque gratiæ, scilicet præuenientis, ac subsequentis, seu adiuuantis. Nam per primam Deus benignè, & absque hominis merito, hunc ad humana, vel etiam ad mala distractum illuminat ad cognitionem

Officia gratiæ.

nem boni, & inspirat ad volitionem eius tamquam primum quemdam motum, seu effectum volendi; deinde adiuuat ad exequendum. Vnde verò proueniat, quòd non semper adiuuat post præuentionem, seu excitationem, illuminationem, & inspirationem, dicetur postea.

CAPVT III.

An detur, qualisue sit Gratia efficax.

58. ADu. 1. quòd vocabulum hoc, *efficax*, apud omnes, tàm sacros, quàm prophanos authores significat rem aliquam, siue personam, siue formam, aut virtutem, potestatem, aut qualitatem producentem suum effectum in esse reali; & per hoc distinguitur efficacia affectiua ab effectiua, quia per primam quis vult quantum est in se, & toto conatu facere; at non potest in effectu ponere; quia impeditur ab aliquo interno, vel externo obstaculo: vt quilibet in se experitur; quia vellet dignitatem aliquam, fauorem, diuitias, sanitatem, &c. & adipisci non potest: Effectiua autem est, quæ & potest ponere, & de facto ponit effectum in esse: exempla habemus prophana. Plin. lib. 24. cap. 16. *aduersus serpentes ex aceto pota efficax*. Cęlius ad Ciceronem, *Nosti Marcellum, quam tardus, & parum efficax sit*. Ecclesiastici 9. 4. datur consilium hoc. *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius*: Hebr. 3. 12. *Sermo Dei viuus, & efficax*. Illam ergo gratiam, quæ secum habet anne-

Efficax quid significat apud omnes.

Efficacia affectiua, & effectiua.

Quę gratia à Theologis dicitur efficax.

annexum effectum principalem, qui præcipitur, vel consulitur, Theologi appellant *Gratiam efficacem*; illam verò, quæ effectum coniunctum non habet, vocant *inefficacem*, & alio nomine (nescio quare, vt patebit postea) dicunt sufficientem.

Sensus quę siti.

69. Adu. 2. quòd hìc quærimus ethimologiam, & proprietatem gratiæ istius, quæ dicitur efficax, an sit eadem cum præueniente, & adiuuante, seu subsequente, vel ab istis differat, & per quid. Vndè verò habeat, quòd sit, vel non sit efficax, an ex natura sua, seu decreto Dei, an verò ex se sit indifferens, & à voluntate humana volente ea vti, euadat efficax, idest, obtineat effectum, ad quem datur, videbimus postea. Hæc enim est celeberrima controuersia in tota hac materia: At, quæ hìc nunc discutimus facilia sunt.

Admitti debet gratia efficax.

70. Dico 1. Admitti debet gratia dicta *Efficax*; estque illa, quæ opus bonum, siue præcepti, siue consilij à Deo inspiratum, connexum habet.

Experientia docet, quòd datur gratia faciens effectum, & alia, quæ nō facit.

71. Prob. facilè: Experientia docet, quòd in vna concione multi sunt vocati, seu inspirati; & tamen non omnes, sed aliqui tantùm conuertuntur, siue ad credendum, siue ad aliud opus bonum faciendum; & interdum nullus: experientia patet de prędicatione Christi. Is enim integro triennio, & alijs tribus mensibus continuò prędicauit verbis, & factis viam salutis, eamque miraculis patentibus comprobauit: At non omnes crediderunt, neque conuersi sunt, vt ex Euangelistis patet; sed valdè pauci, respectiuè ad magnam hominum, qui eum audierunt, & inspirati fuerunt, multitudinem: Omnium primum vocauit Philippum, *Sequere me*, & secutus est eum:

voca-

vocauit Petrum, & Andream, *Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum, & illi continuò relictis retibus secuti sunt eum*. Paulò post vocauit Iacobum, & Ioannem, *reficientes retia cum Patre Zebedeo, ac mercenarijs*: & illi statim *relicto Patre, mercenarijs, ac retibus secuti sunt eum*: ita de Mattheo, & alijs Apostolis, ac Discipulis. At non sic accidit de alijs: nam Ioan. 2. 23. prædicante Christo ingenti turbæ, dicitur, *multi crediderunt in eum*; non dicitur omnes: idem dicit Euangelista in cap. 6. & 8. & alibi, *multi crediderunt in eum*. Immò Ioann. 5. 40. inquit Saluator. *Non vultis venire ad me, vt vitam habeatis*. In aliquibus ergo fuit efficax gratia, ideſt suum habuit effectum; at non in omnibus. Ex Christi facto.

72. Confirmatur ex Act. Apost. cap. 27. 34. Prædicante Paulo Athenis in conferta multitudine Areopagi; *quidam adhærentes ei, crediderunt, in quibus Dyonisius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis*: in his ergo solis, non in omnibus gratia habuit suum effectum principalem, nempe credendi. Item Act. 16. 14. Philippis, prædicante Paulo, *vna tantum mulier Lydia purpuraria conuersa est ad fidem, & baptizata est cum domo sua*, dicit autem Textus, *cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo*. In cap. verò 13. 46. predicantibus Paulo, & Barnaba Antiochiæ Pisidiæ coram innumera multitudine Iudæorum, & Gentilium, cum prolixa illa oratione, qua distinctè narrarunt omnia beneficia à Deo collata Iudæis, ex quo eos eduxit vsque tunc, sic eis exprobarunt; *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; At quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes*, &c. & paulò post. *Audientes* Ex factis Pauli.

autem gentes gauise sunt, & glorificabant Verbum Domini; & crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam. Ecce quomodo Gratia illa vocationis diuinæ effectum conuersionis habuit in quibusdam gentilibus, qui tunc conuersi sunt; non verò in alijs, nec in turba Iudæorum.

73. Probari tandem potest ex communi sensu omnium Theologorum Scholasticorum, incipiendo à S. Augustino, qui licet hoc vocabulo gratiæ efficacis non vtatur (& sit Phrasis modernorum incipiendo fortè à Sētentiarum Magistro, vel alio anteriore) tamen S. Augustinus significatum eius, nempe quòd ponat effectum in esse, in omnibus suis tractatibus frequenter explicat, dum docet aliquem ita vocari, vt respondeat, & exequatur; alium verò non ita vocari, vt respondeat, ac exequatur. In lib. enim de bono Perseu. cap. 9. ait: *Ex duabus ætate grandibus impijs, cur iste vocetur, vt vocantem sequatur; ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt indicia Dei: ex duobus autem pijs, cur vni detur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt indicia Dei*.

74. In lib. 1. Retract. cap. 18. inquit. *Sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundum propositum Dei. Non enim omnium, qui vocantur talis est, sed electorum tantùm*.

75. In lib. de Corr. & Grat. cap. 7. de prędestinatis dicit. *Non est dubium, quòd, & procuratur eis audiendum Euangelium; & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur vsque in finem perseuerant; & si aliquando exorbitant, correpti emendantur; & quidam eorum, & si ab hominibus non corripiantur, in viam redeunt*: & post aliqua ad idem, subdit. *Aut si qui deficiunt, reparan-*

rantur, antequam vita ista finiatur, &c. & alia plura in suo loco adducenda: ergo per S. Augustinum datur gratia efficax; immò, vt verum fatear, si eum capio, in omnibus suis scriptis ferè semper de hac loquitur.

76. Dico 2. Gratia efficax non est diuersa ab adiuuante.

Efficax gratia non est diuersa ab adiuuante.

77. Prob. Ex communi sensu Doctorum dicitur *efficax* gratia, quæ habet secum coniunctum effectum à Deo inspiratum; sed hoc præstat gratia adiuuans, vt fiat, ex nuper dictis; ideò enim est, & dicitur *Adiuuans*, quia iuuat voluntatem ad faciendum opera, quæ ipsa sine illa, nec faceret, nec facere potest: igitur eadem dicitur adiuuans, & *efficiens*, seu *efficax*.

78. Prob. 2. in Sacra Scriptura bis tantùm, vt patuit, efficaciæ vocabulum inuenimus, sed sępissimè vocabulum adiutorij, ac auxilij, & hoc petebant Sancti à Deo, & præsertim Dauid, vt hucvsque patuit: at petebat virtutem, seu formam illam, qua bona opera facere posset, ac faceret. Hæc autem est gratia efficax: ergo diuersa sunt nomina *efficax*, & *adiuuans*, vt fiat; vna autem res.

Ex Concil. Arausі.

79. Confirmatur. Concilium Arausi. 2. de anno 529. celebratum pro materia de Gratia, & lib. arb. sub Felice 4. in omnibus illis 25. Canonibus gratiam ad opera exercenda, *vt oportet*, necessariam, numquam vocat nomine *efficacis*, sed in 6. 9. & 10. can. vocat *Adiutorium*: igitur hæc appellatio tunc erat in vsu, idemque significat, ac *efficax*, sic communiter nunc dicta. Nam istud Concilium definit in dictis locis, quòd ad resurgendum à peccato, & ad benè operandum necessarium est diuinum *Adiutorium*: eodem modo lo-

quitur *Cælestinus* 1. *epist.* 1. *cap.* 4. *&* *Innoc.* 1. *epist.* 24. *&* 25. igitur eadem est adiuuans, vt fiat, ac efficax.

Ex Concil. Trident.

80. Confirmatur 2. Concil. Trid. *in sess.* 6. *cap.* 5. *ac* 6. & *can.* 3. quibus in locis de dispositione ad iustificationem dogmaticè loquitur, de gratia preueniente, seu excitante, atque adiuuante, per quam dispositio perficitur, verba facit; numquam nominans *efficacem*: igitur signum est pro eadem sumi adiuuantem, atque *efficacem*.

S. August. raròvtitur vocabulo efficacis, sed diuersis vocibus equipollétibus, quæ eam significant: sed sępissimè adiuuantě, quæ facit facere.

81. Sanctus Augustinus Doctor, ac Magister gratię in Ecclesia Dei, vtitur quidem æquipollentibus vocabulis, quibus significat gratiam, effectum in re ponentem, vocans eam victricem, liberatricem, cooperantem libero arbitrio, dantem vires efficacissimas, & se habentem ad liberum arbitrium tamquam sessor ad iumentum, facientem velle, ac perficere (vt de natura efficaciæ vnde proueniat in suo loco dicemus) at non appellat, vt videre potui, hoc puro nomine *efficacem*, sed modò *Adiuuantem*, modò *Adiutorium*, modò *Auxilium*, faciens operari, modò *sine quo*, modò *quo*, modò gratiam *medicinalem*, modò gratiam *sanantem*, & alijs similibus epithetis iuxta pluralitatem effectuum, quos causat in anima; semper tamen vocabula illa significant efficientiam aliquam in suo ordine; immò interdum vocat eam *effectricem bonæ voluntatis*, præsertim in *lib.* 1. *ad Simplicianum quæst.* 2. post medium. Quapropter omnes Theologi vnanimiter agnoscunt gratiam efficacem, & eam talem dicunt, quæ habet annexum principalem effectum, v.g. si inspiratur actus fidei, pænitentię, &c. si hic effectus sequitur, seu ponitur in esse, gratia illa dicitur, estque efficax: si non sequitur, dicitur, estque ineffi-

inefficax,& vulgariter dici solet *Sufficiens*: At vnde habeat, quòd sit efficax, ideſt habeat annexum effectum, num ex sua intrinseca natura; num ex voluntate illius, cui datur, quasi de se sit indifferens, & homo, cui datur ex suo consensu illam reddat efficacem; vel potiùs ipsa gratia faciat consentire; altioris indaginis eſt, & in proprio loco discutietur. Sufficiat nunc scire vocabula, & aliquas proprietates diuinæ gratiæ ad opera bona exercenda necessariæ.

Vnde habet, quòd sit efficax postea dicetur.

CAPVT IV.

An detur; & quæ, qualisue sit Gratia non efficax, *communiter dicta* sufficiens.

82. ADu. 1. quòd antequam de proprietatibus alicuius rei differatur, priùs firmandum eſt, quid sub nomine talis rei intelligitur. Cùm ergo inter Theologos maxima fuerit, & penes quosdam adhuc adsit, controuersia, an detur gratia quædam dicta *sufficiens*, & quinam sit effectus, ac finis eius; firmandum eſt priùs, quid nomine gratiæ *Sufficientis* intelligatur, quãuis plures Theologi de illa multa scripserint.

Sensus quę siti.

83. Adu. 2. quòd verbum *Sufficio*, tàm apud Grammaticos, quàm apud Scriptores prophanos, immò & sacros, significat verbum impositum ad ostendendum aliquid idoneum, & aptum ad ponendum effectum aliquem in esse reali; & significat idem, ac *satis eſt ad faciendum*. Ideòque sæpè cum alijs viris doctis miratus sum, cur Theologi moderni gratiam illam diuinam, qua homo vocatur, excitatur, illuminatur, & inspiratur ad bonum faciendum, & effectum non obtinet

Sufficio, quid significat.

net vocare cæperunt *Sufficientem*, ad distinctionem efficacis, quæ semper habet annexum effectum, cùm satis non sit ad eum ponendum, sicut efficax, quæ in rigore dici deberet *sufficiens*: At nolo nunc ethimologiam vocabuli inuestigare, quod postea exequar: sed supponendo, quòd gratia quædam sic dicatur, quia effectum principalem annexum non habet, licet det posse ad illum; quæro an detur, & quid prosit.

Cur inefficax vocetur sufficiēs, difficile assignatur.

84. Adu. 3. quòd, cùm Deus ex sua benignitate præuenit aliquem, siue infidelem, excitando, illuminando, & inspirando, vt veniat ad fidem; siue fidelem lapsum, vt veniat ad pęnitentiam; siue fidelem iustum, vt faciat opera pręcepti, aut consilij, duo in his excitationibus sunt consideranda; vnum est ipsa passiua excitatio, illuminatio, & inspiratio; quas Deus solus causat in nobis sine nobis, quæ recipiuntur in intellectu, & voluntate, & isti effectus semper à solo Deo efficiuntur; & sic semper gratia excitans, quoad hos effectus illuminandi, & inspirandi, est efficax: Alterum autem, quod considerandum venit, est ipsum opus, de quo fit excitatio, seu illuminatio, & inspiratio, vt in propositis exemplis, pro infideli, fides; pro baptizato peccatore, pænitentia; pro fideli iusto, obseruantia pręcepti, vel consilij, vel operum supererogationis: Ista autem appello opera principalia, quia ad hæc ordinantur excitationes. Hæc autem opera non semper ponuntur in esse ab excitatis. Vnde autem hoc proueniat, postea dicetur.

Multa notanda.

Excitans semper effectum excitandi habet.

85. Adu. 4. & recolo quod dixi in cap. 2. de Gratia excitante cum S. Augustino, estque fundamentum, nedum huius, sed multarum huius materię conclusionum, quo spreto in varios errores

Res valdè notanda.

rores labi necesse est, nempe, quòd cùm Deus per seipsum externè homines hortatur ad bonum operandum, vel per Angelos, vel per Prophetas, Apostolos, aliosue Missionarios, vel Concionatores, semper internè etiam loquitur illuminans, & inspirans ad cognoscendum, & volendum id, quod externè auditur; aliàs frustranea esset externa doctrina, seu locutio, essetque gratia Pelagiana. Audiamus Augustinum *tract.* 3. *in epist.* 1. *Ioan.* super illud, *Vnctio spiritus docet vos*: ait. *Videte fratres magnum Sacramentum. Sonus verborum nostrorum aures percutit, Magister intus est. Si non sit intus, qui doceat, inanis est strepitus noster*: & post aliqua: *Magisteria forinsecus adiutoria quædam sunt, & admonitiones; Cathedram in Cælo habet, qui corda docet, propterea dicit in Euangelio, nolite vobis Magistrum dicere in terra. Vnus Magister est Christus. Ipse vobis ergo intus loquitur, quando nemo hominum illic est*: & infra. *Interius est Magister, qui docet. Christus docet; inspiratio illius docet. Vbi illius inspiratio, & vnctio non est: forinsecus inaniter perstrepunt verba*: & assignat exemplum de Agricola, qui arborem irrigat, sed, nec dat ei incrementum, nec ipse poma producit; ideò dicit Apostolus, *Ego plantaui; Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit*: ideò cùm Deus, Prophetę, Apostoli, Christus ipse forinsecùs locutus est, cùm non inaniter verba protulerit, intrinsecùs quoque locutus est; & tamen non omnes, quibus locutus est verbis, ac factis crediderunt, vel à malo recesserunt. His positis

Aug. vtilis sententia.

Cùm homo audit Dei verbum, Deus internè excitat.

Aptum exemplum Agricolę.

86. Dico. Datur gratia non efficax vulgò dicta *Sufficiens*, quæ non habet annexum effectum principalem pro quo datur, & ei gratiæ resistitur.

Datur gratia ineffic ax dicta sufficiens.

Prob.

87. Prob. facilè ex S. Scriprura Veteris Testamenti. Prou.1.24. vbi Deus sic loquitur. *Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meũ, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.* Deus autem non inaniter foris tantùm perstrepit, sed intus etiam loquitur; & tamen populi, ad quos loquebatur, non parebant: ergo.

Ex Veteri Test. ex Prou.

88. Confirmatur Isaiæ 1. 2. Deus conquæritur de inobedientia populi Iudaici, *filios enutriui, & exaltaui; ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus Præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit:* & infra idem Dominus hortatur ad recedendum à malo, & accedendum ad ipsum. *Lauamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere peruersè*, &c. *& venite, & arguite me.* Deus autem non inaniter loquitur solùm extra, sed illuminat, & inspirat intus; & tamen populus à malo Idolatriç non auuertebatur; & Acaz tunc pessimus Rex fuit; & tandem Manasses impius, à quo Propheta per medium sectus occisus est: isti ergo noluerunt ab Idolatria recedere.

Ex Isaia.

89. Confirmatur 2. Conqueritur Deus per Dauid Psal.94. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic; & dixi semper hi errant corde: ipsi verò non cognouerunt vias meas*, &c. Deus autem non frustra foris tantùm loquitur, aic Augustinus vbi supra, sed intus; & tantùm Populus *noluit intelligere, vt benè ageret.*

Alia plura exempla gratiæ, cui resistitur.

Con-

90. Confirmatur tandem ex toto Veteri Testamento; & pręsertim ex Propheticis libris: Per Prophetas enim omnes, Deus locutus est ad populum; nec inaniter, & frustra exteriùs tantùm per verborum strepitum, quia agebatur de abolenda Idolatria, vt patet de Ahia cum Ieroboam, de Elia cum Acab; & sic de alijs Prophetis cum Regibus Samarię, seu Israel, & cum Regibus Iuda, seu Ierusalem. His enim Prophetis foris intonantibus, Deus intus loquebatur illuminando, ac inspirando, vt ab Idolatria recederent; & tamen conuersiones ad quas excitabantur Reges, & Populi non sunt semper secutæ, nisi in paucis Regibus, Iuda, Ezzecchia, Iosia, &c. in nullo autem Samariæ, seu Israel; ergo in omnibus non fuit efficax gratia. Datur ergo ista gratia interior non efficax, cui resistitur.

91. Prob. 2. clariùs ex Nouo Testamento. Christus, *qui venerat peccatores saluos facere*, vt ipse testatus est; qui dixit *se missum ad filios Israel*, iam ferè menses 40. prędicauit filijs Israel, & quod prædicabat, factis, ac miraculis confirmabat; nec frustra, ac inaniter foris tantùm, & per sensibiles voces loquebatur; sed intus illuminando, & inspirando; & tamen valdè pauci tunc conuersi sunt. Ideò conquærebatur, *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti*.

Ex Nouo Testam.

Ex Christi facto.

92. Confirmatur ex facto Apostolorum. Act. 2. post Christi Ascensionem in Cęlum, cùm in die Pentecostes accidit miraculum illud grande, vt linguæ igneæ apparerent in capitibus Apostolorum; & omnes duodecim (electo Matthia) *loquerentur varijs linguis magnalia Dei*, & Petro

declarante mysterium, quòd nempe in Christi virtute hoc factum esset; quamuis maxima, ratione festi, ex tota Palestina adesset multitudo, tria millia hominum tantummodo conuersi sunt; & tamen in aliorum etiam cordium facta est Spiritus Sancti allocutio: ergo in his non conuersis, gratia fuit illuminans tantùm, & inspirans, non autem adiuuans, & efficax: idem dicendum de omnibus alijs eorum prædicationibus, in quibus, vel pauci, vel nemo aliquando conuersus est.

Ex facto Apostolorum.

93. Confirmatur 2. ex Act. 7. Postquam S. Stephanus prolixam illam fecerat concionem in Sinagoga, referens omnia beneficia à Deo collata populo, incipiendo ab Abraham, & prosequendo vsque ad illud tempus, prædicans Christum esse Iesum, & improperando eis obstinationem continuam in credendo, ait. *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos*, &c. igitur admittenda est gratia, cui resistitur, & vtinam non resisteremus omnibus Dei vocationibus; omnes namque saluaremur.

Ex Act. Apost.

94. Confirmatur 3. Ex 2. Cor. 6. 1. *exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Glosa Lyr. ait, *gratiam, quæ datur ad benè viuendum in præsenti vita, & ad consequendam gloriam in futuro. Propter quod hunc effectum non consequitur, si in vacuum recipitur, sicut medicina, ad quam sanitas non sequitur*. Hæc Lyr.

Ex Apost.

95. S. Anselmus in eum locum, ait. *In vacuum gratiam Dei recipit, qui cum ea non laborat, nec ei suum studium adiungit, quique per desidiam facit, vt gratia in ipso sit otiosa, dum eam bonis explere operibus non satagit*. Sic Ansel.

Ex Ansel.

96. Contrarium verò de se dicit Paulus 1. Cor. 15.

Cor.15. 10. *Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius ijs omnibus laboraui; non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Glos. Lyr. *vacua non fuit*, inquit, *idest carens operibus*: ergo in aliquibus datur gratia in vacuum recepta, ad quam scilicet, non sequitur opus bonum, propter quod datur.

Ex Apost. de se opposi tum dicente.

97. Confirmatur 4. ex Rom. 10. 16. *Sed non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit, Domine quis credidit auditui nostro?* At promulgatio Euangelij facta est cum interna etiam Dei locutione, alioquin frustra, & superuacaneè, vt ex Augustino diximus, perstrepuissent verba Euangelizantium in externis auribus, nisi etiam internè Deus illuminasset, ac inspirasset, quod Euangelizantes docebant.

Alia exempla gratiæ, cui resistitur.

98. Confirmatur 5. ex Apocal. 3. 20. *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ille mecum.* At certum est, quòd non omnes aperiunt: ergo

99. Prob. 3. ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. vbi loquens de Gratia ad dispositionem iustificationis requisita, præ cęteris hæc habet: *eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponuntur; ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illa recipiens, quippe qui illam abijcere potest*: & in can. 4. habetur. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, & vocanti quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit; sed veluti inanime quodam nihil omninò agere, merèque passiuè se habere, anathema sit.* Ergo

Ex Trid. gratia potest abijci.

ex Concilio datur gratia, cui homo poteſt diſſentire; & ſic non habere effectum principalem, ad quem datur.

100. Confirmatur ex duplici Conſtitutione, Innocentij ſcilicet Decimi, & Alexandri Septimi, qua damnantur quinque propoſitiones Ianſenij, vt hereticę, quarum ſecunda eſt: *Interiori gratiæ numquam reſiſtitur*: ergo datur gratia, cui reſiſtitur, ne effectum ſuum principalem, ad quem datur, obtineat.

Ex Conſtit. Apoſtolic.

101. Confirmatur ex praxi totius Eccleſiæ in correctione, & repræhenſione fidelium, quòd Dei mandata non obſeruent, & quòd diuinis inſpirationibus non correſpondeant. Iſti non eſſent corripiendi, nec repræhendendi, ſi gratiam aliquam non haberent, per quam poſſent ea facere. Sicut non poteſt repræhendi claudus, vel alio modo impotens, ſi non ambulat. Neque cæcus repræhendi poteſt, ſi recta via non gradiatur.

Ex praxi Eccleſię.

102. Confirmatur 2. ex alia praxi Eccleſiæ circa prædicationem Euangelij inter infideles: fruſtra enim Miſſionarios ad infideles mitteret, niſi perſuaſum haberet, quòd, dum illi euangelizant foris ad aures infidelium, Deus per illuminationem intellectus, & inſpirationem voluntatis euangelizat intus; quia niſi crederet ſic fieri, fruſtra mitteret Prædicatores;& infideles non eſſent arguendi, ſi verbum Dei non reciperent; quia carerent ſupernaturali lumine, quo diſponerentur ad illud recipiendum. Vnde ex hoc capite meritò Paulus Anthiochiæ Piſidiæ, cùm prolixam concionem habuiſſet ad Iudæos, videns quòd nullus eorum ibi conuerteretur, immò omnes ei contradicebant, zelo repletus dixit. *Vobis opor-*

Ex alia Eccleſ. praxi.

oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes; sic enim præcepit nobis Dominus; posui te in lucem Gentium. Audientes autem Gentes gauisæ sunt, & glorificabant Verbum Domini; & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Quomodo autem potuisset repræhendere Iudęos, quòd verbum Domini non reciperent, si principium nullum supernaturale ad posse saltem recipere non habuissent; cùm ipsemet Paulus 1.Cor. 3.5. doceat, *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est*: adfuit ergo in Iudæis illis obiurgatis, illuminatio; & inspiratio, quibus non consenserunt. Vnde autem tàm in ijs, quàm in alijs proueniat, quòd gratiam adiuuantem, seu efficacem ad consentiendum necessariam non habuerint, & non habeant, an ex decretis reprobationis, vel aliundè, in suo loco dicetur.

Ex facto quodam Pauli.

103. At quoniam aliqui moderni, nescio quo fundamento, imponunt Sancto Augustino, quòd non admittat vllam gratiam, cui voluntas dissentiat, & resistat, ne effectus principalis sequatur; sed quòd per eum omnis gratia sit efficax, idest coniuncta sit cum suo principali effectu, ad quem datur, libet mihi eum vindicare ab hac iniuria; ideò aliqua eius loca in medium afferam, quæ clarè rem demonstrant, quòd hanc etiam agnouerit, & asseruerit.

Vindicatur Aug. à calumnia, quòd non admittat gratiam sufficientẽ, idest, cui resistitur.

104. Primum ergo Augustini dictum desumitur ex lib. de Bono Perseu. cap. 9. vbi ait: *Ex duobus ętate grandibus impijs, cur iste vocetur, & vocantem sequatur; ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt iudicia Dei: ex duo-*

Primum eius dictũ euidens.

duobus autem pijs, cur vni detur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur, incomprœhensibilia sunt iudicia Dei. Ex prima igitur propositione per Augustinum datur gratia vocationis, quam vocatus non sequitur.

2. Locus.

105. Secundum desumitur ex lib. de spiritu, & litera cap. 12. vbi habetur, quòd *Gentilibus animo occurrebat; vt quærerent, vnde habere poterant cognitionem veritatis; sed cum cognouissent, non coluerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis*: igitur gratiam illuminationis, ac inspirationis secuti non sunt; nec modò sequuntur dum audiunt concionatores.

3. Locus. valde notandus.

106. Tertium desumitur ex libro 1. ad Simplicianum qu. 2. inter medium, vbi cùm dixisset, quòd gratia vocationis est *effectrix bonę voluntatis*, mouet difficilem quęstionem, quomodo concilientur duo illa dicta, ambo de fide tenenda, *multi sunt vocati, pauci verò electi, Matth. 20.* cum illo, *non volentis, neque currentis, sed Dei est miserentis, Rom. 9.* & refert primò opinionem, quę dicere posset (sicut hodie à quibusdam asseritur,) *quod quamuis multi vno modo vocati sunt; tamen quia non omnes eodem modo affecti sunt; illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ inueniuntur idonei, & adhuc verum est, quod non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; quia hoc modo vocauit, quo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem. Ad alios autem vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit, quòd moueri non possent, nec eam capere apti essent; vocati quidem dici potuerunt, sed non electi*. Hunc dicendi modum impugnare videtur Augustinus, inquiens. *Igitur non miserentis est Dei, sed volentis, atque currentis est hominis; quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in homi-*

Impugnatio cuiusdam dicti notanda.

hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur: deinde ad rem nostram dicit, *Verum est ergo, multi vocati, pauci verò electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, neque contemperabant vocationi, non electi, quia non secuti, quamuis vocati. Item verum est non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; quia etiamsi multos vocet; eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eos vocare aptum est, vt sequamur:* Igitur per Augustinum omnes vocati, non electi gratiam vocationis inefficacem, & sine principali effectu habent.

Subtilis Augustini speculatio.

107. Deinde adducit exempla de vtrisque vocatis, scilicet sequentibus vocantem, & non sequentibus, etiam visis post vocationem miraculis.

Omnes vocati, non omnes electi.

108. *De Simeone Lucæ 2. credente in Christum infantem ex simplici reuelatione. De Nathanaele Ioann. 1. qui ad simplex Christi dictum priusquam Philippus vocaret te vidi te sub ficu, credidit confitendo, tu es Christus filius Dei, tu es Rex Israel. Quod tantò post, quia confessus est Petrus Matth. 16. meruit audire, quod Beatus sit, & quod ei darentur claues Regni Cælorum. Miraculo primo facto in Cana Galileæ de aqua in vinum conuersa, crediderunt in eum Discipuli eius. Multos loquendo Christus inuitauit ad fidem: vt multi, nec suscitatis mortuis crediderunt. De Cruce, ac morte eius conterriti etiam Discipuli titubarunt, & tamen latro tunc credidit, quando eum non præstantiorem videret in operibus, sed consortio crucis æqualem. Vnus de numero Discipulorum post eius resurrectionem, non tàm viuentibus*

Exempla vocatorum sequentiũ. & aliorum non sequẽtium.

tibus

tibus membris, quàm recentibus cicatricibus credidit; multi ex eorum numero à quibus crucifixus est, qui videntes eum miracula facientem contempserunt, Discipulis eum prædicantibus, & in nomine eius tanta facientibus crediderunt; & concludit. *Cum ergo alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem; eademque res sæpè alio modo dicta moueat, alio verò modo dicta non moueat; aliumque moueat, aliumque non moueat; quis audeat dicere defuisse modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret; voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est. Quod si tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdurescat mentis auersio, quæritur, vtrum de diuina pena sit ipsa duritia*? Et probat, quòd sic, per eumdem Apostolum Rom. 9. exemplo Pharaonis: itaque apertè ex Augustino habemus, quòd datur gratia vocationis, cui voluntas humana resistit, & est sine effectu.

Clarè ex Aug. concluditur gratia sufficiens.

CAPVT V.

An detur, & quid sit Gratia Sanans, *seu* Medicinalis.

109. ADu. quòd ex diuersis effectibus, quos in anima producit gratia actualis, tàm adiuuans, quàm præueniens sortitur diuersa nomina, quorum hęc duo *Sanans*, & *Medicinalis*, ratione infirmitatis humanæ in ordine ad sanctè operandum, siue respectu iustificationis acquirendæ, siue respectu aliorum bonorum operum ipsiusmet iustificati sunt apprimè congrua; quia ad ea facienda infirmitatem liberi arbitrij sanat, ipsumque principaliter iuuat, vt ea efficiat.

Ethimologia gratiæ sanantis.

Adu.

110. Adu. 2. quòd ex peccato Adę liberum arbitrium quamuis extinctum non fuerit, sicut somniabat Caluinus, fuit tamen valdè attenuatum, ac debilitatum, tàm in eodem Adamo, quàm in omnibus nobis posteris. Sic definiuit Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. his verbis, *tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset, viribus licet attenuatum, & inclinatum*, quod ante mille annos definierat Concil. *Arausi. 2. can.* 13. & ante istud definierat Concil. *Diospolitanum* 14. *Episcoporum* anno Domini 415. Hanc autem infirmitatem ad benè operandum, vt dicemus in capite de necessitate gratiæ, medetur Deus ex merito Christi per actualem gratiam eleuantem liberum arbitrium ad ordinem operantium supernaturaliter, & adiuuantem illud vt possit facere, & faciat ineluctabiliter, vt in suo loco dicetur.

Ex peccato Adę liberũ arbitrium debilitatũ fuit.

Gratia ex se sanat.

111. Dico ergo, datur gratia dicta *Medicinalis*, seu *sanans*, estque eadem, ac præueniens, & adiuuans; ab effectu tantùm medendi, seu sanandi liberum arbitrium sic appellata.

Datur gratia sanans, sed eadem est, ac præueniens, & adiuuans.

112. Prob. prima pars de nomine sanantis spiritualiter, siue habitualiter, siue actualiter: est enim valde vsitatum in Sacro Textu. Psal. 6. *Sana me Domine, quia conturbata sunt ossa mea.* psal. 29 *Clamaui ad te, & sanasti me.* psal. 40. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* psal. 105. *Misit verbum suum, & sanauit eos*: & psal. 146. *qui sanat contritos corde.* Prou. 28. 15. *Qui sperat in Deo sanabitur.* Sap. 16. 10. *Misericordia enim tua adueniens sanabat illos.* & v. 11. *Tuus sermo Domine, qui sanat omnia.* Isaię 6. 10. *Ne fortè conuertatur, & sanem eum.* cap. 11. 5. de Christo prædicitur; *Liuore eius sanati sumus.* Ieremias in cap. 17. 14. petit à Deo, *Sana me Domine, & sanabor*: cap. 51. 9.

Ex S. Scrip.

Curauimus Babilonē, & non est sanata, derelinquamus eam: & alia plura suppetunt loca, in quibus actio illa, qua Deus aliquem à peccato liberat, & iustificat, vel ad iustificationem disponit, vel ad alia opera bona facienda idoneū facit, & adiuuat, vt faciat, dicitur *sanatio*; quia reuera ad ea facienda homo infirmus est; & sic forma illa, seu gratia, per quam idoneitatem illam facit, & sanat, dici debet sanans, sicut effectus eius dicitur spiritualis sanitas, paritate deducta à forma sanante, à sanatione, & sanitate corporis.

Cur sanans

113. De alio vocabulo *Medicinali*, est eadem ratio, quia remedium afferens sanitatem dicitur medicina, seu medela: & ita gratia illa, quæ animam infirmam sanat eleuando eam ad ordinem operandi supernaturaliter, siue disponendo ad iustificationem, siue adiuuando iustificatum ad opera bona, & meritoria exercenda, quæ de se nullo modo faceret, vel facere posset anima, medicina spiritualis, ac supernaturalis est, sanitatem illam producens: aliqua etiam de hoc vocabulo habemus exempla in Sacro Textu. Prou. 6. 15. de homine peruerso consuetudinario, multisque peccatis onusto, dicitur; *huic ex templo veniet perditio sua, & subitò conteretur, nec habebit vltra medicinam*.

De nomine medicinalis eadem est ratio.

114. S. Augustinus de Gratia medicinali sanante liberum arbitrium infirmum, pluries loquitur: in lib. 2. de pecc. mer. &c. ait. *In libero arbitrio secutum est ex debita iusta pœna* (idest peccati Adæ) *tale vitium, vt iam molestum ei sit obedire iustitiæ. Quod vitiū nisi adiuuante gratia superetur, ad iustitiam nemo conuertitur, nisi operante gratia sanetur*.

S. Aug. authoritates.

115. In lib. 1. ad Simplicianum *qu.* 1. multa dicit

dicit de lege, & gratia, ponens inter eas differentiam, inquiens: *Legem ad hoc datam esse, non vt peccatum insereretur, aut extirparetur* (idest concupiscentia) *sed vt demonstraretur. Vnde apparet, per legem, concupiscentiam non esse insitam, sed demonstratam*, & postea: *Data est ergo lex, vt ægrum de morbo conuinceret, qui sibi sanus videbatur, vt peccata demonstrarentur, non vt auferentur*: & plusquam centies hunc legis diuinæ effectum declarat. Sed in homil. 10. declarat effectum legis, & gratiæ: *Optimè autem dicit, & benedictionem dabit, qui legem dedit; ad hoc enim lex data est, vt superbo infirmitatem suam notam faceret; infirmo pænitentiam suaderet: ad hoc lex data est, vt vulnera ostenderet peccatorum, quæ gratia benedictione sanaret: ad hoc etiam lex data est, vt diceremus in conualle lacrimarum, video aliam legem in membris, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis; & cum ipso* (idest Paulo) *plorante diceremus, infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.*

Ex differẽtia inter legem, & gratiam.

Quid facit lex, & quid gratia.

Lex ostendit morbũ, gratia sanat.

116. In lib. de Natura, & Gratia cap. 53. ait. *Ecce quod vitium naturæ humanæ inobedientia voluntatis inflixit, orare sinatur, vt sanetur. Quid tantùm de naturæ possibilitate præsumitur? vulnerata, sauciata, vexata, perdita est; vera confessione, non falsa defensione opus habet. Gratia ergo Dei, non qua instituitur, sed qua restituitur quæratur*: & in cap. 54. ait. *Sed contraria est spiritui caro; vt non ea, quæ volumus, faciamus, vitium est, non natura: gratia medicinalis quæratur, & controuersia finiatur.*

Ex infirmitate caro est contraria spiritui.

117. In cap. 67. inquit. *Agitur de gratia Dei, qua sanatur natura per medicum Christum, quo non*

indigeret, si sana esset, quæ ab ipso tamquam sana, vel tamquam sibi sufficiente voluntatis arbitrio posse non peccare defenditur; & post aliqua. *De gratia Dei agitur, quæ nobis per mediatorem, medicinam operatur*: & infra loquens de Pelagio Gratiæ aduersario, dicit: *Ita & exhortatus sum quantum potui ad benè viuendum, & gratiam Dei non euacuaui, sine qua natura humana iam contenebrata, & vitiata dominari non potest, & sanari.*

Multa loca August. de gratia medente, & sanante.

118. In lib. de Perfect. iust. cap. 2. loquitur de cæcitate intellectus, & de infirmitate voluntatis, & de necessitate gratiæ ad vtrumque morbum sanandum, dicens. *Natura in tantum sana non est, in quantum id, quod faciendum est, aut cęcitate non videt, aut infirmitate non implet; dum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea, quæ vult, homo faciat.*

Cęcitas intellectus, & infirmitas voluntatis sanantur per gratiã.

119. De ijsdem morbis humanæ naturę, & de necessitate sanationis per gratiam, vt possit benè, *vt oportet*, operari, loquitur idem Sanctus in lib. 2. de Peccat. mer. &c. cap. 17. *Nolunt homines facere, quod iustum est, siue quia latet, quod iustum sit, siue quia non delectat. Tantùm quidquam vehementiùs volumus, quantò certiùs, quàm bonum sit nouimus, eoque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur, & vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat, quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuuat voluntatem.*

120. Dico 2. Gratia sanans, seu medicinalis eadem est, ac adiuuans, seu efficax, & ratione diuersorum respectuum, diuersa hæc sortitur nomina.

Gratia sanans est eadem, ac adiuuans, & efficax.

121. Prob. ex nuper dictis. Nam & ex Sacra

cra Scriptura, & ex S. Augustino gratia quatenus respicit subiectum infirmum, idest naturam debilitatam, ac languidam, impotentem opus bonum facere, & eam medetur, erigit, ac sanat, dicitur medicinalis, & sanans; quatenus auxilium præstat, vt simul cum natura possit facere, & facit, dicitur adiuuans; quatenus simul cum ea ponit opus bonum in re, dicitur efficax: & ex præfatis Augustini locis, patet, quòd eamdem gratiam dicit sanare naturam, eamque adiuuare, & cum ea operari.

122. Prob. ex S. August. serm. 13. de Verb. Apost. cap. 11. vbi loquens de Gratia, qua liberum arbitrium agitur, vt benè operetur iuxta dictum Apostoli Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*, quæ est gratia efficax, & sanans, ait: *& agis, & ageris; & tunc benè agis, si à bono ageris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor est. Ipsum nomen adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis*: & de hac ipsa gratia adiuuante loquens in lib. de Spir. & lit. cap. 3. dicit eam sanare liberum arbitrium, & alia bona facere. *Fit per gratiam sanatio animæ abolitione peccati; per animæ sanitatem libertas arbitrij; per liberum arbitrium iustitiæ dilectio; per iustitiæ dilectionem legis operatio, &c. Ita liberum arbitrium per Dei gratiam non euacuatur, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua iustitia liberè diligitur.*

Ex S. Aug.

Sanitas, quam facit gratia, quę

123. Idem Sanctus in lib. de Pecc. mer. cap. 19. de vtroque gratiæ efficacis effectu loquitur. *Quod vitium* (idest impotentia ad benè operandum) *nisi adiuuante gratia superetur, ad iustitiam nemo conuertitur, nisi operante gratia sanetur, iustitiæ pace nemo perfruitur*. Eadem ergo gratia efficax,

ficax, ideſt , quæ facit operari bonum , abſtinere à malo, & diſponere ad iuſtitiam , dicitur , *adiuuans* , *medicinalis, ſanans, efficax* , & in phraſi Auguſtini *qua* , & ſimul *ſine qua,* vt infra .

CAPVT VI.

An detur , *& quę ſit Gratia* ſine qua non , *ſeu auxilium* ſine quo non , *opus bonum fieri non poteſt* , *& an hæc ſatis ſit ad faciendum.*

Notandà valdè, quæ hic dicuntur.

124. ADu.1. Hoc eſſe vnum ex præcipuis huius materiæ quæſitis à S. Auguſtino excitatum ; ab huius enim, & ſequentis declaratione, pendet notitia naturæ gratię efficacis. Duo auxilia (quæ idem ſunt, ac gratiæ actuales) agnouit Auguſtinus, vnum dictum ab eo *ſine quo* opus bonum non fit , nec poteſt fieri , aliud dictum , *quo* opus bonum fit infallibiliter . Primum aſſerit in Adamo innocente ſatis fuiſſe ad perſeuerandum in ſtatu innocentiæ , & iuſtitiæ , ſi voluiſſet : at poſt lapſum , non ſatis fuiſſe , nec vlli homini ad benè operandum de facto, vel abſtinendum à peccato, vel permanendum in accepta iuſtitia ; ſed eſſe neceſſariam gratiam *qua*, ſeu auxilium , *quo* , vt actu faciat . De prima tantùm nunc loquimur , diſtinctionis gratia ; ſed fugienda ęquiuocatio , quia in vno ſenſu omnis gratia dicitur *ſine qua* , nam ſine illa , homo non poteſt ſanctè operari . Sed gratia , ſeu auxilium, *ſine quo* , Auguſtini , intelligitur gratia illa, quæ concederetur voluntati , itaut voluntas ea vteretur, ſi vellet, & hanc dicit Auguſtinus ſoli Adamo innocenti datam : ego autem dico, quòd gratia , *ſine qua*

Omnis gratia dici poteſt ſine qua .

qua, quæ dicitur sufficiens, in natura lapsa est diuersa ab illa Adami, vt dicam postea.

125. Adu. 2. sic declarari hæc vocabula, eorumque significata à S. Augustino in *lib. de Correp. & Gratia cap.* 12. at nota, quòd pro eodem sumimus *gratiam* actualem, & *auxilium*, siue *adiutoriũ*. Dicit ergo S. Doctor, *Itemque ipsa duo adiutoria distinguenda sunt. Aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adiutorium, quo aliquid fit*, & exemplificat hoc modo. *Nam sine alimento non possumus viuere; nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit, vt viuat, qui voluerit mori. Ergo adiutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit, vt viuamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cùm ei data fuerit, continuò fit beatus. Adiutorium est enim, non solùm sine quo non fit, verum etiam quo fit id propter quod datur. Qua propter hoc adiutorium, & quo fit est, & sine quo non fit; quia, & si data fuerit homini beatitudo continuò fit beatus; & si data numquam fuerit, numquam erit: Alimenta verò non consequenter faciunt, vt homo viuat; sed tamen sine illis non potest viuere*: & in eodem capite dat exemplum de his gratijs, seu adiutorijs in Adamo pro statu innocentiæ, in quo habuit auxilium *sine quo* non poterat in gratia innocentiæ perseuerare, & Dei præcepto obedire; at non habuit auxilium *quo* perseueraret, ac obediret, idest quo infallibiliter perseueraret, ac obediret antequam peccaret: Eius verba referam. *Primo itaque homini datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueratet; sed sine quo liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerãtię datur; sed tale, vt perseuerantia ipsa donetur; non solùm, vt sine illo per-*

Declaratio auxilij sine quo, & quo per Aug.

Aug. exempla de his auxilis in Adamo.

perseuerantes esse non possent; verum etiam, vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. At addendum, quòd cùm Adam post primum inobedientiæ peccatum, quo totum genus humanum infecit, 930. annis vixerit, & saluatus fuerit, & antecedenter multa bona opera fecerit; iuxta Augustini doctrinam dicere oportet, quòd tàm in his operibus faciendis, quàm in perseuerando vsq; ad mortem nō solùm sufficiens, *sine quo* sicut nos nūc habemus, sed auxilium *quo* faceret, habuerit; quod quidem tale fuit, vt, & sine eo illa opera non faceret, nec perseueraret, sed, & *quo* faceret, ac perseueraret, quod iuxta modernum loquendi modum idem significat, ac dicere, habuit in ijs faciendis auxilium sufficiens, per quod posset facere, ac efficax, *quo* faceret.

Adamo innocenti datum fuit auxilium sine quo.

Nunc sanctis datur auxilium, quo.

126. Adu. 3. quòd supposita hac Augustini doctrina insurgit nostri quæsiti dubium, an admittenda sint in statu naturæ lapsę hæc duo auxilia, seu gratiæ actuales, quarum vna dicatur *sine qua non* quis nec perseuerare potest in bono vsque ad exitum, nec sine ea potest bonum operari, ac à malo abstinere: insuper & alia gratia dicta, *qua*, seu auxilium *quo* faciens infallibiliter operari. An verò admittenda sit sola gratia *qua*, seu auxilium *quo* continens illud *sine quo*; vtrumque cum suis effectibus diuersis admittendum dicemus.

Quæsiti sēsus.

127. Adu. tandem quòd cùm gratia, & auxilium *quo* idē sit, ac efficax, quod nempe habet annexum opus, ad quod datur; nullus negabit dari auxilium *quo*, & *sine quo*: at cum hac differentia; quia aliqui moderni docent omnem gratiam, seu omne auxilium datum à Deo ad operandum bonum, & ad abstinendum à malo secundùm se esse

Differētia inter auxilium, sine quo, & quo.

esse *sine quo* opus fieri non potest, & alio vocabulo dictum *sufficiens*, & à consensu voluntatis fieri *quo*, seu efficax. Alij autem Augustini Discipuli docent, dari quidem auxilium *sine quo* multoties separatum ab auxilio *quo*, quod dicitur *sufficiens*. vt in *cap.4.* dictum est: & insuper dari auxilium *quo*, dictum *efficax*; verùm non fieri tale per hominis voluntatem; sed ex natura sua sit tale à Deo factum, vt ipsum alliciat, delectet, atque suauiter trahat voluntatem, & faciat facere: & istud est *quo*. His positis

Duæ opiniones, vnde habeat auxilium, vt sit quo, seu efficax.

128. Dico primò. Admitti debet *gratia sine qua*, seu *auxilium sine quo*, opus bonum fieri non potest.

Admittenda est gratia sine qua non.

129. Prob. 1. Huc collimat tota disputatio Augustini cum Pelagio de necessitate gratiæ, sine qua nullum opus bonum fieri potest: & hoc dogma definiuit Ecclesia, vt in cap. 4. dictum est, & ampliùs in suo loco patebit: ideò post Pelagianos, nemo negauit necessitatem gratiæ ad opus bonum; nec vllus affirmauit sine gratia fieri posse opus bonum; sed inter aliquos cœpit esse controuersia de virtute, ac potestate gratiæ, seu auxilij *sine quo non*, an ipsum trahat voluntatem ad faciendum, & faciat facere: an è contra voluntas trahat ipsum, vt secum operetur, & sic euadat efficax, quasi à voluntate dependeat efficacia.

130. Prob. 2. ex Saluatoris oraculo Ioannis 15. 5. *Sine me nihil potestis facere*. S. August. tract. 81. in Ioan. ait. *Ne quisquam putaret saltem paruum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre: cum dixisset. Hic fert fructum multum; non ait, Quia sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere: siue ergo parum, siue multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest*: & post

Ex S. Scriptura.

Ex August.

aliqua ait: *Verum quia ita sine ista gratia non potest viui, vt & mors in potestate sit liberi arbitrij*. Igitur admittenda est gratia, sine qua homo nequit bonum operari, vel ad iustificationem se disponere, vel in bono perseuerare, vel à malo recedere: & in hoc sensu omnis gratia ad benè operandum necessaria, siue sit tantùm præueniens, siue etiam adiuuans, seu subsequens, & efficax, dici potest *sine qua* homo non potest operari benè, & sanctè; & de hac non est quæstio.

Omnis gratia dici potest sine qua non.

131. Dico 2. Si sermo sit de gratia illa *sine qua non*, cui non semper est coniunctus effectus, debet etiam admitti tamquam necessaria saltem in actu primo ad benè operandum.

Alia gratia sine qua nō admitti debet.

132. Prob. & declaratur. Diximus in *cap.4.* quòd admittenda sit gratia quædam non efficax, dicta vulgò *Sufficiens*, quia non habet coniunctum effectum principalem, v.g. gratia præueniens, seu excitans, illuminans, & inspirans, quam homo non sequitur, vt de innumeris, quibus prędicauerunt Prophetæ, Apostoli, & ipse Christus manifestum est ex Sac. Tex. Gratia illa, gratia est, quia vocatio diuina intus gratis loquitur, illuminat, ac inspirat, & sine ista nemo benè operatur; loquendo enim de vocatione ad fidem, dicit Apostolus Rom. 10. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo audient sine prædicante?* &c. Igitur, sine prædicatione externa, cum excitatione interna, quæ ex diuina misericordia ei coniuncta est (vt in eo capite diximus) non potest homo credere: & sic de alijs bonis operibus dicendum; quia sine præueniente, seu excitante gratia, qua paratur voluntas à Domino, non potest vllum opus bonum fieri.

133. At non sēper illis pręuētionibus, ac excitationi-

tionibus ſunt coniuncti effectus principales, ad quos eliciendos fiunt excitationes, vt de prędicationibus Prophetarum, Apoſtolorum, & ipſius Christi patuit: ergo iſta gratia, ſine qua non poteſt fieri effectus, licet non ſemper fiat, & in vim ipſius; admittenda eſt, vt in citato cap.4. dictum eſt abundè.

134. Dico 3. Gratia *ſine qua* ſimilis collatæ Adamo, eiuſque voluntati commiſſę, per quam ſi voluiſſet perſeueraſſet in iuſtitia, & alia bona opera feciſſet in ſententia S. Auguſtini pro ſtatu naturę lapſæ, non datur ſicut illa, ſed alterius qualitatis, quæ ſatis non eſt, vt homo per eam bona opera faciat, aut perſeueret in bonis. Qualis gratia ſine qua non admittitur à S. Aug.

135. Declaratur primò, & poſtea probabitur. Dicit S. Auguſtinus, quòd Adam ſolus habuit talē gratiā, vt ſi voluiſſet nō peccaſſet, ſed in bono perſeueraſſet, & hæc erat *ſine qua* Adami: quia ſine illa non poterat in bono perſeuerare, & in arbitrio eius erat ea vti, quia Deus, quaſi dependenter ab eius arbitrio eam dare paratus erat; ſed poſt lapſum, nec ille, nec alij aliam ſimilem habuerunt, nec habent, ſed aliam ſine qua homo non poteſt operari, ideſt ſufficientem: hoc poſito ex mente Auguſtini.

136. Prob. ex eodem, qui *in lib. de Correp. & Gratia*, cap. 11. & 12. totam hanc materiam declarare videtur, docens ſoli Adamo hoc genus gratiæ datum; nunc autem non dari vlli homini. In cap. 11. ſic habet. *Tale quippè erat adiutorium, quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet; quo non fieret, vt vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam. Sed hæc eſt potentior in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, vt homo habeat iuſtitiam, ſi velit. Secunda ergo plus poteſt,* Ex Auguſt. locis. Clara Aug. mens.

 qua

qua etiam fit, vt velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntas spiritus vincat. Tunc ergo dederat Deus homini bonam voluntatem; dederat adiutorium, sine quo non posset in ea permanere, si vellet; vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio : & post aliqua. *Vt in bono permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omninò non posset, & accepit posse si vellet, sed nō habuit velle, quod posset. Posset perseuerare si vellet, quod vt vellet de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, vt benè velle posset, & malè. At homini post lapsum tantò amplius datur per Christum, quibus Deus dare placuit; vt non solùm adsit sine quo permanere non possumus etiam si velimus, verum etiam tale, & tantum, vt velimus* : & in cap. 12. dicit. *Vt ergo non acciperet hoc donum Dei, idest in bono perseuerantiam primus homo; sed perseuerare, vel non perseuerare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vlla fuerat instituta peccato, & nihil ex seipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tantæ bonitati, & benè viuendi facilitati perseuerandi committeretur arbitrium. Nunc verò posteaquam est illa magna, peccati merito, ammissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas. Ac per hoc nec de ipsa perseuerantia boni voluit Deus Sāctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui ipsis non solum dat adiutorium, quale primo homini dedit sine quo nō possint perseuerare si velint; sed in eis etiam operatur & velle; vt quoniam non perseuerabunt nisi & possint, & velint; perseuerandi eis possibilitas, & voluntas diuinæ gratiæ largitate donatur*: & modum assignat. *Tantum quippè Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, vt ideò possint, quia sic volunt, ideò sic volunt, quia Deus operatur, vt velint.*

Cur Adam cum solo auxilio sine quo poterat, si vellet in bono perseuerare.

Quale adiutorium nūc est homini necessariū.

Con-

137. Confirmatur ex eodem ibidem, vbi rationem assignat, cur Deus non eodem modo, quo in Adamo innocente, cum gratia *sine qua non* concurrat cum homine ad benè operandum, & in bono perseuerandum, relinquens, seu committens libero eius arbitrio, vt ea vtatur, si velit, inquiens. *Nam si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei sine quo perseuerare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, vt vellent, inter tot, ac tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseuerare non possent; quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent*: & misericordiam Dei in naturam lapsam, ac infirmam commendans, ait. *Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt à diuina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideò quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Ita factum est, vt voluntas hominis inualida, & imbecilla in bono adhuc paruo perseueraret per virtutem Dei, cum & voluntas primi hominis fortis, & sana in bono ampliore non perseuerauerit*: addens. *Fortissimo quippè* (Adamo) *dimisit, atque permisit facere, quod vellet: infirmis seruauit, vt ipso donante inuictissimè, quod bonum est vellent; & hoc deserere inuictissimè nollent*: igitur sola gratia *sine qua non*, idest illa Adami dimissa, seu ammissa voluntati humanæ, vt ea vtatur, si velit, sicut Adam, ex Augustino pro natura lapsa non est admittenda, vt opus fiat, sed alia, sine qua non opus fieri non possit, nempe sufficiens.

Modus operandi per gratiam.

Cur Deus non dat homini eamdem gratiam, quam dedit Adamo.

CAP.

CAPVT VII.

An detur, & quæ sit gratia qua, *seu* auxilium quo *opus bonum fit de facto.*

Sensus quę siti, vt tollatur ęquiuocatio.

138. Adu. hoc esse aliud ex præcipuis huius materiæ quæsitis à S. Augustino, sicut præcedens excitatum. Ad tollendam autem ęquiuocationem (eo quòd omnis gratia, seu omne auxilium cum quo opus bonum fit, dici potest auxilium *quo*) sciendum, quòd, vt in præcedenti capite dictum est, in sententia S. Augustini, gratia *qua*, seu auxilium *quo* dicitur, estque illa gratia, quæ ita allicit, ac delectat, atque trahit voluntatem ad opus bonum faciendum, vt non solùm det ei posse facere, sed faciat infallibiliter facere; & respectu voluntatis ex S. Augustino se habet vt sessor ad equum. Hæc est gratia *qua*, seu auxilium *quo*; quæ est etiam *sine qua* opus bonum non fit; quia ipsa facit, vt voluntas omninò ipsum opus bonum faciat, ad differentiam alterius gratię sine qua, idest sufficientis, per quam homo potest, sed non facit: & hac gratia ait Augustinus indiget homo, vt opus bonum faciat, & ad iustificationem disponatur; & vt in iustitia accepta perseueret, tentationes graues superet, atque à malo abstineat. De hac ergo loquimur.

Gratia qua Aug. quę sit

Gratia qua ex August. admittẽda.

139. Dico ergo. Iuxta sententiam S. Augustini (Gratiæ Doctoris) admittenda est gratia *qua*, siue auxilium *quo*, talis naturæ, & qualitatis, vt non solùm sine illa voluntas nec faciat, nec facere possit in actu opus bonum; sed ipsamet gratia operatur, ac facit, vt voluntas illud faciat, & nisi ista adsit, non faciet.

Prob. 1.

140. Prob. 1. ex dictis in præcedenti Capite, vbi nedum hoc docere Augustinum vidimus; sed & rationem valdè claram adducere, nempe, quia Adam, qui sanctus, & rectus sine concupiscentia, aliaue culpabili passione creatus est, & sola gratia, seu auxilio *sine quo* præditus, in iustitia non permansit; sed ad solam vxoris vocem Dei præceptum transgressus est, eoque auxilio *sine quo* vsus non est, sed potiùs abusus; quomodo homo (ipseque Adam post lapsum) tot passionibus, ignorantiæ præsertim, & concupiscentiæ, onustus, posset passiones istas validissimas actu vincere, & gratia illa sine qua, seu auxilio sine quo solo vti, vel de illo cogitare, caligine ignorantiæ hallucinatus, & à calore concupiscentiæ illectus, ac distractus? Certè, fateor cum Augustino, non video quomodo fieri hoc possit. Audiamus Paulum ad Gal. 5. 17. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis.* Audiamus iterum eumdem loquentem ad Rom. 7. 18. *Velle adiacet mihi; perficere autem bonum non inuenio. Non enim, quod volo bonum hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meę, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* & statim respondet sibi, assignans liberatricem, *Gratia Dei per Iesum Christum*, ad actu faciendum: hæc gratia meo videri alia dici nequit, quam gratia *qua* actu bonum fit. Sic enim discurro: dicit se intelligere bonum,

Ratio Aug. valida.

Ex Pauli testimonio

Dolet Paulus de infirmitate naturæ.

num, quod agendum erat: ecce excitatio, & illuminatio intellectus: dicit, se velle bonum illud intellectum, ecce inspiratio, & inflammatio voluntatis: at dicit, se non posse bonum illud perficere, idest, actu facere, ob repugnantiam legis membrorum; igitur gratia excitans, seu præueniens, *sine qua* satis sibi non erat ad actu superandam concupiscentiam, vt bonum intellectum, aç volitum perficeretur; & dicit hoc se habiturum à Gratia per Christum; igitur agnoscebat gratiam illam, quæ facit facere, nempe gratiam *qua*, scilicet allicientem, & trahentem voluntatem; & ab hac miseria se liberandum prædicabat; non ab illa *sine qua*, quæ à voluntate sic occupata, & distracta à carnis, seu membrorum concupiscentia erat, vt ita dicam, trahenda. Si autem Paulus vas electionis à Deo singulariter electus, illuminatus, & edoctus, tantam experiebatur difficultatem ad faciendum bonum, iam cognitum, & volitum per gratiam illam sine qua, illuminantem, ac inspirantem, & alia gratia eum liberante, se indigere cognoscebat, ac fatebatur; quid dicam de me misero, alioue mei simili, aut peiore illuminato, ac inspirato ad faciendum bonum, tot tamen concupiscentiarum miserijs implicito; quomodo, inquam ego, aut illi ad bonum exequendum deueniemus, nisi gratia potentior faciens facere, nempe quę nos per passionum concupiscentiæ victoriam liberet, bonum facere, vel à malo abstinere, aut in bono perseuerare faciat?

Authoris discursus ex Apostoli principijs.

Illatio euidens dari gratiam, qua, vt fiat opus boni.

141. Prob. modò aliquibus S. Scripturæ locis. Saluator Ioann. 6. 44. audiens turbas murmurare de illo, quia dixerat, *de Cœlo descendi*, & in eum non credebant; quasi rationem reddens cur

cur non crederent, ait. *Nolite murmurare in inuicem. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me traxerit eum.* Igitur gratia *qua*, seu potentior illa *sine qua*, & quæ trahit, est necessaria, vt quis ad Christum per fidem accedat. Glos. ord. ibi ait. *Tractio hæc non est violentiæ, aut necessitatis, nec inuiti, sed voluptatis, & desiderij, vnde dicitur trahit vnumquemque sua voluptas: si ergo in his, in quibus non est vera dilectio trahitur homo amore, & desiderio, quanto magis trahitur aliquis vehementi delectatione, cui reuelat Pater:* &c. Lyr. ibi assignat rationem cur sit necessaria tractio, inquiens, *nihil enim potest ascendere ad id, quod est supra naturam suam, nisi ab alio trahatur; sicut lapis non potest sursum ascendere, nisi per motum alterius; fides autem formata Charitate, est supra naturam; ideò ad eam nemo potest venire, nisi à Deo trahatur.* Hæc Lyr. Non ergo voluntas trahit, vt sic dicam, gratiam; sed è contra gratia trahit voluntatem. Hanc dicimus, *qua*, & hanc esse necessariam ad bonum actu faciendum; sed cum libertate, & delectatione trahit.

Ex locis S. Script.

Trahitur homo per gratiam.

Quare trahi debet.

142. S. August. *tract. 26.* in Ioann. prolixo discursu locum istum ad rem nostram explicat: aliqua tamen breuiter ex illo excipiam. *Nemo venit*, &c. *nisi Pater traxerit eum. Magna gratiæ commendatio. Nemo venit, nisi tractus; quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat; noli velle iudicare, si non vis errare. Semel accipe, & intellige. Non traheris; ora, vt traharis.* Deinde declarat, quòd tractio illa non necessitat, nec violentiam facit. *Quid hìc dicimus fratres, si trahimur ad Christum, ergo inuiti trahimur, ergo inuiti credimus, ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. Credere non potest,*

S. August. discursus de hac tractione.

 nisi

nisi volens, & post multa. *Noli cogitare, te inuitum trahi: trahitur animus, & amore. Forsitan in hoc Euangelico verbo reprehendamur, & dicatur nobis, quomodo voluntate credo, si trahor? ego dico, parum est voluntate; etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cælestis. Porrò si poetæ dicere licuit, trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio: quanto fortiùs nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum est Christus*: & post alia multa. *Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur; & quod currit trahitur; amando trahitur, sine læsione corporis trahitur. Si ergo ista, quæ inter delicias, & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt, trahit reuelatus Christus à Patre; quid enim fortiùs desiderat anima, quàm veritatem*. Ecce qualis est gratia, quæ facit credere, & accedere ad Christum; gratia trahens, non tracta: Gratia talis roboris, qua opus fit, & sine qua non fit, non illa tantùm *sine qua* fieri non potest, at per eam non fit. Sed talis est gratia *qua* trahens, vt non imponat voluntati violentiam, aut necessitatem, sed suauitatem, dulcedinem, ac delectationem, qua voluntas allicitur ad faciendum opus fidei, charitatis, pænitentiæ, vel aliud simile præcepti, aut consilij opus. Consideremus Martires: quid nam potuit eos adducere ad suscipiendum martirium, nisi gratia potens, ac trahens? Consideremus infideles, siue Gentiles, siue Turcas, siue Iudæos, siue etiam Hæreticos natos, educatos, & instructos in

Gratia non necessitat, non facit violentiam sed delectationem.

Exempla aliqua.

Ista gratia trahit martires.

Ista infideles ad fidē.

in illis Sectis, quas eorum maiores mordicùs ad vſque vitę finem tenuerunt, & illorũ multi pro earum defenſione ſanguinem effuderunt; quid, vel quis poteſt eorum aliquem ab aliqua illarum Secta auellere, niſi potentiſſima, & efficaciſſima Dei gratia *qua* eum trahens, & velut diſcerpens à peſtifera illa radice, cum delectatione tamen, & plena libertate per gratiam roborata? Conſideremus meretrices tot annis in luto libidinis immerſas; quid, vel quis poterit eas è luto illo euellere, niſi trahens gratia? Et ita de quolibet vitiorum genere, in quibus multi volutantur, & in eis inueterati ſunt; quis, aut quid à luto illo ſegregabit, niſi potentiſſima gratia *qua* ſuauiter eos trahens? Sic eſt, ſic fateor: ſi enim voluntati hominis committeretur diſpoſitio gratię, puto, quòd niſi quis eſſet in gratia confirmatus, & dominus paſſionum ſuarum effectus, numquam ea vteretur: Paſſiones etenim concupiſcentiæ, cùm potentiſſimæ ſint, ſenſibuſque dominentur, ita præualerent, vt numquam ſinerent infælicem animam de bono ſpirituali cum applicatione cogitare, illudque amare, aut deſiderare. Conſideremus ſapientiſſimum Salomonem. Conſideremus innocentiſſimum, rectum, ſine paſſionibus vllis, gratia habituali, iuſtitia originali, auxilio *ſine quo non*, munitum Adamum; & nihilominus lapſum, quia ſuæ voluntati erat commiſſa gratia, ſeu auxilij diſpoſitio: & concludamus, quam fiduciam poſſet de ſe habere homo lapſus, infirmus, arbitrio debilitatus, ignorantia, & concupiſcentia grauatus, ſi ſibi gratiæ diſpoſitio committeretur.

Iſta trahit meretrices ad continentiam.

Quarè non potiùs voluntas trahit gratiã.

143. Prob. 2. ex alio famoſo Pauli dicto Rom.8.14. vbi exagerans miſeriam hominis cir-

ca carnis concupiſcentiam, & monens per ſpiritum eſſe mortificandam, ait. *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*. At quia ſciebat, vt ſæpè docuit, id fieri non poſſe, niſi per Dei gratiam; Deumque per eam, & cum ea operantem, innuit, non qualemcumque gratiam ab hominis arbitrio dependentem, & *ſine qua*; ſed gratiam trahentem, ſeu allicientem liberum arbitrium, ſeu *qua* hoc efficere, ſeu carnem mortificare; & eam ad id efficiendum, filijs Dei concedi, quaſi diceret, aliter illam non mortificarent, inquiens. *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei*. Gloſ. ord. *aguntur*, inquit; *Plus eſt agi, quaſi vix aliquid agentem, quàm regi, quaſi iam aliquid agentem, qui ideò regitur, vt rectè agat. Sed aguntur: non quod nihil per ſe; ſed quod vix, vt aliquid agant, impetu gratiæ impelluntur*.

Argum. validum ex Rom. 8.

Per gratiã homo agitur.

144. S. Auguſt. hunc locum expendens in ſer. 13. de Verb. Apoſt. ait. *Dicet mihi aliquis, ergo agimur, non agimus. Reſpondeo. Imò agis, & ageris, & tunc benè agis, ſi à bono ageris: ſpiritus enim Dei, qui te agit, adiutor eſt agentibus. Nemo autem agitur, ſi ab illo nihil agatur. Spiritus enim adiuuat infirmitatem noſtram*: & in lib. de Corr. & Grat. cap. 2. dicit. *Intelligant ſi filij ſunt, ſe ſpiritu Dei agi, & quod agendum eſt, agant; & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim, vt agant, non quod ipſi nihil agant; & ad hoc eis oſtenditur quid agere debeant, vt quando agunt, ſicut agendum eſt, cum dilectione, & delectatione iuſtitiæ ſuauitatem, quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant*. In tractatu de Pugna animæ, ait. *Quotquot ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei. Non ſunt filij Dei, ſi non agun-*

S. Auguſt. diſcurſus in hunc locum.

Multa Auguſt. loca.

aguntur spiritu Dei; si autem spiritu Dei aguntur; pugnent, quia magnum habent adiutorem. Non enim Deus sic nos expectat pugnantes, sicut populus venatores. Populus venatori fauere potest; periclitantem adiuuare non potest. Sic ergo, & hic caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem: & quid est, vt non ea, quæ vultis faciatis? hic enim periculum est, &c.

145. Prob. 3. alio eiusdem Pauli dicto ad Philipp. 2. 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Interl. *operatur,* ait, *bonum.* Glos. ord. *Deus operatur,* inquit. *Nos volumus: sed Deus operatur in nobis, & velle, & operari. Hoc enim nobis, & credere, & dicere expedit; quia pium est, & verum, vt sic sit humilis confessio, & totum Deo detur. Per proprium enim arbitrium, nisi gratia illud adiuuet, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest.* Alius Apo. stoli locus notabilis.

146. S. August. in lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 9. considerans hęc, & pręcedentia verba Pauli, *cum timore, ac tremore vestram salutem operamini, Deus enim.* &c. docet optimè coniungi libertatem arbitrij cum Dei gratia *qua,* seu efficaci, sic. *Quando iubetur, vt operentur; liberum eorum conuenitur arbitrium; sed ideò cum timore, & tremore, ne sibi tribuendo, quod benè operantur, de bonis, tamquam suis extollantur. Tamquam ergo Apostolus interrogaretur, & diceretur ei, quare dixisti, cum timore, & tremore; horum verborum rationem reddit, dicens, Deus est enim, qui operatur in vobis; si enim timetis, tremitis, non extollimini, tamquam de vestris operibus bonis; quia Deus est, qui operatur in vobis.* S. August. consideratio super eum locũ.

147. Hunc eumdem locum Pauli, *Deus operatur in vobis velle, & operari,* eodem modo declarat

clarat Augustinus in sequentibus locis; manifestè docens, quòd gratia est, quæ facit, vt liberum arbitrium faciat bonum, quia Deus per eam allicit, & trahit illud, faciens operari bonum: ita *in lib. de Spirit. & lit. ad Marcellinum cap.* 2. initio, & *cap.* 33. initio: *in lib.* 22. *de Ciu. cap.* 1. *De Gratia Christi lib.* 1. *cap.* 4. 5. 10. & 25. *In quæstionibus super Exodum lib.* 2. *q.* 167. *Contra duas epistolas Pelagianorum lib.* 1. *cap.* 10. & 19. *lib.* 2. *cap.* 8. *In Enchir. cap.* 32. *lib. de Prædest. & Grat. cap.* 11. *lib. de bono Perseu. cap.* 13. In his ergo, & alijs locis, occasione declarandi præfatum Pauli locum, gratiam *qua* commendat, quę ita afficit voluntatem, vt non solùm sit *sine qua* opus bonum fieri non potest, sed *qua* fiat.

Alia Aug. probatio.

148. Alia supersunt loca præter allata in præcedenti Capite, omninò legenda, in quibus, & gratiam *qua* facientem facere commendat, & eam dicit pro statu naturę lapsæ esse necessariam, vt opus bonum fiat; sed etiam varijs phrasibus opus illius, & operandi modum simul cum libero arbitrio explicat, & quomodo Deus per eam id faciat. Omnium primò supponit in lib. de Corr. & Grat. cap. 14. *quod Deus magis habeat in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* 2. in epist. 107. quæ est ad Vitalem, ait. *Deus gratia præuenit hominis voluntatem; nec eam in cuiusquam inuenit, sed facit: & vocatione alta, atque secreta, sic agit hominis sensum; vt legi, atque doctrinæ accomodet assensum.* 3. in lib. 4. ad Bonifac. cap. 6. inquit. *Itane nondum euigilatis? nondum auditis? faciam, vt ambuletis, faciam, vt obseruetis; postremò faciam, vt faciatis. Quid adhuc vos inflatis. Nos quidem ambulamus, verum est, nos obseruamus, nos facimus; sed ille facit, vt ambulemus,*

Alia loca ex præcedenti capite sumenda.

Modus quo Deus per gratiam operatur cũ voluntate.

vt

vt obseruemus, vt faciamus. 4. in lib. de Grat. & lib.arb. c.16.dicit. *Certum est, nos velle, cum volumus; sed ille facit, vt velimus bonum. Certum est, nos facere, cum facimus, sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis*. Ibidem cap.17. ait. *Ipse, vt velimus, operatur incipiens; qui volentibus cooperatur perficiens*. In lib. de Corr. & Gratia cap.12. inquit. *Tantùm quippè Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, vt ideò possint, quia sic volunt; ideò sic velint, quia Deus operatur, vt velint*.

149. Alia plura eiusdem Sancti Doctoris dicta contestantur; quòd gratia Dei *qua*, facit, vt liberum arbitrium liberè opus bonum faciat; & non è contra, idest liberum arbitrium trahat, aut determinet gratiam, vt secum operetur. In epist. 107. *à Domino gressus hominis dirigentur, & gressus eius volet, vt intelligeremus, ipsam voluntatem bonam, qua incipimus, velle credere (quoniam Dei via, quid est, nisi fides recta) illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primum, vt velimus*. In lib.de Grat. & lib.arb. cap.5. ait. *Nisi donum Dei esset etiam ipsa nostra ad Deum conuersio, non ei diceretur Deus virtutum conuerte nos*: in cap. verò 4. dixerat ex Apostolo, *Contine teipsum; & tamen non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est; quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent, quod volunt. Quibus autem datum, sic volunt, vt impleant, quod nolunt*. In eodem cap.4. inquit. *Cum voluntas hominis conuenitur, & ei dicitur, noli vinci à malo, quid ei prodest, nisi gratia succurrente, fiat? Quod ipse Apostolus secutus adiunxit: nam, & cum dixisset, virtus pec-*

Alia plura Augustini dicta ad idem.

peccati lex: continuò subiecit, gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum: Ergo, & victoria, qua peccatum vincitur, nihil aliud est, quàm Domini Dei in isto certamine adiuuantis liberum arbitrium. In epist. 105. inquit. *Vita æterna etiam ipsa gratia nuncupatur; non ob aliud, nisi quia gratis datur; non ideò quia meritis non datur: sed quia data sunt ipsa merita, quibus datur. Intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur:* & ideò in lib. 13. de Trinit. cap. 10. de hac gratiæ pro gratia remuneratione loquens, dicit quod in *Psalmo* habetur, *dedit dona hominibus. Dona sunt merita nostra, quibus ad summum bonum immortalitatis, & beatitudinis perueniemus.*

Opera, & clara Aug. mens de virtute efficaci gratię qua.

150. Nec vmquam esset dicendi finis, si omnia Augustini referre vellem dicta, quibus gratiā *qua*, seu auxilium *quo* confitetur esse illam, *qua* Deus trahit liberum arbitrium, & facit bonum operari; omnia enim eius volumina, his plena sunt dictis. At pro coronide huius capitis, & omnium Augustini dictorum, vnum eiusdem addam, Augustini ingenio dignum in Hyponosticon contra Pelagianos, quamuis aliqui dicant non esse Augustini; tamen inter eius opera est: In lib. 3. post medium, ait, quòd *gratia circa liberum arbitrium se habet, sicut sessor ad iumentum;* & ex Sacra Scriptura id probat, & aptè declarat, & exemplis confirmat; quia ex psalm. 72. habetur: *Velut iumentum factus sum apud te, & sic liberum arbitrium comparatur iumento; Gratia verò sessori. Quia,* inquit, *sicut iumentum animal viuacissimum, vt dometur ad opus homini necessarium, de armento vagum apprehenditur, & incipit per curam domantis*

Postrema Aug. consideratio de gratię qua efficacia.

tis se ad eius perficere voluntatem; ita, & liberum arbitrium, quod vulneratum viuit in homine, gratia Dei apprǽbenditur de armento luxuriæ seculi, in quo sub pastore Diabolo vagabatur per incongruas voluntates: (pastorem diabolum dixi secundum Zacchariam 11. ò Pastor; & idolum) apprǽbenditur ergo gratia, vt dixi ad domandum liberum arbitrium; vt & malæ conuersationis deposita feritate, humilietur; & vt ad obediendum in opus Domino necessarium corrigatur; & ita per eius semper curam incipiat in Dei perficere voluntate. Sic enim iumentum illud, dum in viam dirigitur, sessoris manu regitur, vt iter rectum, siue leuiter, siue cursim secundum sedentis in se voluntatem possit incedere, quoad vsque ad locum perueniat destinatum: ita liberum arbitrium, dum in via, idest in Christo, qui est via, veritas, & vita, cæperit esse; gratiæ regimine regitur, vt in seruitio Domini, siue patientia Charitatis, siue feruente spiritu possit ambulare quoadvsque ad promissum Regnum Cælorum perueniat; ideò in Psal. 140. *dicitur, spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: & vt illud, cum aliquoties sub sessore pastum largioribus cibarijs incumbens fræno cursu extollitur, sessoris flagello cæditur, vt secundum eius ambulet voluntatem: similiter, & liberum arbitrium, dum homo gratiæ Dei immemor in prosperis efficitur, & tamquam de sui possibilitate gloriatus extollitur; eius flagello corripitur, cum in varijs tribulationibus, & afflictionibus paululú subiugatur; vt humiliatus homo in sua humilitate ad gratiæ recurrat auxilium. Sicut homo sedens in iumento, dum peregerit iter, quod incessit, dicit, feci hodie, vt puta, triginta milliaria, cùm, illo sedente, iumentum cucurrerit triginta milliaria; sed non ea cucurrisset, nisi à sessore, tàm directum in via, quàm gubernatum fuisset. Rectè ergo sessor,*

Cooperatio gratiæ ad uoluntatem cũ sessore ad æquum.

Aptissima comparatio, in qua gratię virtus elucet.

ſor, quem gratia figurat, dicit, feci triginta milliaria: ipſe enim fecit, quod iumentum facere fecit; & tamen vtriſque labor itineris imputatur. Ita & gratia, & liberum arbitrium peragit ſine dubio iter fidei liberum, dum Dei Chriſtianus facit præcepta; ſed non vt ſupra dixi ſine gratia dirigente, vel gubernante: Propter quod dicitur in pſalm. 36. *Dirige in conſpectu tuo viam meam; & à Domino greſſus hominis diriguntur*, &c. Non poterat aliud exemplum melius exprimere concurſum gratiæ, & liberi arbitrij ad opus bonum, & dominium ſuaue gratiæ ſupra arbitrium facientis illud facere, quàm exemplum ſeſſoris ſupra equum, dominantis eum, & facientis illum ambulare.

Gratiæ excellentia, & vigor ſupra voluntatem.

Et gratia cum voluntate operatur.

151. Ideò cognoſcens Auguſtinus dominium gratiæ ſupra liberum arbitrium, & quòd facit, vt arbitrium faciat, orabat ſæpè Deum, ex lib. 10. Confeſſionum cap. 29. *Domine iube, quod vis, ſed da quod iubes*; quem orandi modum etiam Angelicus Doctor Sanctus Thomas ſecutus, eo frequenter vtebatur. Re ſiquidem vera niſi Deus per gratiam traheret alliciendo humanam libertatem ad ſpiritualia opera peragenda; hæc ab ignorantia boni, & qualitatum, ſeu conditionum, ac vtilitatum eius obfuſcata; & à concupiſcentijs carnalibus, ſeu terrenis oppreſſa, puto quòd numquam ad ſpiritualia, ac ſupernaturalia aſpiceret; immò quotidiè, quolibet nouo concupiſcentię ſtimulo, in deteriùs prolaberetur, nec bonum aliquod *ſicut oportet*, operaretur. Hanc ergo gratiam *qua* facientem operari, quam S. Auguſtinus declarauit, & docuit, confiteri debemus; & hanc à Deo humiliter poſcere ſatagamus.

CAP.

CAPVT VIII.

Quinam secuti sunt Augustini sententiam de gratia qua, *ac auxilio* quo, *seu efficaci*.

152. ADu. non fore inutile quæsitum hoc ijs, qui veritatem in hac materia inquirunt, & S. Augustinum verè Doctorem Gratię sequi volunt, quem vniuersa sequitur Ecclesia: licet aliqui profitentes, verbo tenus, eum sequi, sic tamen explicant, vt in sententiam contrariam illum trahant. Propterea, quamuis, vt patuit, clarissimè loquatur, vt eius doctrina sana sit, & ita per 12. sæcula habita; vt tamen omnibus nostris saltem tyronibus pateat, quòd & Sancti, & Doctores, & Romani Pontifices, & Concilia approbata, eam, vt ab Augustino traditam, approbarunt; & si in ea difficultatem aliquam inuenerunt, de ea non curarunt, sed cum ipso S. Doctore, immò cum Apostolo Paulo ad altitudinem sapientiæ, & scientiæ Dei, & incompræhensibilitatem iudiciorum eius recurrerunt; *nec plus sapere, quam oportet sapere* voluerunt: Sic, & nos, ac Tyrones nostri nobiscum sentire, tenere, ac dicere debent.

Authoris intentio in hoc quæsito.

153. Adu. 2. quòd in hac materia de Gratia, in qua elucubranda tot lustra consumpsit S. August. hæc præcipuè docuit. Primò, contra Pelagium, & sequaces, quòd ad facienda opera bona, vt oportet, & ad salutem necessaria, vel vtilia, non sufficit homo cum suis viribus naturalibus, sed indiget auxilio; de quo puncto loquemur postea. 2. quod docuit contra Semipelagianos est, quòd Gratia sic necessaria non confertur

Pręcipua Augustini dogmata.

à Deo ex meritis hominis, sed gratis datur; de quo etiam puncto dicam postea. 3. quod docuit est, quod Gratia, quæ pro statu naturæ lapsæ est necessaria homini ad bona opera facienda, non est sicut illa, quæ data fuit Adamo in statu innocentię dicta *sine qua* subdita libero arbitrio illius, vt ea vteretur, si vellet, & quando vellet; sed est potentior illa, quæ facit facere opera bona, non trahenda à libero, sed trahens illud alliciendo, & dicitur gratia *qua*. Alioquin, inquit, non satis prouisum esset naturæ lapsę, vt benè actu operaretur. Si enim Adam sanctus, innocens, sine passionibus, & tot diuinis muneribus vallatus, & gratia *sine qua* vsus non est, quid faceret homo lapsus, debilis, tot defectibus ignorantiæ, & concupiscentiarum circumdatus? Hanc ergo gratiam docuit Augustinus necessariam ad benè operandum actu.

Necessitas gratiæ.

Quod detur sine meritis.

Et quod facit facere dicta qua.

154. Dico. Sententia Augustini de *Gratia qua*, meo videri, videtur approbata saltem implicitè à quibusdam Romanis Pontificibus.

Gratia quam docuit Aug. approbata à Rom. Pontif.

Prob. & declaratur *ly implicitè*. Romani Pontifices, Innocentius, Zosimus, Cęlestinus, & alij, quos initio primi Opusculi retulimus approbarunt doctrinam S. Augustini *de Gratia*; immò Hormisda in *epist.*70. in fine apertè, & claris verbis dicit, quòd *doctrina de Gratia, & libero arbitrio, quam sequitur Romana Ecclesia est illa, quam tradit Sanctus Augustinus in suis libris maximè ad Hilarium, & Prosperum*. Sed Augustinus in omnibus suis libris, & maximè ad Hilarium, & Prosperum, doctrinam tradit de *Gratia qua*, eiusque necessitate ad actu benè operandum, credendum, &c. eamque defendit scribens ad Hilarium, & Prosperum; qui ei scripserant, quòd quidam, nem-

Cęlest. Hormisda.

nempè Massilienses, de ea murmurabant, & impugnabant, tamquam nouam, doctrinam suam de prædestinatione ad gratiam, & gloriam sine meritis, vt in primo Opusculo vidimus: & mortuo Augustino, Cælestinus, vt ibidem diximus, in epistola ad Episcopos Galliæ, non solùm commendat S. Augustini doctrinam; sed miratur, quòd ipsi non compescant ora quorumdam contra S. Augustini doctrinam mussitantium. Reliquos Pontifices omitto: & sic arguo. Sancti Romani Pontifices, & collaudarunt, & acceptarunt pro tota Ecclesia Augustini doctrinam de Gratia explicitè; sed inter præcipua principia Augustini de Gratia, hoc est vnum, scilicet, de *Gratia qua*, seu de auxilio *gratiæ quo*, gratia nempè, quę facit facere, & satis non est pro natura lapsa illa, quam habuit Adam innocens, idest, *sine qua*; quia cum hac tantùm natura lapsa, non operaretur, bona opera: ergo hanc gratiam sub hoc nomine *qua*, seu auxilio *quo* implicitè approbarunt Romani Pontifices. Quòd verò hanc docuerit Augustinus necessariam ad actu operandum, in præcedentibus capitibus patuit.

Etiam post mortem à Cælestino defenditur August.

Clara Conclusio de approbatione Rom. Pont.

155. Confirmatur ex sequenti conclusione, quæ licet dicatur Concilij, est tamen Sedis Apostolicæ.

Approbat. à Concil. Arauf.

Dico 2. Concilium Arausicanum secundum contra Massilienses celebratum ann. Domini 529. cum instructione Sedis Apostolicæ in materijs de Gratia, & libero arbitrio hanc sententiam Sancti Augustini de Gratia *qua*, seu auxilio *quo* liberum arbitrium trahente, & faciente facere, secutum est, eamque sententiam tenendam definiuit; quod Concilium à Bonifacio 4. successore Felicis 4. fuit quoad omnia confirmatum.

Prob.

156. Prob. prima pars. In primo Capite habetur. *Cùm ad dedicationem Basilicæ conuenissemus, & de rebus, quæ ad Ecclesiasticã regulam pertinent, & inter nos fuisset spiritualis oborta collatio; peruenit ad nos esse aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio minus cautè, & non secundum fidei Catholicæ regulam sentire velint. Vndè, & nobis secundum authoritatem, & admonitionem Sedis Apostolicæ iustum, & rationabile visum est, vt pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus ex certis Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collata sunt, ad docendos eos, qui aliter, quàm oportet sentiũt ab omnibus obseruãda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, qui hucusque non sicut oportebat de Gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conueniunt, animum inclinare non differat.* Hæc sunt proemialia Concilij illius Prouincialis verba: ex quibus apertè concluditur, quòd Concilium illud, nedũ ex Sedis Apostol. auctoritate, sedente *Felice* 4. ea decreta ediderit, quę subsequũtur, sed quòd illamet decreta fuerint directa illis in Concilio congregatis Episcopis, vt ea subscriberent, ac promulgarent, & obseruari curarent. Puto fortasse, quòd hoc ab eis exigeret Pontifex, quia eorum aliqui aliter sentiebant. At quomodocumque sit: ea capitula, seu decreta, & canones erant Papę, vt ipsi fatentur. Videndum ergo, quid inter alia ad rem nostram contineant decreta illa, seu canones illi: ideò

Ex instructione Ro. Pont. Concil. hoc ea capita decreuit.

Concilium illud fatetur illa decreta esse Papę.

156. Prob. secunda pars, quòd scilicet Concilium hoc secutum sit sententiam Augustini de *Gratia qua*, seu *auxilio quo*, (necessario ad actu bene operandum) sibi ab Apostolica Sede insinuatam. In can. enim 3. habetur. *Si quis ad*

inuo-

inuocationem humanam gratiæ Dei dicit conferri, non autem gratiam facere, vt innocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ cap. 63. vel Apostolo Rom. 10. idem dicenti. Inuentus sum à non quærentibus me: palam apparui ijs, qui non interrogabant. In cap.4. habetur. *Si quis, vt à peccato purgemur voluntatem nostram, Deum expectare contendit; non autem, vt etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem Prou.10.* (iuxta 70.) *dicenti; Præparatur voluntas à Domino, & Apostolo Philipp. 2. salubriter prædicanti. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* In cap. 6. apertiùs rem tangit ostendens non voluntati gratiam, sed voluntatem gratiæ obedire, sic. *Si quis sine gratia Dei volentibus, credentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri; non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus per infusionem, & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur; & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit* (potiùs subigit) *gratiæ adiutorium, nec vt obediens, & humillimus ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti; Quid habes, quod non accepisti, & Gratia Dei sum id, quod sum.* In cap.9. habetur. *Diuini est muneris, cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia retinemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* In cap.18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quę non debetur, præcedit, vt fiant.* In cap. 23. habetur. *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. Quando*

Referũtur Conc. illius Canones.

Canon sextus.& clarior.

Item cap.9

Item c. 23.

do autem ita faciunt, quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod agunt; illorum tamen voluntas est illius, à quo præparatur, & obitur, quod volunt: alia plura capita necessitatem gratiæ concernentia in suis locis adducenda ex præscriptione Sanctæ Sedis sunt in eo Concilio statuta; omnia autem sunt 25. quę vt in S. Augustini operibus versato, patere potuit, omnia ex illis excerpta sunt: ea subscripsere vndecim Episcopi, quatuor Præfecti Prætorij Galliarum, & sex Consules. Eam ergo Augustini sententiam de gratia *qua*, seu auxilio *quo*, necessario ad actu faciendum opus bonum, & trahente, & alliciente voluntatem, & faciente, vt faciat opus bonum, ipsum Prouinciale Concilium Arausicanum, Papa præscribente, secutum est. Ipsum autem Concilium nullam aliam affert causam necessitatis huius gratiæ facientis facere, vt homo credat, diligat Deum, & alia bona opera faciat, *vt oportet*, nisi quia per Adæ peccatum humanum liberum arbitrium fuit debilitatum, & attenuatum, ideòque potentiori indigebat gratia, seu auxilio, quàm indiguerit liberum arbitrium Adæ forte, ac validum tantis donis, habituali, & originali præsertim gratijs præditum, & à nullo passionum, siue corporalium, siue spiritualium stimulo vexatum.

Omnia hęc capita ex S. August. excerpta sunt.

Quinam subscripserunt ea capitula Concilij.

157. S. Augustinum secuti sunt omnes Patres Sancti, atque Scholastici, quos initio primi Opusculi retulimus; omnium autem primi, Hilarius Arelat. Prosper, Fulgentius, & post plura sæcula ceteri ibidem relati. Tandem Scholastici, Magister sententiarum, Alexander Alensis, S. Thomas, S. Bonau. Scotus, cæterique germani eorum discipuli vsque nunc. Scholæ famosæ, Parisiensis,

Cæteri, qui S. August. secuti sunt.

sis, Louaniensis, & aliæ.

An autem ista ab Augustino prædicata gratia *qua*, seu auxilium *quo*, sit illa, seu illud, quod, & quę pro faciẽdo opere bono, vt oportet, fuerit, & sit necessaria, seu necessarium, aliàs nullatenus fieret, dicam infra.

CAPVT IX.

An Gratia actualis sit semper necessaria ad benè operandum.

158. ADu. 1. quòd homo in triplici statu considerari potest. Primò in statu infidelitatis. 2. in statu fidelitatis, & gratiæ habitualis, idest sine peccato. 3. in statu fidelitatis tantùm, sed in peccato. Ideò quæri potest, an homini in omni hoc triplici statu sit necessaria gratia actualis, seu supernaturale Dei auxilium ad benè operandum. In triplici statu consideratur homo.

159. Adu. 2. quòd opera bona, quæ potest homo exercere, duplicis generis sunt; quædam sunt merè naturalia, idest à solo lumine naturæ dictata, & facta absque vllo fine supernaturaliter, seu per fidem cognito, quæ scilicet faciunt infideles, quibus finis vltimus reuelatus, ac per fidem notus non est, vt v. g. succurrere alicui in necessitate existenti; esse gratum benefacienti; iustitiam exercere vim patienti, & alia similia, quæ lex naturæ cuilibet homini insita dictat; hanc enim quilibet homo in se experitur, *quia signatum est super nos lumen vultus Domini*, ait Dau. *psal*. 4. & ideò Ethnici etiam principes omnis nationis, vel ex se immediatè, vel ex consilio iurisprudentum multas bonas, rectas, ac iustas leges con- Genera operum, quæ potest homo exercere.

diderunt, quibus ignota erat vera fides, ac ſupernaturalis finis, ad quem legum earum obſeruantia dirigere potuerit. Quædam verò ſunt opera ſupernaturalia, quę nota ſunt per fidem; & propter finem vltimum per fidem notum fiunt, quæque ad finem illum conſequendum, & perpetuò poſſidendum fiunt; & hęc ſunt, quæ facienda ſunt, *ſicut oportet*; dicemus autem infra quid ſignificet hoc, *ſicut oportet*; & pro his agendis dicemus gratiam eſſe neceſſariam.

Senſus quę ſiti.

160. Adu. 3. quòd hic quærimus tantùm neceſſitatem gratiæ ad benè operandum, ideſt opera ad ſalutem, ſeu ęternam vitam conferentia: & abſtinemus à prolixa, & poſt S. Auguſtinum non ampliùs neceſſaria hiſtoria Pelagij negantis gratiæ internæ neceſſitatem ad opera ſalutis; ſed eam ſupponimus: & de gratiæ neceſſitate cum Sacra Scriptura, cum Sancta Sede, cum Concilijs, & cum Sanctis Patribus loquemur. Poſtea erit ſermo de qualitate, ſeu ſpeciebus operum, ad quæ eſt neceſſaria; & de qualitate etiam, ſeu ſpecie gratiæ ad ea facienda neceſſaria.

Ad bona opera gratia eſt neceſſaria.

161. Dico ergo. Ad opera bona ad ſalutem conferentia, non ſufficit ſola voluntas humana cum ſuis naturalibus viribus, ſed eſt ei neceſſaria actualis Dei gratia cum illa ea opera faciens: Eſt de fide.

Ex S. Scrip.

162. Prob. 1. ex Sacra Scriptura. *Ioann.* 15. Saluator ait, *ſine me nihil poteſtis facere*; S. Auguſtin. *tract.* 81. in Ioann. vt ſępè dixi inquit, *nec multum, nec parum, ſed nihil*. Concil. Arauſ. 2. ex præſcriptione Sedis Apoſtolicæ, vt initio ſe declarat in *cap.* 7. hunc Chriſti ſermonem ſic intelligendum decernit. *Qui dixerit nos poſſe bonum aliquod, quod ad ſalutem pertineat vitæ æternæ, per natu-*

naturæ vigorem cogitare, aut eligere, aut Euangelij prædicationi credere absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & credendo veritati; hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis, sine me nihil potestis facere: & postea in cap.9. iterum declarat illud dictum, & modum, quo per Christum, & cum Christo opera bona fiunt, inquiens. *Diuini est muneris cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia detinemus: quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Ex Concil. Arauſ.

163. Prob. 2. ex Cor. 3. 5. *Fiduciam autem talem habemus per Christum; non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*: Glos. ord. ait: *Commendat gratiam, quæ non datur secundum merita: sed efficit omnia bona merita*: & omnes Sacræ Scripturæ interpretes; omnes Patres, ac Doctores, & omnium maximè S. Augustinus infra referẽdus, & Concilium Arauſ.2. cap.7. hunc locum de necessitate gratiæ ad benè operandum interpretantur. Ex Apost.

164. Prob. 3. ex Romanorum Pontificum literis, ac decretis, quibus statuunt necessitatem gratiæ, seu diuini adiutorij ad opera bona ad salutem conducentia. Sic decernit Innocentius 1. in epistolis 24. 25. & 26. ita Celestinus 1. in epistol. 1. cap. 5. 6. & 8. Ita Gelasius in epistol. 1. cap.6. Ex Rom. Pont.

165. Prob. ex Concilio Africano cap.80. (hoc autem Concilium, vt notorium est, ita dicitur, quia est collectio omnium Conciliorum Prouincialium, quæ per quinquennium sub Cæleſtino, ac Bonifacio in diuersis Africæ Prouincijs celebrata sunt:) in præfato autem cap. 80. sic statuitur. Concil. Afric. quale sit.

tur. *Item placuit, vt quicumq; dixerit, ideò nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberũ iubemur arbitrium facilius possimus implere per gratiã, tamquam etiamsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine implere diuina mandata, anath. sit. De fructibus enim mandatorum loquebatur Dominus, vbi non ait sine me difficiliùs potestis facere: sed ait, sine me nihil potestis facere.*

Id definit.

166. Idem docuit Concilium Diospolitanum cap. 7. idem pariter Concilium Mileuitanum cap. 4.

Itẽ Conci. Diospolit. & Mileuit.

167. At Concilium Arausicanum secundum, vt in præced. capite dictum est, pluribus capitibus necessitatem, & modum operandi gratiæ cum libero arbitrio statuit, ac decernit ex præscriptione *Felicis* 4. vt initio testatur. At quoniam contra Faustum, & Massilienses, qui necessitatem gratiæ contra Pelagium admittebant (excepto initio fidei, vt postea dicam) supponentes Patres illi gratiæ necessitatem, de modo tantùm, quo cum libero arbitrio concurrit loquuntur. Ideò in *can.3.* statuit; gratiam facere, vt inuocetur à nobis Spiritus Sanctus: in *c.4.* statuit gratiam quoque facere, vt nos velimus à peccato purgari: in *cap.* 5. statuit, quòd etiam ad initium fidei est necessaria gratia: *in cap.6.* statuit gratiam facere, vt velimus credere, credamus, & alia bona opera, vt oportet, faciamus: in *cap.* 7. statuit, sine gratia nullum opus pertinens ad salutem fieri posse: & sic prosequitur vsque ad caput vltimum, in quo statuit, quòd etiam Patres tàm legis naturę, quàm scriptæ incipiendo ab Abel, & prosequendo per omnes Patriarcas, omnesque alios, quos enumerat Apostolus *Hebr.* 11. omnemque multitudinem, quæ in ijs legibus in

Concil. Arausi.

Omnia Concil. decreta pro necessitate gratię.

Deum

Deum credidit, eumque dilexit, non potuisse, nec credere, nec diligere, nec alia bona opera, *vt oportet*, facere sine auxilio gratiæ.

158. Tandem, vt alia omittam Concilia Prouincialia, Valentinum Secundum, Santonense, Moguntinum quartum, & alia similia, quæ de necessitate gratiæ sua ediderunt decreta, Concilium generale Tridentinum hanc necessitatem tàm in ordine ad iustificationem, quàm in ordine ad alia opera ad salutem pertinentia definiuit. Siquidem in sess. *6.* cap. 5. statuit *exordium iustificationis à gratia præueniente sumendum esse*: & quòd tali gratiæ liberè assentiendo ad eam homo disponitur: & quòd illuminationem, & inspirationem illam potest homo abijcere, si velit. *In cap.* 6. docet, quòd homines disponuntur ad iustificationem, *dum excitati diuina gratia, & adiuti*, liberè incipiunt credere, quæ reuelata, & promissa sunt, & Deum tamquam omnis misericordię fontem diligere incipiunt, &c. *In cap.* 10. agens de iustificationis incremento, docet, per bona opera cùm gratiæ adiutorio facta augeri; & ideò S. Mater Ecclesia petit à Deo, *da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augumentum*: addenda sunt alia eiusdem collectæ verba, *& vt mereamur assequi quod promittis, fac nos amare, quod præcipis*, quę necessitatem gratiæ indicant. *In cap.* 11. quod est de obseruatione mandatorum Dei ab ipsismet iustificatis, statuit Deum non præcipere impossibilia. *Nam impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adiuuat, vt possis*: & infra docet, quòd Dei mandata cum diuino auxilio obseruari possunt. In *can.* postea *primo* anathema dicit ei, *qui dixerit hominem suis naturalibus viribus sine diuina gra-*

Alia Conc. decreuerūt necessitatē gratiæ ad benè operandum.

Tandem ètiam Concil. Trid.

Docet Concil. ad omnia bona opera necessitatem gratiæ.

gratia per Christum iustificari posse. In *can*.2. dicit anathema ei, *qui dixerit diuinam gratiam per Christũ non esse necessariam, & dari, vt homo faciliùs iustè viuere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrũque, ægrè tamen, & difficulter possit*: in 3. dicit anath. ei, *qui dixerit, quòd sine Spiritus Sancti inspiratione, atque adiutorio homo possit credere, diligere, sperare, aut pænitere, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur*: in *can*. 4. dicit anath. ei, *qui dixerit, quòd gratiæ excitanti, vt quis ad iustificationem disponatur, non possit dissentire, si velit*: ergo de fide est Conclusio.

Per multas rationes id definit.

169. Quamuis autem, quæ hucusque dicta sunt ad gratiæ necessitatem pro benè operando adstruendam, & de fide tenendam, satis superque sint; quia tamen pro ea vnus pro omnibus singulariter, strenuèque laborauit, & contra aduersarios gratiæ, ac necessitatis eius pugnauit S. Augustinus; libet hìc referre aliquos peculiares libros, in quibus de hac materia peculiariter tractauit, licet in omnibus suis libris eam attigerit. Lòca autem eorum librorum adducam in sequentibus capitibus, cùm de operibus, ad quæ necessaria est gratia agam; & de effectibus illius, de subiectis capacibus, de concordia gratiæ cum libero arbitrio, & alijs eiusmodi punctis loquar. Libri ergo, in quibus ex professo probat necessitatem gratiæ ad benè operandum, & modum operãdi gratię, & eius effectus tàm in infidelibus, quàm in fidelibus in ordine ad iustificationẽ; & in iustis in ordine ad opera iustitię, respectiuè, sunt sequẽtes. *Liber de Gratia Christi*, constans ex capitulis 50. quem scripsit contra Pelagium, & Celestium inimicos gratiæ. *Liber de Perfectione iustitiæ homi-*

Libri in quibus peculiariter S. Augus. de gratia ex professo tractauit.

mi-

minis, constans ex capitulis 21. quem scripsit contra Celestij ratiocinia contra necessitatem gratiæ. *Liber de Gratia, & libero arbitrio*, constans ex capitulis 24. quem scripsit ad Valentinum, & Monacos Adrumetinos, quia vt ipsemet Sanctus dicit in *lib.2. Retract. cap. 66.* Monaci illi, sicut ad ipsum scripserant, timebant, quòd gratia illa *qua*, seu efficax, faciens facere, læderet liberum arbitrium; ideò in eo ostendit non sic esse, vt postea videbimus. *Liber de Correptione, & Gratia*, constans ex capitulis 16. quem, vt ipse dicit in *lib.2. Retract. cap.67.* scripsit ad eosdem Monacos Adrumetinos, eo quia dicebant, quòd si gratia talis naturæ esset, non essent corripiendi, qui Dei pręcepta non obseruant, sed solùm pro illis orandum esset, vt Deus gratiam illis tribuat *qua* faciat eos illa obseruare; demonstrans esse corripiendos, & quare. *Liber 1. de Prædestinatione Sanctorum*, constans ex capitulis 21. directus ad Prosperum, & Hilarium, in quo agit de Sanctorum electione æterna ad gloriam, & gratiam, sine meritorum præuisione; qui liber in Massiliensibus fuit causa, cur obloquerentur de S. Augustino, quòd noua, & inaudita doceret; qua de re scripsit ad eosdem Hilarium, & Prosperum librum secundum, qui inscribitur *De bono, seu dono perseuerantiæ*, constantem ex capitulis 23. in quo de materia gratię, & dono perseuerandi in ea ad salutem necessarijs tractat. *Liber de Natura, & Gratia* directus ad Timasium, & Iacobum continens capita 70. *Libri sex prolixi* contra Iulianum Pelagianum continentes capita 55. & alij plures tractatus.

Licet in omnibus ferè Operibus de illa egerit.

Rationes. & motiua scribendi eos libros.

170. Item plures epistolæ ad diuersos scriptę super materia gratię; nempè vna ad *Valentinum*,

estque

estque 46. quam præponit libro de *Gratia, & libero arbitrio*: altera ad eumdem, estque 47. quam præponit *Libro de Corr. & Gratia*: epist. 105. ad Sixtum *Præsbiterum*, qui fuit postea Rom. Pontifex, eaque prolixa, in qua diffusè de Gratia, eiusque necessitate agit: epist. 107. quę est ad Vitalem Cartaginensem, eaque etiam prolixa. Vir iste docebat, orandum non esse pro incredulis; sed ijs solùm legis doctrinam proponendam. Augustinus eum corripit, docens propositionem legis non sufficere ad eorum conuersionem, sed necessariam etiam esse Dei gratiam, plures in ea assignans regulas huius materiæ.

Epist. plures de eadem materia.

Motiua scribendi epistolas.

171. Pręter hos libros, in quibus ex professo agit de necessitate Gratiæ ad operandum sanctè, seu *sicut oportet*; in alijs ferè omnibus suis operibus sparsim de ea loquitur, aliquando de necessitate ad omnia opera bona conducentia ad salutem in genere, aliquando de necessitate eius ad specifica quædam: aliquando de modo operandi gratię cum libero arbitrio; aliquando, & ferè semper, de collatione eius sine meritis, & de cęteris eiusmodi gratiam consequentibus; pro quibus in suis locis propria Augustini loca adducemus,

Alibi sępè de illa agit.

172. Sanctum Augustinum ante definitionem Conciliorum secuti sunt, in primis, eius coætanei Sancti Prosper, Hilarius, & Fulgentius, postea cęteri, quos retuli initio primi Opusculi; postea omnium Scholasticorum turba, totaque tandem Ecclesia. Quę de necessitate diuinæ gratiæ dixisse sufficiat. Sancta enim Mater Ecclesia hanc gratię necessitatem pro omni bono opere efficiẽdo Deum pro suæ diuinę gratiæ adiutorio in omni collecta Officij diuini, ac Missę exorat, præser-

ſertim autem *in Dominica octaua poſt Penthecoſtem*, clamans, *Largire nobis quęſumus Domine ſemper ſpiritum cogitandi, quæ recta ſunt propitius, & agendi: vt qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundum te viuere valeamus*. Per Chriſtum, &c.

Eccleſia ſemper orat Deum, vt nobis gratiam benè operandi largiatur.

CAPVT X.

Pro quibus operibus, & quibus conditionibus prædıtis ſit neceſſaria gratia.

173. ADu. 1. & recolo, quòd hìc ſemper loquimur de gratia actuali, ſeu auxilio diuino requiſito ad facienda opera bona. Quęrimus modò, quæ ſunt iſta opera bona, pro quibus faciendis eſt neceſſaria gratia, ſeu auxilium diuinum. 2. quales conditiones requirantur in ijs operibus bonis, vt Deus ad ea concurrat cum ſua gratia.

Senſus quęſiti.

174. Adu. 2. quòd opera bona, ſeu iuſtitię, quæ idem ſunt ex Sacro Textu, generaliter ſumpta, ſunt omnia opera legis diuinę, ſiue naturalis, & in corde ſcriptę, ſiue diuinæ poſitiuæ, ſiue eccleſiaſticę; ſiue opera conſiliorum, ſiue opera ſupererogationis. In ſpecie autem opera bona ſunt omnia virtutum, ſiue Cardinalium, ſiue Theologicarum, & omnium ſpecierum poteſtatiuarum ſub illis contentarum: de quibus ego egi in tomis duobus de virtutibus Cardinalibus, & Theologalibus: omnia ergo prę fatarum virtutum, legum, & conſiliorum opera ex genere ſuo, ſeu ex obiecto ſunt bona.

Quæ ſint opera bona.

175. Adu. 3. quòd vt opera iſta legum, ac virtutum ſint adæquatè bona, & ad ſalutē conferentia, debent eſſe facta *ſicut oportet*, & ad ea influit

Quid figni ficet, ficut oportet.

Paulus primò vfus eft ijs verbis.

Diuerfimodè locus Pauli explicatur; fed in fubftantia eodem modo.

fluit gratia diuina; quę doctrina fundamentum habet in cap. octauo verfu *16.* epiftolæ *ad Rom.* & hac phrafi vfus eft poftea S. Auguftinus, Concil. Arauf. 2. & tandem Concil. Trid. *feff.6.can.3.* vt de omnibus patebit. Paulus enim loco citato dicit. *Spiritus adiuuat infirmitatem noftræ operationis. Nam quid oremus ficut oportet, nefcimus; fed ipfe fpiritus poftulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem fcrutatur corda fcit, quod defideret fpiritus; quia fecundum Deum poftulat pro fanctis*: &c. Interl. *poftulat*, ait, *facit poftulare, & impetrare*. Cùm autem Concilia, vt dixi, & probabo, vtantur hac phrafi, ftatuendo neceffariam effe gratiam ad facienda opera bona, feu virtutum, ac legum, *ficut oportet*, videndum eft, quid importet, *ficut oportet*.

176. Adfi. igitur 4. quòd interpretes loci prętfati Apoftoli diuerfis loquendi formulis locum illum explicant; fed in fubftantia idem dicunt. Nam Interl. *vt oportet* dicit, vt *congruit*. Glofa Lyr. dicit, *vt ad falutem expediens eft*. S. Auguft. in lib. de videndo Deo ad Probam cap. 14. multis, & dignis fententijs docet, quid fit orare *ficut oportet*, & ex hoc opere faciendo, vt oportet, concluditur, quæ fint alia facta, vel facienda *ficut oportet*. Tunc dicit orari Deum ficut oportet, quando oratur, vt faciat, quæ fuæ placent voluntati. Sæpè enim, inquit, aliquis in tribulationibus carnis, aut fpiritus pofitus, orat Deum ab eis liberari: quia tamen, inquit Auguftinus, fępè Deus ad probationem, & meritum alicuius eas immittit, qui petit ab eis liberari, non orat ficut oportet; ideò ipfemet Paulus 2. Corint. 12. vexatus à ftimulo carnis dicit, *ter Dominum rogaui, vt auferretur à me*; & exauditus non fuit; fed

dixit

dixit ei Dominus, *sufficit tibi Paule gratia mea*, *quia virtus in infirmitate perficitur*. Orasset autem sicut oportet, si petens liberari dixisset, Domine aufer à me, sed fiat voluntas tua; vel si hoc cedit in gloriam tuam, sicut, ait Augustinus, fecit Christus *Matth. 26. Pater transeat à me calix iste; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*: *& exauditus est pro sua reuerentia*. Orare ergo, *sicut oportet*, est orare cum conformitate ad Dei voluntatem. Hinc concluditur, quòd facere alia opera, siue præcepti, siue consilij, siue supererogationis in quacumque virtute, *sicut oportet*, aliud non significat nisi facere illa cum omnibus circumstantijs honestis, & propter Deum, seu vt placeant Deo, præcipienti, aut consulenti, fiatque eius voluntas, sicut quotidie in oratione Dominica recitamus.

Orandum est, vt oportet.

Quid sit hoc.

177. De his autem alijs operibus faciendis *sicut oportet*, loquitur Augustinus in Enchir. cap. 121. inquiens: *omnis itaque præcepti finis est charitas, idest ad charitatem refertur omne præceptum. Quid verò ita fit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam charitatem, quã diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum fit, quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur. Quæcumque ergo mandat Deus, ex quibus vnum est, non mæchaberis; & quæcumque non iubentur, sed spirituali consilio monentur, ex quibus vnum est, bonum est homini mulierem non tangere, tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum. & proximum propter Deum*: sic Augustinus.

178. Adu. tandem, quòd vt supra dixi, & iterum infra dicam, bona opera, *sicut oportet*, ad quæ peragenda est necessaria gratia, reperiri possunt in homine in triplici statu constituto. Primò

Tres status hominum

in homine infideli illuminato, & excitato, vt ad fidem veniat, & per baptiſmum iuſtificetur, & in Hęretico illuminato, & excitato, vt ad Catholicam fidem conuertatur, & per pœnitentiam iuſtificetur. 2. in homine iam iuſtificato, ſed lapſo per peccatum, & illuminato, & excitato, vt ad Deum redeat per Sacramentum pęnitentiæ. 3. in homine iuſtificato, ac permanente in iuſtitia, ſed ſe exercente in obſeruantia præceptorum, vel etiam conſiliorum, vel in ſupererogatorijs: de his omnibus videndum eſt, an ad hæc opera exercenda *ſicut oportet*, ſit eis ſemper neceſſaria gratia.

In infideli adulto eſt neceſſaria gratia ad opera diſponētia ad iuſtificationem; ſed ſicut oportet.

179. Dico 1. In homine adulto infideli, vt conuertatur, & ſe diſponat ad iuſtificationem, eſt neceſſaria gratia præueniens, & adiuuans ad facienda *ſicut oportet*, illa opera, quæ ad iuſtificationem diſponunt, vt ſunt credere, diligere, ſperare, ac pęnitere: eſt de fide.

Ex Trid. expreſsè id definiente.

180. Prob. ex Concilio Tridentino expreſſis verbis totum hoc definiente. Nam *in ſeſſ.6. cap. 5.* ſic ſtatuitur. *Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur*, &c. In cap.6. habetur. *Diſponuntur ad ipſam iuſtificationem, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt, atque illud in primis à Deo iuſtificari impium per gratiam eius*, &c. *illumque tamquam omnis miſericordiæ fontem diligere incipiunt, & propterea mouentur aduerſus peccata; hoc eſt, per odium aliquod, & deteſtationem*, &c. Et poſtea in *Can.3.* ſic definit. *Si quis dixerit ſine pręueniente Spiritus Sancti*

Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.

181. Aliæ probationes, quæ de omni actu ad salutem necessario concludunt, infra adducentur; & sunt ad idem.

182. Dico 2. In homine adulto baptizato lapso in peccatum, siue heresis, siue quodcumque aliud, vt resurgat, & se disponat ad iustificationem, est necessaria gratia preueniens, & adiuuans: est de fide. In infideli peccatore, vt resurgat est necessaria gratia.

183. Prob. 1. argumento illo vniuersali, quòd ad omnem actum conducentem ad salutem, est necessaria gratia, vt infra patebit; hæc autem dispositio conducens ad iustificationem, conducit ad salutem, quæ sine illa haberi nequit: ergo.

184. Prob. 2. speciali argumento de se disponente ad Sacramentum penitentiæ, ex nuper citato *canone 3. sessionis sextæ* Concilij Tridentini; is enim de omni iustificatione loquitur, & de omni se ad eam disponente: in quo gratia est necessaria; & anathema dicitur asserenti oppositum. Ex preced. Conclus. ratio.

185. Confirmatur. Lapsis post baptismum est necessarium Sacramentum pænitentię, vt resurgant à peccatis, iustificentur, & Deo reconcilientur ex Concil. Trid. *sess. 6. cap. 1. & 2.* & Penitentię Sacramentum dicitur laboriosus quidam baptismus, & ex *can. 2.* dicitur *secunda tabula post naufragium*, idest peccatum; ideòque dispositiones multò plures ad hoc Sacramentum, & ad iustificationem in eo recipiendam requiruntur; nam requiritur contritio, siue perfecta, siue attritio; Sacram. penit. difficile, & naturæ viribus impossibile.

tritio; confessio, & satisfactio, prçter actum aliquem diligendi Deum, credendi, ac sperandi in eum: quæ quidem omnia difficilia sunt, & viribus naturæ improportionata; ideòque ad actus istos eliciendos gratia Dei præueniens, ac subsequens, seu adiuuans necessaria est. Immò, quod valdè notandum est, attritionem illam, quç est dolor peccati ob turpitudinem eius, vel ob metum gehennæ in præfata *sess.14.cap.4.* Concilium dicit, *esse Dei donum, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pænitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat*: ergo ad hos omnes actus peragendos, *sicut oportet*, vt per Sacramentum pænitentiæ aliquis iustificetur, est necessaria gratia.

Iusto ad obseruanda prçcepta, vt oportet, est necessaria gratia.

186. Dico 3. Homini Christiano iusto ad obseruanda Dei mandata, *sicut oportet*, & vt conducunt ad salutem, ac augumentum iustificationis, est necessaria gratia pro quolibet actu obseruantiæ: est de fide, sed declaratione indiget.

187. Declaratur ergo, & supponitur primò, quòd omnis homo, quantumuis sanctus, quamdiù est in via tenetur ad obseruandum diuina præcepta; & prob. ex Concilio Trid. *sess. 6. cap. 11.* dicente. *Quo fit, vt iusti ipsi eò magis se obligatos ad ambulandum in via iustitiæ sentire debent, quò liberati à peccato, serui autem facti Deo, sobriè, iustè, & piè viuentes proficere possunt per Christum Iesu*: & in fine adducit authoritatem Sancti Petri in epist. 2. cap.1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: & in cap.11. habetur. *Nemo autem quantumuis iustificatus, liberum se esse ab obseruatione mandatorum putare debet: Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathema prohibita voce vti, Dei præcepta homi-*

Omnis homo licet perfectus tenetur ad obseruanda Dei præcepta.

ni

ni iustificato esse impossibilia,&c. sed in *can.* 20. definit hoc de fide. *Si quis hominem iustificatú, et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ; sed tantùm ad credendum, quasi verò Euangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione obseruationis mandatorum, anath. sit.* Concil. Trid.

188. Declaratur secunda particula, *sicut oportet*; si enim quis mandata Dei obseruat ex fine vanæ gloriæ, vel alterius terreni, & mundani cōmodi, vt habeatur pro sancto, seu iusto, vel alio simili motiuo, non obseruat, *vt oportet*: tunc autem obseruare dicitur, *sicut oportet*, quando propter Deum, vel actualiter, ac explicitè cogitatum; aut saltem virtualiter, vel implicitè cogitatum, vel propter vitam æternam à Deo promissam mandata seruantibus, ea seruat; nam etiam propter eam potest homo operari, vt definit Concil. Trid. *sess.* 6. *can.* 31. Christus enim iis eam promisit Matth. 19. *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. His ergo explicatis Quid figni ficet, sicut oportet.

189. Prob. Conclusio de necessitate gratiæ pro obseruandis diuinis mandatis, ex Concilio Trid. sess. 6. cap. 10. vbi de acceptæ iustificationis incremento dicitur. *Sic ergo iustificati, & amici Dei, ac domestici facti euntes de virtute in virtutem renouantur, vt Apostolus dicit de die in diem, hoc est mortificando membra carnis suæ, exhibendo arma iustitię in sanctificationem per obseruationem mandatorum Dei, et Ecclesiæ in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis iustificantur, &c.* ideò *Sancta Ecclesia orat, Domine da nobis fidei, spei, & charitatis augumentum*: & sic in illa prosequitur collecta, *& vt mereamur assequi quod promittis, fac* Necessitas gratiæ pro obseruandis Dei mādatis. Ex Concil. Trid.

nos

nos amare, quod præcipis: igitur pro obseruantia mandatorum ad incrementum iustificationis, iusti indigent diuina gratia: quod confirmatur ex capite sequẽti eiusdem sessionis in quo definiens, vt supra vidimus, iustos non esse liberos ab obseruantia mandatorum Dei; nec asserendum, quòd iustis impossibilia sunt, subiungit, quod ad nostram rem facit, *Qui enim sunt filij Dei, Christum diligunt, qui autem diligunt eum, vt ipsemet testatur, seruant sermones eius, quod vtique cum diuino auxilio præstare possunt*. Et infra. *Qui liberati à peccato, & serui facti Deo, sobriè, iustè, & piè viuentes proficere possunt per Christum Iesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam: Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis deseratur*.

Plura Concil. loca.

190. Confirmatur ex Christi oraculo Ioann. 14. *Sine me nihil potestis facere*. Tunc autem, cum Apostolis iustificatis, eumque sequentibus, & sermones illius seruantibus loquebatur.

191 Prob. 2. Si quid obstaret, quin iusti in obseruandis diuinis præceptis non indigerent diuina gratia, seu auxilio actuali, esset, quia iusti habent gratiam habitualem, seu charitatem, quæ influit in actus illos obseruantiæ præceptorum Dei, & Ecclesiæ. Sed hoc non obstat: primò, quia, vt patuit, Concilium loquitur de iustificatis; & tamen dicit, eos per diuinæ gratiæ auxilium, & per Iesum Christum ea opera bona facere, 2. quia nullus purus homo iustior Adamo formatus est, qui nedum gratia, & charitate habituali, sed etiam iustitia originali præditus erat, sine vlla prorsus passione concupiscibilis, aut irascibilis, cum omni subiectione membrorum ad rationem, & rationis ad Deum; & tamen gratia ege-

Aliud arg. contra instantiam, quę fieri potest.

egebat ad obseruandum Dei præceptum non comedendi de ligno scientiæ boni,& mali;& quamuis gratiam *sine qua*, seu auxilium *sine quo*, etiam habuerit, quia tamen gratiam *qua*, seu auxilium *quo*, idest faciens facere non habuit, præceptum non seruauit. 3. quia gratia,seu charitas habitualis, quæ est forma iustificans, concurrit quidem cum voluntate ad actus bonos in ratione meritorij; at non sufficit ad faciendum, vt voluntas faciat; quia ipse habitus se habet modo quodam mortuo; neque ipse preuenit, illuminat,aut inspirat;alioquin id faceret in iusto sine intermissione, quod tamen iustus non experitur: immò redderet iustum perseuerantem, & inpeccabilem; quia continuò operaretur bonum: quę tamen non facit habitualis gratia. 3. si gratia habitualis sufficeret iusto ad operandum benè, & abstinendum à malo, iustus semper benè operaretur; immò semel iustificatus haberet donum perseuerantiæ; quia habitus gratiæ semper esset efficax, & permanens in anima, seu voluntate; nec opus haberet iustus orare Deum, *& ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*, quia haberet habitum efficaciter vtrumque effectum producentem: cuius contrarium docet Apostolus 1.Corinth.10. 12. *Qui stat videat, ne cadat*: & de seipso ait. *Vereor, ne cùm alijs prædicauero ipse reprobus efficiar*. Idem docet Concilium Trid.*sess.6.cap.*14.*&* 15. & ideò Christus Dominus instituit Sacramentum Pœnitentię pro reparatione lapsorum post baptismalem iustificationem; & dicitur secunda tabula post naufragium: & ex Cælestino 1.epist.1.cap.6. *Gratia Dei, quæ datur in Baptismo, & hominem renouat, non sufficit ad superandas tentationes, & concupiscentias, sed requiritur quotidianum adiutorium Dei.*

Habitualis gratia non sufficit ad benè operandū.

Multa absurda sequerentur.

Ex Cęlesti-no 1.

 Prob.

Ex S. Scriptura.

192. Prob. igitur vlteriùs ex pluribus Scripturę locis. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Item *quid habes, quod non accepiſti*: &c. Confirmatur ex Concil. Arauſ. 2. cap. 20. *Multa in homine bona ſunt, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non poteſt Deus, vt faciat homo.*

Concil. Arauſi. 2.

193. Tandem prob. rationibus ſequentis cõcluſionis, quę ad idem ſunt: Ideò

194. Dico 4. Ad faciendum, *ſicut oportet*, quęlibet bona opera cuiuſcumque virtutis, ſiue ſint opera conſilij, ſiue ſupererogationis, eſt neceſſaria diuina gratia.

Ad omnia opera bona facienda, vt oportet, eſt neceſſaria gratia.

195. Prob. ex Innocent. 1. epiſt. 25. *Ad ſanctè operandum etiam iuſtis eſt neceſſaria gratia. Sine gratia nullum opus pertinens ad ſalutem fieri poteſt*: ex Concil. Arauſ. 2. cap. 7. & cap. vlt. & ex Trid. cap. 10. *Sine gratia nec cognoſcere, nec appetere poteſt homo quæ ſunt Dei*: Ex Concil. Mogunt. 4. cap. 5. *ſine gratia, quam nobis meruit Chriſtus ſuperare non poſſumus tentationes*: ex Innoc. 1. epiſt. 24. 25. & 26. & ex Cęleſt. 1. epiſt. 1. & 2. *Gratia Dei iuuat, ne peccata committantur, & ad eorum remotionem*: ex Concil. Mileuit. cap. 3. ex Cęleſtino epiſt. 1. cap. 10. *A gratia Dei omnia opera bona habent originem*: ex eodem Cęleſt. epiſt. 1. cap. 18. *Gratia Dei eſt cauſa, cur homo credat, velit, petat, & cætera bona faciat*: Ex Concil. Arauſ. 2. cap. 6. *Gratia Dei eſt cauſa, cur homo voueat*: & iterum ex eodem Concil. Arauſ. 2. cap. 11.

Ex diuerſis Concilijs.

196. Ad has authoritates, quę ſufficerent ad intentum probandum, libet etiam ex Doctore Gratię Auguſtino aliquas adducere, cùm ferè omnes pręfatæ ab eo deſumptę ſint. Is igitur de neceſſi-

Multa Aug. loca pro neceſſitate gratię ad omnia ſpecifica opera.

necessitate gratię ad omnia opera bona, *sicut oportet*, idest propter Deum ex regula fidei facienda, hęc prę ceteris ferè innumeris dicit, quę in sequenti Capite referuntur.

CAPVT XI.

De quibusdam specialibus Gratiæ diuinæ effectibus iuxta S. Augustinum.

167. ADu. quòd licet in toto hoc Opusculo, & præsertim in Capite pręcedenti ostensum sit, quòd ad omnia opera bona conducentia ad salutem, siue in impio ad fidem, & iustificationem se disponente, siue in peccatore ad Sacramentum Pęnitentiæ accedente, siue in iusto in legum, vel consiliorum obseruantia se exercente, nihilominus, vt tyrones nostri alios plures in specie gratiæ effectus agnoscant, Deumque earumdem gratiarum largitorem, qua decet pietate, venerentur, ac ab eodem in omnibus suis operibus eas humillimè implorent, operę pretium duxi, diuinæ gratiæ concursum, eiusque mirabiles effectus, duce Doctore Gratię S. Augustino, magna ex parte patefacere. Mens Authoris declaratur.

298. Dico igitur. Diuina gratia, seu veriùs Deus, per suam actualem gratiam in cordibus hominum diffusam ad sequentes effectus producendos concurrit. Effectus à gratia actuali prouenientes.

199. Gratia Dei præuenit omnia nostra opera bona: S.August. *tract.* 3. 81. 82. *&* 88. *in Euang. Ioann.* lib. de vera Innoc. c.27.

200. Gratia est necessaria pro iustificatione à peccato; & pro salute assequenda, *de Ciuit. lib.* 14. *cap.* 2.

Gratia dat merita : *lib. de Patientia c.20.*

Prçuenit bona opera

201. Gratia Dei electi sunt, quotquot de mundo electi sunt : *lib.de Patientia c.20.*

202. Sine gratia Dei agere bonum non possumus, nec malum vitare: *lib.de Prædest. & Gratia cap.*11. 12.*&* 13. Licet aliqui putent librum esse Sancti Fulgentij Augustini Discipuli.

Ad iustificationem concurrit.

203. Gratia facit nos custodire diuina præcepta: *De fide ad Petrum Diui. cap.*32. licet hic etiam liber putetur esse S.Fulgentij.

Dat merita

204. Gratia facit, vt peccatum alicui non dominetur:*lib.de Continentia c.*3.

205. Gratia Dei facit, ne peccata committantur : *lib.de Eccles.dogmatibus c.*28.

Multi effectus.

206. Gratia ad Deum nos venire facit:*lib.de Prædest.SS.cap.*8.

207. Gratia diuina datur, vt duritia cordis primitùs auferatur : *lib.*1.*de Prædest. SS.c.*8.

208. Sine gratia nemo renascitur, sicut sine concupiscentia nemo nascitur : *lib. de Præsentia Dei cap.*15.*&* 17.

209. Per gratiam iuuatur nedum posse hominis,sed volitio, & operatio: *lib.*2.*contra Pelag.& Cælest. cap.*5.*&* 14.

210. Gratia facit concordiam inter carnem, & spiritum : *lib.* 2. *contra Iulianum Pelagianum cap.* 1.

Varij effectus.

211. Gratia facit mentem hominis fortem contra cupiditatem : *lib.* 1. *ad Simplicianum, quæst.* 1.

212. Per gratiam merita nostra bona redduntur : *lib.de Gratia, & lib.arb.c.*6.

213. Gratia mentem iuuat ad implendam legem, sicut oculos sanitas ad videndum solem: *lib.*15.*cont.Faustum c.*8.*in fine.*

Gra-

214 Gratiæ donum eſt, vt obedientes, & humiles ſimus: *lib. de Eccleſ. dogmatibus cap.* 43. *&* 49. quamuis quidam putent eſſe Gennadij, ſed multas Auguſtini propoſitiones continere.

215. Gratia liberante omnes indigent, vt ſaluentur: *lib. de Nat. & Grat. cap.* 4. *lib. de gratia Noui Teſtam. c.* 31.

216. Gratia omnes indigent, vt iuſtificentur: *lib. de Nat. & Grat. cap.* 11.

217. Gratia Noui Teſtamenti, quam nobis meruit Chriſtus non eſt ordinata ad terrena, ac temporalia bona, ſed ad ſpiritualia, & ęterna: *lib. de gratia Noui Teſtam. c.* 5. *&* 7. Sublimes gratię effectus.

218. Sine gratia non poteſt homo aliquod opus iuſtitiæ facere: *lib. de ſpir. & lit. cap.* 2. 10. *ac* 12.

219. Gratia inſtaurat imaginem Dei, in qua naturaliter creati ſumus: *lib. de ſpir. & lit. c.* 27.

220. Gratia facit hominem ſpiritualem, & per eam implet legem, & ſine ea implere non poteſt: *lib.* 1. *ad Simplic. q.* 1.

221. Gratia facit, vt homo vincat concupiſcentias, & non cadat: ibidem.

222. Gratia eſt neceſſaria, vt oremus, petamus, & velimus bonum: *lib.* 1. *ad Simplic. qu.* 2. & pręcedit opera bona: ibid.

223. Gratia liberat de iuſta pœna ignorantię ad ſciendum quod debet facere homo, & adiuuat ad faciendum quod vult: *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 58.

224. Gratia eſt homini neceſſaria, vt poſſit ſe à poteſtate diaboli liberare: *lib.* 1. *quæſt. Euangelicarum cap.* 5. *& lib. de catechiz. rudibus cap.* 18.

225. Gratia ad rectè viuendum eſt etiam iuſtifica-

ſtificatis neceſſaria, ſicut lumen oculo ſano ad videndum: *lib. de Nat. & grat. c. 26.*

226. Gratia non ſolùm oſtendit quod faciendum eſt, ſed adiuuat, vt fiat: *lib. 2. de pecc. mer. &c. cap. 6.*

227. Gratia neceſſaria eſt ei, qui diſputaturus eſt, vt veritatem diſcernere poſſit, ne fallatur; *lib. 1. con. Creſcon. cap. 13.*

228. Gratia adiuuat voluntatem, vt innoteſcat, quod iuſtum eſt, & fiat ſuaue quod non delectabat; *lib. 2. de pecc. mer. &c. c. 17.*

229. Gratia præuenit nos, vt ſanctè, & piè viuamus; ſubſequitur, vt glorificemur, & cum Deo ſemper viuamus: *lib. de Natura, & Gratia cap. 23.*

Alij plures gratiæ effectus.

230. Cum gratia Dei reſiſti poteſt diabolo; & ea poſcenda eſt, cùm vrget tentatio; *lib. de Nat. grat. cap. 58.*

231. Quòd oremus, & conemur ex dono gratiæ habemus: *lib. 2. de pecc. mer. &c. cap. 19.*

232. Gratia non aufert liberum arbitrium, ſed ſtatuit, ac ſanat, vt per gratiam liberè diligat; quia vbi ſpiritus Domini, ibi libertas: *lib. de ſpir. & lit. cap. 30.*

233. Gratia facit, vt malum non accidat, & ſi accidat, ſanetur: *lib. de Natura, & Gratia cap. 67.*

234. Ad gratiam adiuuantem debet homo confugere, vt peniteat: *lib. 21. de Ciuit. c. 16.*

235. Gratia Dei iuuat ad toleranda mala, quæ homines patiuntur in hac vita: *lib. 22. de Ciuit. cap. 22.*

Ex S. Aug. collecti.

236. Gratia facit, vt faciamus cognita, & credita diligamus: *lib. 1. contra Pelag. & Cæleſt. cap. 12.*

Gra-

237. Gratiæ ſignum eſt,dum quis facit quod audiuit à Deo: ibidem *cap.*14.

238. Gratia non ſolùm adiuuat poſſibilitatem; ſed voluntatem, & actionem, quia ad eam concurrit: *lib.*1. *cont.Pelag. & Celeſt.cap.*14. 15. & 16. quod ex Sacra Scriptura probat in *c.*16.

239. Gtatia conuertit cor efficaciſſimè, & non lædit liberum arbitrium: *lib. cont. duas epiſt. Pelagianorum cap.*20.

240. Gratia facit, vt homo non ſit inuitus, neque repugnans ad faciendum opus bonum: *lib.*2. *contra duas epiſt. Pelag. cap.*8.

241. Sine Gratia non poteſt homo nec facere, nec concipere opus bonum,nec habere propoſitum de illo faciendo: ibidem *cap.*9.

242. Per gratiam Deus de nolentibus bonum facit volentes bonum; *contra duas epiſt. Pelagianorum cap.*9.

243. Sine gratia Dei diù viui non poteſt ſine peccato: ibidem *cap.*10.

244. Gratia Dei ad omnem actum veræ virtutis eſt neceſſaria: *cont.Iul.lib.*4.*c.*3.

245. Gratia Dei facit, vt faciamus: ibid.

246. Gratia præuenit, vt quis oret,pulſet,& bonum faciat: *contra Iul.lib.*4.*c.*8.

247. Gratia Dei non eſt ſolùm neceſſaria ad remiſſionem peccatorum, vt Iulianus Pelagianus docebat; ſed etiam ad omnia bona opera: *contr. Iul.lib.*6. *cap.*11.

248. Gratia Dei facit implere præcepta: at non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, & Deus præparat voluntatem per dona gratiæ *in Enchir. cap.*32. Reliqui notabiles gratię effectus

249. Gratia Dei eſt neceſſaria ad pęnitendū, ac tollendum pudorem in pęnitente: *in Ench.c.*82

Per-

Gratia operatur, vt velimus; & quomodo.

250. Per gratiam, vt velimus, Deus sine nobis operatur. Cùm autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum Deus cooperatur: tamen sine illo operante, vt velimus, aut cooperante cùm volumus ad bona iustitiæ opera non valemus: *lib. de Grat. & lib. arb. c.17.*

251. Per gratiam Deus adiuuat liberum nostrum arbitrium, vt liberetur à malo, & faciat bonum; nam *in psalm. 36.* dicitur, *à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet*: *lib. de Corr. & Gratia cap.12.*

252. Et sine gratia homo nullum facit iustitiæ bonum, nec cogitando, nec volendo, nec amando, nec agendo: ibidem, *& cap.2.*

253. Gratiam faciendi bonum Deus aliquando concedit mediante correptione alicuius; aliquando immediatè; quia sic ei placet, neque potest aliquis ei dicere, cur ita facis, quia neque lutum potest sic dicere figulo: *lib. de Correpț. & gratia cap.5.*

254. Gratiam perseuerantiæ non omnes habent, sed aliqui ex misericordia habent; alij non habent ex iustitia; sicut, nec omnes electi, nec prædestinati: *de Corr. & Gratia, cap. 7. & 8.* & cur sic, ad incompræhensibilia iudicia Dei recurrendum est: ibidem *c.8.*

255. Gratia Adæ, & Angelorum ante peccatũ nõ fuit sicut gratia, quæ est necessaria homini post peccatum, vt benè operetur: *lib. de Correp. & Grat. cap.11.* quia prima dabat posse non peccare; secunda verò dat non peccare, sed benè operari: ibidem, *cap.11.*

256. Alia penè innumera loca, quę in meo manuscripto Augustini compendio colligi, breuitatis causa relinquo; & ad alia propero.

CAP.

CAPVT XII.

An in Veteribus legibus necessaria fuerit gratia ad benè operandum.

257. ADu. quæsitum esse conceptum de legibus in plurali, vt comprehendamus triplicem legem, ac statum hominum, nempe Innocentiæ, quæ parum cum suo statu durauit; legem Naturę à tempore lapsus Adæ, hoc est ab initio mundi vsque ad Moisem in Monte Sinai existentem, vbi legem digito Dei in duabus tabulis lapideis scriptam, continentem Decalogum accepit: & successiuè aliàs leges à Deo eidem Moisi dictatas, quæ in libris Exodi, Leuitici, Numeri, ac Deuteronomij continentur: omnes autem leges istæ vno vocabulo enunciatæ dicuntur lex Scripta, lex Vetus, & lex Mosaica, quia à Deo quidem lata, sed per Moisem publicata, quæ durauit in obligatione Hębreorum vsque ad solemnem publicationem Euangelij in Ierusalem à die Pentecostes; in alijs locis vsque ad publicationem Euangelij in eis locis. Gentes autem (quibus lex Moisis non fuit intimata) ab initio mundi post Adæ peccatum obligari cæperunt ad obseruandam legem naturæ: sic durauit in eis eadem obligatio vsque ad solemnem Euangelij publicationem per Euangelicos prædicatores, & adhuc durat: & si adhuc dentur regiones, in quibus non fuerit publicatum Euangelium, adhuc tenentur legem naturæ seruare sicut nos; ideò Apostolus Rom. 2. 14. ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt. Eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: quia ostendunt opus*

Tres antiquę leges, ac status. Innocentię Naturæ, & Scriptę.

Quantum durarunt istæ leges.

legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis coscientia eorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, ac etiam defendentibus: Hęc autem lex naturalis, diuina est, à Deo animabus omnibus inserta; ait enim Dauid in psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo*. Cùm ergo ante legem, seu præcepta Euangelica, tot leges, & tot diuina præcepta data fuerint hominibus, quærimus, an ad ea obseruanda necessaria fuerit diuina gratia, sicut post Euangelium est necessaria.

Gentes quā legem tenebantur obseruare.

258. Adu. 2. Rationem dubitandi esse, quia sola lex Euangelica dicitur lex gratiæ; & quia gratia, quæ necessaria est ad fugiendum malum, & faciendum bonum dicitur gratia Christi, acquisita nobis à Christo, & nobis quoque tradita per Christum, vnde Apostolus Rom. 7. postquam enumerauit difficultates ad operandum bonum, & legem membrorum impellentem ad omne malum, & captiuantem eumdem ad peccatum, inquit: *infelix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* & sibi quasi respondens, dicit: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*: & propterea Ecclesia omnes collectas, in quibus dona spiritualia, ac supernaturalia; & alia quælibet petit à Deo, ea petit *per Christum Dominum nostrum*, idest per eius merita: hoc stante nascitur dubium, quomodo homines Veterum legum gratia eguerunt; cùm pro eis eam adhuc non meruerat Christus, neque vlla dari potuerit, nisi per Mediatorem Christum, vt mox patebit.

Rationes dubitandi, quę sint.

259. Dico 1. In statu innocentiæ erat Adamo necessaria gratia ad obseruanda Dei præcepta, nedum positiua sibi à Deo facta, sed etiam naturalia quoque diuina in corde eius infusa.

In statu innocentiæ necessaria erat gratia

Decla-

260. Declaratur, & probatur. In Genesi legimus, Deum aliqua positiuè præcepisse Adamo, & quædam in corde; seu in anima solùm infudisse. Primi generis sunt illa, *relinquet homo Patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Gen. 2. 24. hęc enim verba pręceptiua ab Adamo leguntur prolata, sed Dei fuerunt, & per os Adæ publicata, continentia vinculum perpetuum, ac indissolubile matrimonij: ita testatur Christus Matth. 19. 5. cùm enim Pharisęi ab eo peterent, an dimitti posset vxor quacumque ex causa, eo quod Moises permiserat libellum repudij, Saluator respondit, nequaquam, nisi ex causa fornicationis; & priùs assignauit rationem ad rem nostram; *Quia, qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos, & dixit propter quod dimittet homo Patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet*: Itaqua vinculum perpetuum matrimonij est iuris diuini; & ideò *ex cap. Vnico de voto* in 6. statutum est vinculum indissolubile matrimonij fuisse à Deo institutum in terrestri Paradiso in statu innocentiæ.

Vinculum perpetuum matrimonii est iuris diuini.

261. Aliud positiuum præceptum vtrique coniugi Adamo, & Euæ impositum legitur Gen. 1. 28. *Crescite, multiplicamini, & replete terram*, in quo præcepto includitur pręceptum etiam mutui debiti coniugalis, quia alteruter coniux habet potestatem supra corpus alterius in ordine ad copulam coniugalem; quod pręceptum, quãque obligationem latè explicat Apostolus 1. Corinth. 7. 5. *Vxori vir debitum reddat; similiter vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet; sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potesta-*

Plura pręcepta positiua data fuere Adamo.

 tem

tem non habet, sed mulier: fuit ergo eis impositum hoc pręceptum.

262. Tertium positiuum pręceptum, ex cuius transgressione Adam seipsum, & totum genus humanum perdidit, legitur Gen. 2. 16. *Praecepitque* (Deus ei) Adamo, *dicens: ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiae boni, & mali, ne comedas: in quacumque enim die ex eo comederis, morte morieris*. Hæc ergo sunt positiua præcepta, quæ legimus Adamo data. Naturalia autem supponuntur; v. g. de fide, spe, & charitate in Deum, & de iustitia, & charitate erga proximum, cùm multiplicari deberet genus humanum: his ergo suppositis præceptis, dicimus Adamum gratia Dei indiguisse ad ea seruanda: ideò

Pręcepta etiam naturalia.

263. Prob. Conclusio ex D. Augustino *lib. de Corr. & Gratia cap.* 11. vbi de Adamo ait; *Sanè habuit gratiam, in qua si permanere vellet, numquam malus esset, & sine qua, etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset*: & infra. *Nec ipsum ergo Deus voluit esse sine gratia*: & post. *Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam; sed potentior est in secundo Adam*, &c. *Nec illa quidem parua erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij*, &c. *Dederat ei adiutorium sine quo in eo* (bona voluntate) *permanere non posset, si vellet*.

Ad talia pręcepta seruanda Adam indigebat gratia.

264. In Enchiridio cap. 106. dicit. *Si homo in Paradiso ad se occidendum relinquendo iustitiam, idoneus erat per voluntatem: vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adiuuaret*; In cap. 107. idem clariùs confirmat sic. *Sic ergo factus est homo rectus, vt & manere in ea rectitudine posset, non sine adiutorio diuino; & suo fieri peruersus arbitrio: vtrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut cer-*

certè de illo: & de Ciuit. lib.14. cap. 25. *Si homo erat institutus, vt si de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret: si autem creatorem, atque adiutorem Deum superbè sibi placendo desereret, vinceretur; meritum bonum habens in adiuta voluntate recta.* In lib.11. de Gen. ad literam cap. 4. ait. *Primus homo benè viuere poterat, cùm haberet in natura posse, & in potestate velle, & non consentire suadenti; adiuuante tamen illo, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam*: & alibi sæpiùs: & de natura adiutorij collati Adamo dicti *sine quo*, eiusque voluntati commissi, vt si vellet eo vteretur, abundè locuti sumus in cap.7. Igitur etiam in statu innocentiæ fuit Adamo necessaria diuina gratia actualis, vt à malo abstineret, Deum diligeret, in eum crederet, & speraret, ac præcepta illius, tàm naturalia, quàm positiua, tunc ei imposita, seruaret.

Ex August. clarè probatur.

265. Dico 2. Post ammissam innocentiam, tàm Adamo, quàm filijs, & posteris omnibus, qui sub lege naturæ, & Mosaica vixerunt, fuit necessaria gratia, vt opera bona ad salutem conducentia, sicut oportet, operarentur.

Post Adę peccatum, tàm ei, quàm posteris fuit necessaria gratia.

266. Probari potest primò (supponendo pro nunc, quòd Deus in nullo statu reliquit humanum genus sine salutis remedijs, quod infra patebit.) Sic ergo probari potest primò à fortiori. Adam à Deo creatus, rectus, sanctus, habitibus Gratiæ, & charitatis, & iustitiæ originalis ornatus, ac vallatus; passionibus irascibilis, & concupiscibilis omninò carens; & tamen ad benè operandum, & diuina præcepta seruandum indiguit diuina actuali gratia; ergo multò magis Adam ipse, cæterique homines posteriores, donis illis spoliati, & à crudelibus inimicis internis, ac exter-

nis

nis continuò prouocati, ad se defendendum, ne in malum inciderent, & bonum ad salutem necessarium facerent, diuino adiutorio, seu diuina gratia indiguerũt; quod argumentũ maximi facit Sanctus Augustinus, vt in Capite septimo vidimus; estque irrefragabile.

Argum. à fortiori.

267. Prob. 2. ex Concil. Arausf. 2. cap. vlt. vbi de necessitate gratię pro omni statu post Adę peccatum sic definit. *Secundum suprascriptas Sacrarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum deffinitiones, hoc Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea, aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia diuina præuenerit. Vnde Abel iustum, & Noe, & Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnem antiquorum Sanctorum multitudinem, illam præclaram fidem, quam prædicat Apostolus Paulus, non per bonum naturæ, quod priùs in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam*, &c.

Ex Concil. Arausf. 4.

268. De hominibus legis naturę, idest post lapsum Adę vsque ad legem scriptam, à Deo latam per Moisem, quòd eguerint gratia Christi, idest ab eo merendam pro toto humano genere, ad bona opera exercenda, probat S. August. *in lib. 2. contra Pelagium, & Celestium cap. 26.* Illi enim dicebant homines legis naturę vixisse secundùm id, quod dictabat natura, idest lex scripta in cordibus, nullaque indigebant gratia: contra hos inuehitur S. Augustinus: *Hæc disputantes, à gratia mediatoris iustos excludere conantur antiquos, tamquam Dei, & illorum hominum non fuisset mediа-*

diator homo Chriſtus Ieſus, quia nondum ex vtero Virginis carne ſuſcepta homo nondum fuit, quando illi iuſti fuerunt. Quod ſi ita eſſet, nequaquam Apoſtolus diceret per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum; ſicut enim in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur: quandoquidem illi antiqui iuſti, ſecundum iſtorum vaniloquia ſibi ſufficiente natura, nec mediatore homine Chriſto indiguerunt, per quem reconciliarentur Deo; nec in eo viuificabuntur, ad cuius corpus, & membra, ſecundum id, quod propter homines homo factus eſt non pertinere monſtrantur.

De omnibus probat S. Auguſt. primò de legis naturę hominibus.

Non ſufficiebat natura.

269. De hominibus legis Scriptę, ſeu Veteris Teſtamenti, quòd eguerint gratia Chriſti ad rectè viuendum, & benè, ſicut oportet, operandum, probat S. Auguſt. in eodem lib. 2. cap. 25. *Erant autem; & legis tempore homines Dei, non ſub lege terrente, conuincente, puniente: ſed ſub gratia delectante, ſanante, liberante. Erant, qui dicerent: ego in iniquitatibus conceptus ſum; & in peccatis me mater mea in vtero aluit: & non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum: & cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis: & ſpiritu principali confirma me: & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me; erat qui diceret, credidi propter quod locutus ſum: eadem quippè & ipſi iuſtificabuntur fide, qua & nos*: & alia plura adducit ad rem hanc Sacrę Scripturę loca: & infra dicit, gratiam iſtam in Veteri lege fuiſſe velatam, & hoc ſignificabat velum templi appenſum ante Sancta Sanctorum; at in noua lege manifeſtata eſt: ideò velum templi moriente Chriſto fuiſſe conſciſſum, concludens. *Et tunc ergo iſta gratia vnius mediatoris Dei, & hominum hominis Chriſti Ieſu erat in Populo Dei, ſed tamquā*

Deinde de hominibus legis ſcriptæ.

Gratia quomodò per Auguſt. erat velata in lege Veteri.

in

in vellere pluuia ; quam non debitam , sed voluntariam segregat Deus hæreditati suæ : inerat latens; nunc autem velut siccato illo vellere, hoc est , Iudaico populo reprobato, in omnibus gentibus , tamquam in area cernitur patens .

270. Idem docet S. Doctor in eodem *lib.cap.* 25.27.31. & 32. Idem replicat in alijs multis suę doctrinæ locis, nempe in lib.1. contra duas epistolas Pelagianorum *cap.7. & 21. in lib.3. cap. 4. in lib.de Patientia cap.21. In lib.de spir.& lit.cap.* 15. *in lib. 3.* Hippognosticon , vbi de multis Patribus loquitur , qui iusti fuerunt , & ideò gratia Dei ad obtinendam, & conseruandam iustitiam , & ad bona opera facienda indiguerunt : & ferè semper rationem adducit ; quia omnes homines ab initio mundi vsque ad finem , vnum , & eumdem Christum agnoscunt mediatorem, à quo omnis gratia , & bonum spirituale omnium dependet .

Sępè id cō firmat S. Doctor .

271. Probari tandem potest de multis Veteris Testamenti Patribus , qui & iusti, ac sancti fuerunt, & opera meritoria fecerunt, & Deo placuerunt , quorum meminit Paulus Apostolus *ad Hebr.*11. incipiens ab Abel . Hic enim, & iustus fuit, vt testatur Christus Matth.23. 31. & munera eius Deo placuerunt, *respexit enim Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non respexit Dominus* Gen. 4. & S. Augustin. in lib. 1. de mirabilibus Sacræ Scripturæ licet quidam dicant non esse Augustini,cap. 3. inquit . *Tota iustitia hæc est, Virginitas, Sacerdotium, & martirium . Quæ triplex iustitia in Abel fuit . Prosapiam generis in sæculo non reliquit : & martirij coronam sanguinis effusione promeruit* : hæc autem sine diuina gratia obtinere non poterat .

Abel opera bona, quę .

Abel virgo, sacerdos , & martir.

De

272. De Enos legitur Genesis 4. in fine, *Iste cæpit inuocare nomen Domini* Interl. *inuocare*, dicit, *colere*, *&* *deprecari*. Postilla in additione tertia, dicit. *Enos instructus à suo Patre Seth iusto, tantum profecit in cultu diuino, quòd adinuenit quædam verba deuota ad deprecandum Deum*, &c. Thomas Vualdensis, & cum eo Bellarminus in *lib.2. de Monachis* dicunt, Enos instituisse peculiarem aliquem cultum, & sublimiorem, quàm esset Religio vulgi: nam Enos Pater suus Seth, & Abel, & Adam inuocauerunt Deum: vnde existimant, Enos instituisse quasi præludium, & initiũ vitę Monasticę, & Religiosæ: hic ergo nouus Dei cultus, inuocatio, ac deprecatio exspecialiDei gratia, non ex humano consilio institui oportuit. Enos opera bona quę.

273. De Enoch, qui ab Adam fuit septimus, legitur. *Enoch ambulauit cum Deo*, *&* *post 360. annos non apparuit, quia tulit eum Deus*: *Gen.5.* Glos. ord. ait. *Doctores Catholici dicunt*, *quòd propter excellentiam suæ virtutis assumptus fuit à Deo*, *&* *positus in Paradiso terrestri*, *vbi & Elias postea raptus est*, *ex lib.4. Reg. 2.* & inde *exituri sunt ad prædicandum contra perfidiam Antichristi*: hęc Glos. S. August. pluries de Enoch, & Elia, eorumque virtutibus, ac sanctitate loquitur in *lib. de mirab. S. Script. cap.3. lib.1. contra Aduers. legis*, *&* *Prophet. cap.15.* in fine *de Ciuit. lib.15. cap.19.* & quòd Enoch fuit Propheta ibid. *cap. 38. lib.1. de pecc. mer. & remiss. cap.3.* & quòd fuit Propheta legigitur *in epist. Iudæ*. Ambulare autem cum Deo non poterat sine gratia Dei, quia ambulare cum Deo, est iustificationes, atque præcepta Dei speciali, ac pręcellenti modo obseruare. Enoch opera bona quę.

274. De Noe legitur Gen.6.9. *Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo* Noe bona opera.

ambulauit : & paulò ante : *Noè verò inuenit gratiam coram Deo* . S.August.lib.de quatuor virtutibus charitatis, Noe Sanctum, & charitate perfectum prædicat. De bonitate, ac perfectione Noe loquitur *Ecclesiasticus cap.*44.17.& Paulus ad Hebr. 11. 7. hęc autem dona sine gratia Dei obtineri non possunt.

275. Et licet in Sacro Textu à Noe vsque ad Abrahamum non legamus laudari aliquos de perfecta, ac insigni probitate; tamen verisimile non est, non fuisse plures Dei cultores; at quia Moisi scribenti librum Genesis, Deus fortè non reuelauit alios probos, ac perfectos viros: ideò ad nos non deuenit eorum notitia.

276. At incipiendo ab Abraham, & prosequendo per Isaac, & Iacob, vsque ad Christi aduentum, fuit in Hebraica natione vera Dei Religio, & Messiæ fides, vt futuri, nam Iacob Gen. 49.10. iam iam moriturus benedicens filijs singillatim, de Iuda dixit. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*. Supponēdum autem est, quòd ipse à patre suo Isaac, & hic à Patre Abraham; & sic de cæteris vsque ad Adam, per traditionem successiuam habuerint Messiæ notitiam, licet fortè non ita semper distinctam de eius natura, conditionibus, ac muneribus, sicut postea habuerunt aliqui Prophetæ, vt præcipuè Micheas, qui prædixit ortum Messię à diebus ęternitatis, & Isaias, qui omnes ferè Messiæ conditiones, passionem quoque, & mortem prędixit. Neque aliter dici potest; quia cùm ipse fuerit ab ęterno destinatus mediator totius humani generis, omnes, qui saluandi erant, per fidem eius erant saluandi, & opera salutis dependen-

In populo Hæbreo fuit Dei fides, & charitas; Messię quoque notitia.

Per traditionem ab ipsomet Abrahamo: immò & ab Adamo aderat notitia.

Clariùs de Abrahamo

denter à meritis ipsius, vel exhibitis, vt post eius mortem in lege Euangelica, vel ex à Deo pręuisis pro pręcedentibus legibus erant operaturi: in fide enim, seu per fidem Christi cum operibus saluabantur, & saluantur, qui saluantur; quia ipse solus Redemptor, ac Mediator.

277. Placet autem quędam S.Augustini loca ad rem hanc confirmandam adducere: In lib. 3. *contra duas epistolas Pelagianorum cap.* 4. ait, *ex fide, qua nos viuimus vna eademque vixerunt antiqui iusti, & ipse Moises Testamenti minister Veteris, hæres Noui. Incarnationem, passionem, & resurrectionem Christi credentes futuram, quam nos credimus factam, vsque ad ipsum Ioannem Baptistam, tamquam pręteritæ dispensationis limitem quemdam*: idem ferè repetit in lib. 1. contra Iulianum c. 2. Aliqua S. Augustini loca.

In eodem *lib. 3. contra duas epistolas Pelag. cap.* 24. 25. 26. *ait: fide eadem Patres Veteris Testamenti mundabantur, qua & nos.* Eadem non stra fides in antiquis PP.

278. In lib. de sex quęstionibus contra Paganos quæst. 2. inquit: *Fide vna salui erimus cum Patribus nostris*: idem habet *in tract.* 45. *in Euangelium Ioannis.*

279. In lib. 3. de Ciuit. cap. 1. & in lib. 18. cap. 38. ait. *Fide colebatur Deus ante incarnationem, non solùm à populo Hebreo, sed etiam à quibusdam alijs diuina gratia dignis.*

289. In Enchiridio cap. 118. dicit. *Gratia sub lege non defuit, quibus impartiri eam oportuit; quamuis tamen pro temporis dispensatione velata, & occultata.*

281. In libro de Natura, & Gratia, qui totus cum suis 70. capitibus est de necessitate gratię, docet semper, & in omni tempore gratiam fuisse necessariam ad benè operandum opera salutis; at

in cap. 62. specialiter de Iob (qui tamen Gentilis erat) inquit, gratiam Christi Iob etiam fuisse necessariam ad facienda bona illa opera, quæ fecit; & ante legem scriptam Moisis; ortus est enim iuxta Saliani Epocham anno mundi 1338. Lex autem data est Moisi anno mundi ex eodem 2544. qui fuit vltimus Iob: ex quibus clarè colligitur in omni lege, ac natione gratiam Dei ad benè operandum necessariam, & à Deo, quibus voluit, datam fuisse.

Etiam Iob 2328.

282. Prob. tandem à fortiori: Angelis fuit necessaria gratia, vt perseuerarent in sanctitate à Deo in sui creatione accepta, Deum diligerent, & malo superbię, ac elationis, in quod Lucifer cum sequacibus cecidit, resisterent; immò si ea caruissent, superbia, & elatio illa non fuisset ei imputata in peccatum: ergo multò magis gratia, & potentiore, eguerunt homines omnes in peccato geniti, & educati, quorum liberum arbitrium iam erat attenuatum, & multis passionum malis oppressum. Anteced. est S. Augustini lib. de Corrept. & Grat. cap. 11. *Si autem hoc adiutorium, vel Angelis, vel primo homini, cùm primùm facti sũt, defuisset, quoniã non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet; non vtique sua culpa cecidissent; adiutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent*: ergo gratia eguerunt.

Argum. à maiori ad minus de Angelis.

Angeli eguerunt gratia ex S. August.

283. S. Fulgentius S. Augustinum secutus, in lib. 2. ad Thrasim. de Angelis, ait. *Non aliam stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem à ruina potuit reparare. Vna est in vtroque gratia operata, in hoc vt surgeret, in illo ne caderet: in illo, vt non vulneraretur, in isto, vt sanaretur; ab hoc infirmitatem repulit; illum infirmari non sinit: illius esca; istius medicina.* Si ergo

S. Fulgent. idē docet.

go Sanctis, & donorum supernaturalium diuina largitate prędìtis, vt stare possent, ac starent, benè operarentur, & malum fugerent, necessaria fuit diuina gratia; multò magis fuit, estque modò omnibus hominibus necessaria dicenda, ne in benè operando, diligendo Deum, credendo, sperando, ac pęnitendo, & diuina, aut Ecclesiæ pręcepta, *sicut oportet*, exequendo, nobis à Paulo dicatur, *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? non enim*, ex eodem, *sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed omnis cogitatio nostra ex Deo est*: & ne cum Pelagio, Celestio, ac cæteris eiusmodi, de hæresi eorum damnemur.

Improperatio Pauli contra negantes gratiæ necessitatem.

CAPVT XIII.

Qualis fuerit, & modò sit gratia ista necessaria ad operandum cum effectu salutis opera.

284. AD n. 1. sensum quęsiti hunc esse. An gratia necessaria homini ad benè operandum pro omni statu naturæ lapsæ, sit eiusdem conditionis, seu qualitatis cum illa, quę erat necessaria Adamo pro statu innocentiæ, & *sine qua* non poterat benè operari, ac resistere Diabolo; an debeat esse aliqua potentior; quæ non solùm det posse facere actum bonum, *sicut oportet*, ac posse vitare malum; sed faciat actu, & realiter facere, & actu, & malum vitare: & sub alijs verbis modo loquendi modernorum, sensus est, an ad benè, & *sicut oportet*, operandum opera salutis, & vitandum malum, gratia pro his faciendis necessaria, satis sit illa, quę dicitur à modernis *sufficiens*; & à S. Augustino *sine qua non*: an sit illa, quę

Sensus quęsiti.

An satis sit illa, quę dicitur sufficiens: an requiratur efficax.

quę dicitur *efficax*, & à S. Augustino *gratia qua*, *seu auxilium quo*, idest faciens facere infallibiliter opus bonum, & faciens resistere tentationi, & cauere malum; & semper habet coniunctum effectum.

285. Adu.2. (ad vitandas ęquiuocationes,) quòd nemo est, qui neget, ad faciendū opus bonū, & vitandum malū in actu, seu realiter, ac in effectu non satis esse gratiam illam, quę communiter dicitur sufficiens; sed requiri eam, quę dicitur efficax; & optimè omnes dicunt, quia si opus ponitur in re effectualiter, per gratiam efficacem fit; id enim purè sufficienti non competit; quia multi, immò omnes, vt in proprio loco dicam, si excæcati in pœnam non sint, eam habent, & tamen non operantur bonum, nec malum cauent, vt latè de ea dixi in Capitibus 4. & 6. Sed controuersia pręsens est, an gratia ista efficax, seu faciens facere, sit illa, quam docet S. Augustinus, idest, quę ex natura sua, nempe ex qualitate sibi à Deo insita, sic allicit liberum arbitrium, seu voluntatem; talem illi suauitatem, ac delectationem communicat, vt eam sine vllo prorsus libertatis præiudicio, sed potiùs eam subleuante, ac in supernaturali ordine eleuante adiutorio, illam ad operandum bonum, & ad dissentiendum malo dulciter trahat: an verò illa gratia, *efficax* dicta, necessaria, satisque sit ad operandum bonum, malumque cauendum, quæ alioquin sufficiens est, & indifferens, vt ea vtatur, vel non vtatur voluntas, & in tali congruo tempore detur, in quo pręuisa ab æterno fuerat, quòd ea esset vsura; & sic ea vtendo fit efficax. Hic ergo est germanus quęsiti sensus; cùm quæritur, qualis sit ista gratia necessaria ad benè operandum, malumque cauen-

Omnes dicunt requiri efficacē, sed quę sit ista, disputatur.

Quomodo gratia allicit, vt trahat voluntatem.

uendum, num gratia efficax primi generis ex sui natura talis; an gratia efficax secundi generis, nempè talis facta ex voluntatis humanę consensu.

286. Dico 1. Gratia necessaria ad benè cum effectu operandum, & malum cum effectu cauendum secundùm S. Augustinum, non est sicut illa, quam habuit Adam ante lapsum, dicta à S. Augustino *sine qua non*, & à modernis *sufficiens*, seu quouis nomine nuncupata.

Gratia ad operandū necessaria non est, sicut illa Adami innocentis.

287. Prob. explicitis S. Augustini verbis, quę retuli *in cap. 6. & 7.* nam *in lib. de Corr. & Gratia cap. 11.* de hac gratia Adæ ante peccatum data; & de alia post peccatum eidem, & posteris collata, & conferenda, vt opera faciant salutis, plura dicit necessariò referenda. Primò ait, *istam gratiam non habuit homo primus, qua numquam vellet esse malus; sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, numquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset: sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono. Quod adiutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus; sed deseruit, & desertus est. Tale quippè erat adiutorium, quod desereret cùm nollet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam. Sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, vt homo habeat iustitiam, si velit. Secunda ergo plus potest, qua etiam fit, vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem, volunta-*

Ex August.

luntate spiritus vincat . Nec illa quidem parua erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij, quoniam sic adiuuabatur, vt sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium, si vellet, desereret . Hæc autem tanto maior est, vt parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur, vt velit : & post multa cùm dixisset simile adiutorium *sine quo non*, datum fuisse omnibus Angelis cùm creati fuere, & aliqui per liberum arbitrium eo vsi sunt, & in bono permanserunt; alij autem illo vsi non sunt, sed per suum liberum arbitrium illud deseruerunt, & lapsi sunt; iterum docet non esse tale id, quod post Adæ peccatum homini datur, sed potentius, subdens. *Tantò amplius datur per Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solùm adsit sine quo permanere non possumus, etiam si velimus; verùm etiam tantum, ac tale sit, vt velimus : est quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus . Quod non fuit in homine primo; vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit . Namque, vt reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat; vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omninò non posset, & accepit posse, si vellet, sed non habuit velle, quod posset, nam si habuisset perseuerasset*; & cetera plura S. Augustini.

Qualis fuit gratia Adę.

Qualis gratia post innocentię statum necessaria.

288. In cap. 12. idem prorsus confirmat. Postquam enim declarauit differentiam inter auxilium gratiæ *sine quo, & quo*, vt notauimus in *cap. 6.* docere vnum incipit: primum tantùm fuisse collatum Adamo innocenti; secundum verò homi-

hominibus, quibus Deo dare placuit, ac placet, inquiens. *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse illud bonum non deserere; datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret, vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò sanctis in Regnum Dei prædestinatis, non tale adiutorium perseuerantiæ datur; sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solùm, vt sine ipso dono perseuerantes esse nō possint; verùm etiam, vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Non solùm enim dixit Saluator, sine me nihil potestis facere; verùm etiam dixit, non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis, eis non solùm iustitiam, verùm etiam in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit.* Iterum, ac tertiò Aug.

Clara ergo, & euidens est S. Augustini mens, ac sententia, quòd adiutorium, seu gratia, qua homo indiget ad faciendum bonum, ac permanendum in iustitia, non est similis gratiæ, quæ data fuit Adæ innocenti, sed alterius naturæ, & potentior illa; quæ scilicet, non solùm dat posse facere iustitiam, & posse in ea permanere; sed quę dat posse, & etiam facere, ac permanere.

289. Cur autem illa similis Adæ satis non sit, dans scilicet posse tantùm pro statu naturę lapsę, sed sit necessaria alia potentior, quæ det posse, & facere; assignat rationem S. Doctor desumptam ex difficultatibus operandi bonum in natura lapsa ob peccatum incursis, quæ non aderant in natura innocente. Sic enim ait in eodem *cap.* 12. *de Corr. & Gratia. Maior enim libertas est necessaria aduersùs tot, & tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt, dono perseuerantię munita, atq; firma-* Cur nunc satis non sit gratia data Adæ.

ta, vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus: hoc Sanctorum martiria docuerunt; & alia plura: Infra tamen ad rem nostram iterum rediens, ait: *Vt ergo non acciperet hoc donum Dei, hoc est, in bono perseuerantiam, primus homo; sed perseuerare, vel non perseuerare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tantæ bonitati, & benè viuendi facilitati perseuerandi committeretur arbitrium, &c. Nunc verò posteaquam est illa magna peccati meritò amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas*: & infra post alia multa, sequitur. *Ac per hoc, nec de ipsa perseuerantia boni voluit Deus Sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solùm dat adiutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare si velint, sed in eis etiam operatur, & velle: at quoniam non perseuerabunt, nisi vt & possint, & velint; perseuerandi eis possibilitas, & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippè Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, vt ideò possint, quia sic volunt: ideò sic velint, quia Deus operatur, vt velint*: & rursus rationem huius diuinæ dispositionis circa hominem post peccatum, assignans, cur scilicet pro bono operando, & in eo perseuerando, illum de auxilio, seu gratia simili ei, quam Adamo innocenti dederat, non prouiderit, sed de alia potentiore, quę nedum daret voluntati posse facere, seu operari bonum; verùm etiam faceret actu operari, subdit. *Nam si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei sine quo per-*

Quia debilitatę sunt arbitrij vires.

A fortiori si Adę non fuit satis, neque nũc.

seuerare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur, vt vellent, inter tot, & tantas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent. Ad hanc infirmitatem sanandam hoc à Deo inuentum, ait, remedium S. Doctor; *Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanę, vt diuina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter operetur: & ideò quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Ita factum est, vt voluntas hominis inualida, & imbecilla in bono adhuc paruo perseueraret per virtutem Dei; cùm voluntas primi hominis, fortis, & sana in bono ampliore non perseuerauerit habens virtutem liberi arbitrij, quamuis non de futuro adiutorio Dei, sine quo non posset perseuerare, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, vt vellet. Fortissimo quippè dimisit, atque permisit facere quod vellet; infirmis seruauit, vt ipso donante inuictissimè, quod bonum est, vellent, & hoc deserere inuictissimè nollent:* Hęc ibi S. Doctor, & alibi pluries: ergo gratia necessaria homini in statu naturæ lapsæ ad benè operandum, ac perseuerandum in iustitia non est similis gratię collatæ Adamo ad operandũ bonũ; & permanendum in iustitia, sed valdè dissimilis, & illa potentior, alioquin homo cum ea non operaretur bonum, nec in bono obtento perseueraret.

Euidens S. Augustini discursus.

290. Dico 2. Gratia actualis necessaria homini in statu naturæ lapsæ ad actu operandum bonum, sicut oportet, & ad perseuerandum in bono, seu iustitia iam obtenta, est illa, quam docet S. Augustinus; quę scilicet dat simul posse, ac velle, & operari; & sine qua homo, nec operaretur, nec in bono perseueraret.

Gratia necessaria ad operandũ cum effectu, est illa, quam docet Sanctus Augustin. quæ facit operari.

291. Prob. ex eodem S. Augustino locis pro præcedenti conclusione citatis: quòd verò admittenda sit, & qualis naturæ sit gratia hęc, latè diximus cum S. Augustino in cap. 7.

Ex S. Aug.

292. Prob. 2. Illa gratia confitenda est necessaria ad bonum actu faciendum, & in ea perseuerandum, quam Ecclesia petit à Deo. Sed petit à Deo in multis collectis gratiam, quæ faciat facere, seu operari: ergo hæc est necessaria. Probatur maior. Ecclesia non potest errare docendo quæ sunt ad salutem necessaria, & ea in praxi ponenda. Min. prob. inductione. Parcat lector, si prolixus sum in referendo multas formulas orationum, quibus vtitur Ecclesia petens à Deo gratiam, opem, seu auxilium ad benè, ac sanctè operandum, ad seruandum diuina præcepta, atque consilia, cæteraque supererogationis opera: petit enim, vt faciat illa in nobis, vel vt faciat facere: quæ quidem Ecclesiæ praxis maximum est Augustinianę, hoc est, verę sententiæ fundamentum. Referam ergo potiores Ecclesiæ in orando formulas.

Excusatio Authoris de prolixitate.

In prima Dom. Adu. sic orat: *vt ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis mereamur te protegente eripi, te liberante saluari*. In 2. Dom. Adu. orat. post Comm. *Supplices te rogamus, vt doceas nos terrena despicere, & amare Cælestia*: In Dom. 3. orat. secr. *& sacri peragat instituta mysterij, & salutare tuum in nobis mirabiliter operetur*: & in orat. post comm. *vt hæc diuina subsidia à vitijs expiatos, ad festa ventura nos præparent*. Feria 6.4. Temp. Adu. orat. post Commun. *Sacramenti libatio sancta restauret, & à vetustate purgatos in mysterij salutaris faciat transire consortium*. In Natiuitate Domini orat. secr. *vt tua gratia largiente*

Hanc à Deo petit Ecclesia.

te per hęc Sacrosancta commercia in illius inueniamur forma, in quo tecum est nostra substantia : In 2. Missa Natiuit. orat. prima : *Da*, &c. *vt hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente* : In Missa S. Stephani : *Da nobis quæsumus Domine imitari quod colimus, vt & discamus inimicos diligere* : &c. In Dom. infra oct. Natiu. *Omnipotens Deus dirige actus nostros in beneplacito tuo* : in orat. secr. *vt munus oblatum, & gratiam nobis piæ deuotionis obtineat* : &c. Dom. infra oct. Epiph. orat. 1. *Cælesti pietate prosequere, vt, & quæ agenda sunt videant, & adimplenda, quę viderint conualescant* : orat. secr. *Viuificet nos semper, & muniat*. In Dom. 3. post Epiph. orat. post Comm. *Augeatur in nobis, quæsumus Domine, tuæ virtutis operatio, vt*, &c. In Dom. 3. post Epiph. orat. post Comm. *Quos tantis, Domine, largiris vti mysterijs : quæsumus, vt effectibus nos eorum veraciter aptare digneris*. In Dom. 4. prima orat. *Deus qui*, &c. *pro humana scis fragilitate non posse subsistere : da nobis salutem mentis, & corporis : vt ea, quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuuante vincamus* : post Commun. *Munera tua nos Deus à delectationibus terrenis expediant : & cęlestibus semper instaurent alimentis*. In Dom. 5. post Epiph. orat. secr. *vt, & delicta nostra miseratus absoluas, & nutantia corda tu dirigas*. In Dom. 6. *Præsta* &c. *vt semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, & dictis exequamur, & factis*: orat. secr. *mundet quæsumus, renouet, gubernet, & protegat*. Post Comm. *quæsumus, vt semper eadẽ, per quæ veraciter viuimus, appetamus*. In Dom. Septuag. orat. post Comm. *Fideles tui, Domine, per tua dona firmentur, vt eadem, & percipiendo requirant, & quærendo sine fine percipiant*. In Dom. Sexag. orat. post Comm. *Tibi placitis moribus*

Plurimę orationes, quibus vtitur Ecclesia in petẽdo à Deo gratiam.

Semper pẽtit, vt faciat nos facere.

ribus dignanter deseruire concedas : In benedictione cinerum, orat. penultima : *capitibus seruorum tuorum, &c. effunde propitius gratiam tuæ benedictionis; vt eos & spiritu compunctionis repleas, & quæ iustè postulauerint efficaciter tribuas; & concessa perpetuò stabilias, & intacta manere decernas*. Fer. 6. post cin. orat. secr. *Sacrificium*, &c. *mentes nostras tibi reddat acceptas, & continentiæ promptioris nobis tribuat facultatem*. Feria 5. Dom. 1. Quadrag. orat. postrema. *Da, quæsumus Domine*, &c. *& quæ profitentur agnoscere; & cæleste munus diligere, quod frequentant*. Feria 6. orat. prima. *Esto Domine propitius plebi tuę, & quam tibi facis esse deuotam, benigno refoue miseratus auxilio*. In Sabbato 4. Temp. orat. penultima. *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur*. In orat. vlt. *Fideles*, &c. *Benedictio desiderata confirmet; quę eos, & à tua voluntate numquam discrepare, & tuis semper indulgeat beneficijs gratulari*. Dom. 2. Quadrages. orat. 1. *Deus*, &c. *interiùs, exteriùsque custodi: vt ab omnibus aduersitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente*. Fer. 4. orat. vlt. *vt spiritus tui feruore concepto, & in fide inueniantur stabiles, & in opere efficaces*. Fer. 5. post Comm. *Gratia nos, quæsumus Domine, non derelinquat: quæ & sacræ nos deditos faciat seruituti, & tuam nobis opem semper acquirat*. Fer. 6. post Comm. *Fac nos*, &c. *sic tendere congruenter: vt ad eam* (salutem æternam) *peruenire possimus*. In Sabbato orat. post Comm. *Diuina libatio penetralia nostri cordis infundat: & sui nos participes potenter efficiat*. Feria 3. Dom. 3. Quadrages. prima orat. *continentiæ salutaris propitius no-*

Phrases multę petendi, sed substantia eadem.

nobis dona concede. Secr. *Qui nos, & ab humanis retrahat semper excessibus; & ad salutaria dona perducat*. Orat. vlt. *Tua nos, Domine, &c. protectione defende: & ab omni semper iniquitate custodi*: Feria 5. Dom. 3. orat. vlt. *subiectum*, &c. *& tuis semper faciat seruire mandatis*. Sabbato Dom. 3. orat. vlt. *Prætende, &c. dexteram cælestis auxilij: vt te toto corde perquirant*, &c. In Dom. 4. Quadrages. orat. post Comm. *Da*, &c. *vt sancta tua sinceris tractemus obsequijs, & fideli semper mente sumamus*. Feria 2. illius Dom. orat. vlt. *Deprecamus*, &c. *Et quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensionis auxilium*. Fer. 4. eiusdem, orat. vlt. *Pateant*, &c. *& vt petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi sunt placita postulare*. Sabbato eiusdem Dom. orat. prima. *Fiat per gratiam tuam fructuosus nostræ deuotionis affectus*, &c. orat. secr. *& ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates*. In orat. vlt. *Deus*, &c. *da nobis dignè flere mala, quæ fecimus: vt*, &c. Fer. 3. Dom. Pass. orat. post Comm. *Da, vt quæ diuina sunt, iugiter exequentes*, &c. & in orat. vlt. *Da nobis perseuerantem in tua voluntate famulatum*, &c. Feria 6. eiusdem Dom. orat. prima. *Cordibus nostris gratiam tuam benignus infunde: vt peccata nostra castigatione voluntaria cohibêtes*, &c. Fer. 6. maioris hebdom. in orat. pro ordine Ecclesiastico: *exaudi nos*, &c. *vt gratiæ tuæ munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter seruiatur*. In Sabbato Sancto orat. post primam prophe. *Da nobis contra oblectamenta peccati, mentis ratione persistere*, &c. In orat. post 3. prophe. *Da populis tuis dignè ad gratiam tuæ vocationis introire*. In orat. post prophet. 10. *Da nobis, & velle, & posse quæ præcipis, vt*, &c. *vna sit fides mentium, & pietas actionum*. In orat.

Semper idem petit Ecclesia.

Vt Deus faciat nos bonū facere.

orat. poſt 12. *Vt quod noſtræ humilitatis gerendum eſt miniſterio, virtutis tuæ impleatur effectu*: & hęc in præfatis orationibus ab Aduentu vſque ad Paſcha petit à Deo Mater Eccleſia, vt nempè per ſuam gratiam bona opera noſtra faciat, ideſt, nos facere per gratiam faciat.

293. Vt autem euidenter appareat, quòd gratia neceſſaria homini ad benè, *ſicut oportet*, operandum, à malo cauendum, & in bono perſeuerandum, eſt illa, quam docet Auguſtinus, nempè, non quæ ſubiacet voluntati, ſicut illa, quę data fuit Adæ innocenti, vt ea vteretur ſi vellet, & ſine qua bonum velle non poterat; ſed illa, quæ facit, vt voluntas faciat bonum, trahens illam alliciendo, & ſuauitatem, ac delectationem impertiendo; & poſtea de concordia earum dicam, proſequor libenter oſtendere praxim Eccleſię in petendo à Deo, quod ipſe faciat nobiſcum opus bonum, ſeu faciat per gratiam nos facere, in bono perſeuerare, & malum cauere. In die Paſchæ orat. prima dicit, *Vota noſtra, quæ præueniendo aſpiras, etiam adiuuando proſequere*. In orat. ſecr. *vt te operante proficiant*. In orat. vlt. *tua facias pietate concordes*. In fer. 3. poſt Paſcha orat. 1. *concede famulis tuis: vt Sacramentum viuendo teneant, quod fide perceperunt*. In orat. vlt. *Concede, vt continua in noſtris mentibus perſeueret*. Fer. 5. orat. 1. *Da vt renatis vna ſit fides mentium, & pietas actionum*. Fer. 6. orat. 1. *Da mentibus noſtris, vt quod profeſſione celebramus, imitemur effectu*. Dom. in Albis. *Hæc te largiente, moribus, & vita teneamus*. Dom. 3. poſt Paſcha orat. 1. *Da cunctis, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, & illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini, & ea, quæ ſunt apta ſectari*. Secr. *His nobis myſterijs conferatur,*

Quod gratia, quam S. Aug. docet ſit neceſſaria ad benè operandum.

Ex Eccleſ. orat.

tur, quò terrena desideria mitigantes, discamus amare cælestia. Dom. 4. orat. 1. *Deus qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis; da populis tuis id amare, quod præcipis, id desiderare, quod promittis*. Domin. 5. orat. 1. *Largire supplicibus tuis, vt cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante, eadem faciamus*. Orat. vlt. *Tribue*, &c. *& desiderare, quæ recta sunt, & desiderata percipere*. Dom. infra oct. Ascens. orat. 1. *Fac nos tibi semper, & deuotam gerere voluntatem, & maiestati tuæ sincero corde seruire*. Orat. secr. *& mentibus nostris supernæ gratiæ dent vigorem*. Orat. vlt. *Da quæsumus, vt in gratiarum semper actione maneamus*. In vigilia Pentec. orat. 1. *Concede nobis, & nostræ voluntatis prauitatem frangere; & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere*. In orat. 5. *Da famulis tuis, vt quæ à te iussa cognouimus, implere cælesti inspiratione valeamus*. In orat. vltim. *Concede*, &c. *vt cælestibus desiderijs accensi, fontem vitæ sitiamus*. In Dom. Pentec. *Da nobis in eodem spiritu recta sapere*, &c. in Sabbato 4. Temp. Pentec. orat. 3. *Concede nobis propitius, & mente, & corpore tibi semper esse deuotos*. Dom. 1. post Pentec. orat. post Comm. *Præsta quæsumus; vt à tua numquam laude cessemus*. Dom. infra octauam Corporis Christi orat. secr. *Oblatio*, &c. *purificet; & de die in diem ad cælestis vitæ transferat actionem*. Dom. 5. post Pentec. orat. 1. *Infunde cordibus nostris tui amoris affectum: vt te in omnibus, & super omnia diligentes*, &c. Dom. 6. post Pentec. orat. 1. *Insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis Religionis augmentum: vt quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias*. Dom. 3. post Pentec. orat. 1. *Largire nobis quæsumus Domine, semper spiritum cogitandi, quæ*

Petit, vt faciamus.

Multę petitiones Ecclesiæ hoc probant.

recta sunt, propitius, & agendi: vt qui sine te esse non possumus, secundum te viuere valeamus. Orat. secr. *vt gratiæ tuæ operante virtute, & præsentis vitæ nos conuersatione sanctificent*, &c. Dom. 9. orat. 1. *Fac eos, quæ tibi sunt placita postulare.* Dom. 12. orat. 1. *Deus de cuius munere venit, vt tibi à fidelibus tuis dignè, & laudabiliter seruiatur: tribue quæsumus, vt ad promissiones tuas sine offensione curramus.* Dom. 13. orat. 1. *Da nobis, fidei, spei, & charitatis augmentum; & vt mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare, quod præcipis:* Dom. 15 orat. vlt. *Mentes nostras, & corpora possideat, quæsumus Domine, doni cælestis operatio: vt non noster sensus in nobis, sed iugiter eius preueniat effectus.* Dom. 16. orat. 1. *Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper, & præueniat, & sequatur: ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos.* Dom. 17. orat. 1. *Da populo tuo diabolica vitare contagia; & te solum Deum pura mente sectari.* Fer. 4. quatuor Temp. Septembr. orat. 1. *Misericordiæ tuæ remedijs, quæsumus Domine, fragilitas nostra subsistat: & quæ sua conditione atteritur, tua clementia reparetur.* Orat. vlt. *Deprecamur: vt quæ sedula seruitute donante te gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus.* In Sabbato 4. Temp. orat. post 2. proph. *Vt salutis æternæ remedia, quæ te inspirante requirimus, te largiente consequamur.* Dom. 18. orat. 1. *Dirigat corda nostra, tuæ miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus.* Orat. vlt. *tuam misericordiam deprecantes; vt dignos nos eius participatione perficias.* Dom. 19. orat. vlt. *Tua medicinalis operatio* &c. *& tuis semper faciat inhærere mandatis.* Dom. 20. orat. vlt. *Fac nos quæsumus tuis semper obedire mandatis.* Dom. 23. orat. secr. *Vt quod immeritis contulisti, propitius exequaris.* Dom. 24. orat. secr. *Om-*

Clarissimè probant nos indigere gratia, quę facit nos facere.

Aliæ plurimæ petitiones eiusdem gratię

Omnium nostrum ad te corda converte, vt à terrenis cupiditatibus liberati, ad cælestia desideria transeamus. In festo SS. Trinit. orat. secr. *& per eam oblationem, nosmetipsos tibi perfice munus acceptum*. In missa de Spiritu Sancto orat. 1. *Da nobis in eodem spiritu recta sapere*, &c. In Missa Sanctiss. Corp. Christi orat. 1. *tribue quæsumus ita nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt*, &c.

v94. Igitur cùm Ecclesia precetur Deum, vt tale auxilium, talem opem, talem gratiam nobis concedat, qua faciamus, seu quę operetur, vt faciamus, seu faciat nos facere ea, quę Deus præcipit, & quę sunt nobis necessaria, seu remedia ad salutem, vel quæ sunt ei placita, iuxta varias formulas supra relatas, concludendum est, hanc gratiam esse nobis necessariam, vt ea opera faciamus; quæ conclusio mihi videtur euidens: & ingenuè fateor, quòd egomet, dum licet indignè pro me, & pro alijs, tàm amicis, quàm inimicis (si qui sunt) & pro infidelibus ad conuertendum precor, ab Ecclesiæ praxi, & Augustini documento instructus, sic explicitè precor. *Domine concede mihi, aut illis gratiam, quæ faciat me, & eos facere, quæ præcipisti, & quæ tibi placita sunt*. Sic pariter orabat S. Augustinus, vt ipsemet testatur in lib. 10. Confess. cap. 29. *da Domine quod iubes, & iube, quod uis*: & in Deuteron. cap. 53. ait: *Deus facit, quod iubet, vt fiat*: ergo ista gratia est necessaria, quę facit exequi, seu facere opus. Quomodo autem moueat liberum arbitrium, vt simul cum ea faciat, dicam postea.

Conclusio euidens est

Authoris modus orandi.

S. Aug. modus orandi

295. Prob. 3. rationibus adductis in cap. 6. & 7. quę iterum recolere non erit inutile; agitur enim de toto asse, nempè de medijs ad salutem necessarijs, vt puta de obseruantia pręceptorum,

Rationes aliàs ab Authore allatę: sed necessarię.

& consiliorum, ac de exercitio virtutum, sicut oportet; Ioann. 6. Saluator ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me traxerit eum.* Accessio ergo ad Christum per fidem, spem, & charitatem, est opus Dei trahentis, idest, facientis, vt homo accedat per eos actus ad Christum. Glos. ord. ait. *Tractio hæc non est violenta, aut necessitatis, nec inuiti; sed voluptatis, & desiderij, vnde dicitur, trahit sua quemque voluptas,* &c. Lyr. inquit. *Nihil potest ascendere ad id, quod est supra naturam suam, nisi ab alio trahatur. Sicut lapis non potest sursum ascendere, nisi per motum alterius: fides autem formata charitate est supranaturam; ideò ad eam nemo potest venire, nisi à Deo trahatur.*

Ex S. Scrip.

296. S. August. vt retuli in cap. 7. tract. 26. in Ioan. de hac tractione, seu gratia trahente, mirabilia multa dicit: Aliqua referam. *Nemo venit, nisi Pater traxerit eum. Magna gratiæ commendatio; nemo venit, nisi tractus;* &c. vt ibi. *Quid hic dicimus fratres, si trahimur ad Christum; ergo inuiti trahimur? Ergo inuiti credimus? ergo violentia adhibetur? non voluntas excitatur? Credere non potest nisi volens. Noli cogitare te inuitum trahi; trahitur animus, & amore. Forsitan in hoc euangelico verbo repræhendamur, & dicatur nobis, quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico, parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui:* & post alia multa, vt *in cap.* 7. prosequitur. *Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur: & quod currit, trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur. Si ergo hæc, quæ inter delicias, & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt, trahit reuelatus Christus à Patre. Quid enim fortiùs desi-*

S. August.

Quomodo voluntas trahitur à Deo.

desiderat anima, quàm veritatem? ergo ista gratia, quę suauiter animam trahit ad credendum, est homini necessaria, vt & possit operari bona opera, & actu operetur; alioquin à passionibus internis, & externis, curisque mundi, atque concupiscentijs distractus, & illectus, etiam illuminatus, ac inspiratus, numquam operaretur.

297. Prob.4.ex Rom.8. 14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*; ergo gratia ista est necessaria, vt simus filij Dei, nempè, quæ agat nos, faciatque nos bona opera, sicut oportet, facere. Glos. ord. *aguntur*, dicit, *Plus est agi, quasi vix aliquid agentem, quàm regi, quasi aliquid agentem, qui ideò regitur, vt rectè agat. Sed aguntur, non quod per se nihil, sed quod vix, vt aliquid agant, impetu gratiæ impelluntur*. Hac ergo gratia indigemus ad actu operandum, vt simus filij Dei. S.August. expendens hunc locum in ser. 13. de Verb.Apost. inquit. *Dicet mihi aliquis, ergo agimur, non agimus. Respondeo, immò agis, & ageris: & tunc benè agis, si à bono ageris; spiritus enim adiuuat infirmitatem nostram*: & in lib.de Corrept.& Gratia cap.2.ait. *Intelligant filij sunt, se spiritu Dei agi, vt quod agendum est, agant; & cum egerint illi, à quo aguntur gratias agant: aguntur enim, vt agant; non quod ipsi nihil agant; & ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant, vt quando agunt, sicut agendum est, cum dilectione, & delectatione iustitiæ suauitatem, quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum suum, accepisse gaudeant*, & in tract.de Pugna animę dicit. *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei; non sunt filij Dei, si non aguntur spiritu Dei. Pugnent, quia magnum adiutorem habent*, & cętera multa, *vt in cap.7*.

Ex epist.ad Rom.

S. August.

298. Prob. 5. alio Pauli loco, & fortiori pro gra-

Ex Philip. epist. gratiæ potentia, & efficacia erga voluntatem ad opus bonum, ficut oportet, Philipp. 3. *Deus est enim qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Magni ponderis locus iste est. Interl. *operatur*, ait, *bonum*, Glof. ord. *Deus operatur*, inquit, *nos volumus; sed Deus operatur in nobis, velle, & operari. Hoc enim nobis, & credere, & dicere expedit, quia pium est, & verum; vt sic sit humilis confessio, & totum Deo detur. Per proprium enim arbitrium, nisi gratia illud adiuuet, nec ipsa bona in homine voluntas esse potest.*

299. S.August. in lib. de Gratia, & lib. arb. cap. 9. considerans hæc, & antecedentia Apostoli verba, *Cum timore, & tremore vestram salutem operamini; Deus enim est, qui operatur in vobis velle, & operari*, dicit. S.August. *Quando iubetur, operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium; sed ideò cum timore, & tremore, ne sibi tribuendo, quod bonum operantur, de bonis, tamquam suis extollantur. Tamquam ergo Apostolus interrogaretur, & diceretur ei, quare dixisti cum timore, & tremore? horum verborum rationem reddit, dicens, Deus est enim, qui operatur in vobis: si enim timetis, tremitis, non extollimini, tamquam de vestris operibus bonis, quia Deus est, qui operatur in vobis.* Idem confirmat, *lib. de spir. & lit. cap. 2.* initio *& cap. 33.* initio: *de Ciuit. lib. 22. cap. 1. de Gratia Christi cap. 4. 5.* 10. *&* 25. Pluries August. *In quæstionibus super Exodum lib. 2. quæst. 167.* Item *in lib. cont. duas epist. Pelagianorum lib. 1. cap. 10. & 19. lib. 2. cap. 8. In Enchir. cap. 32. in lib. de Prædest. & Grat. cap. 11. in lib. de Bono Perseu. cap.* 13. In his ergo, & in alijs pluribus locis S. Doctor eodem modo declarat dictum Pauli locum, in quibus omnibus exaltat gratię efficaciam; per quam Deus dicitur operari bonum, idest, facit,

cit, vt per eam humana voluntas operetur; hæc ergo gratia, quæ facit nos facere bonum, est desideranda, & semper à Deo petenda: hęc dicenda est necessaria ad exequendum bonum, non alia, quæ non perducit ad executionem.

Et quia quo ad me de summa rei huius nunc agitur, non grauabor iterum referre, quæ in sępè cit. *cap.7.* ex S.August. retuli de gratię efficacia circa opus bonum, circa perseuerantiam in eo, fugam peccati, & resistentiam ad tentationes; Deus enim, ait S.Doctor, facit, vt faciamus, perseueremus, fugiamus, & resistamus, quę meo videri clarissima sunt in epist.107. quæ est ad *Vitalem*, dicit, *Deus gratia præuenit hominis voluntatem, nec eam in cuiusquam voluntate inuenit, sed facit, & vocatione alta, atque secreta, sic agit hominis sensum, vt legi, ac doctrinæ accomodet assensum*. In lib.4. ad Bonif. cap. 6. ait. *Ita ne nondum euigilatis, nondum auditis, faciam, vt ambuletis, faciam, vt obseruetis; postremò faciam, vt faciatis. Quid adhuc vos inflatis? nos quidem ambulamus verum est; nos obseruamus, nos facimus; sed ille facit, vt ambulemus, vt faciamus*. In lib. de Gratia, & lib. arb. cap.16. inquit. *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, vt velimus bonum. Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit, faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis*. In cap. 17. dicit, *ipse, vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*. In lib. de Corr. & Gratia cap.12. dicit, *Tantum quippè Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, vt ideò possunt, quia sic volunt; ideò sic volunt, quia Deus operatur, vt velint*. In epist. citata 107. expendens locum illum psal.36

Alia multa S. August. loca de gratię efficacia.

Ex locis S. Script.

Apud

Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam eius volet, dicit, *à Domino gressus hominis diriguntur, vt intelligeremus ipsam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere (quoniam Dei via quid est, nisi fides recta) illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primum, vt velimus*: In lib. de Gratia & lib. arb. cap. 5. ait. *Nisi donum Dei esset, etiam ipsa nostra ad Deum conuersio, non ei diceretur, Deus virtutum conuerte nos*; & in Capite antecedenti dixerat. *Contine teipsum; & tamen non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est; quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent, quod nolunt. Quibus autem datum, sic volunt, vt impleant, quod nolunt*. Item in eodem Capite ait: *Cum voluntas hominis conuertitur, & ei dicitur, noli vinci à malo, quid ei prodest, nisi gratia succurrente fiat? Quod ipse Apostolus secutus adiunxit. Nam cum dixisset, virtus peccati lex, continuò subiecit; Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum: Ergo, & victoria, qua peccatum vincitur, nihil aliud est, quàm Domini Dei iusto certamine adiuuantis liberum arbitrium*: In epist. 105. dicit, *Vita æterna, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratia datur, non ideò, quia meritis non datur; sed quia data sunt ipsa merita, quibus datur: intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus, cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur?* & proindè in lib. 14. de Trin. cap. 10. de hac gratia pro gratia explicans illud Psalmi, *Dedit dona hominibus*, ait, *dona sunt merita nostra, quibus ad summum bonum immortalitatis, & beatitudinis peruenimus*: id ergo præstat nobis gratia, seu Deus per gratiam, facit, inquam, vt per eam nos, quibus conceditur, in executione ponamus,

S. August. doctrina clara super ijs scripturis.

Cur vita æterna dicitur gratia.

ſeu faciamus opera bona conducẽtia ad ſalutem; quæ quidem, ſine gratia numquam, nec faceremus, nec facere poſſemus. Hac ergo gratia indigemus, vt ea faciamus, alioquin, ait Auguſtinus, numquam faceremus.

300. Poſtremum argumentum, quod in *cap.* 7. adduxi ex S. Auguſtino de virtute, potentia, & efficacia gratię liberi arbitrij in ordine ad bona opera, deductum ex ſimilitudine ſeſſoris ad iumentum, quo ipſe S. Doctor vtitur *in Hippognoſticon. lib.* 3. inquiens, quòd ſicut ſeſſor equi v.g. dirigit, ac regulat equum, quò, quando, & quomodo vult, & equus paret ſeſſori, magni momenti eſt pro præſenti negotio. Legi poteſt in dicto Capite ſeptimo; & iterum fortè referam in ſequẽti Capite: iſta ergo gratia, quæ agat, regat, ac dirigat voluntatem, ex ſe ratione ſenſuum, inclinatam ad malum, vt ab eo declinet, ac faciat bonum, neceſſaria nobis eſt. **Similitudo ſeſſoris ad equum.**

301. Totum, quod hucuſque dictum eſt, confirmari poteſt hoc argumento, meo videri, valido. Ad benè operandum, *ſicut oportet*, eſt neceſſaria gratia: hęc propoſitio eſt de fide, vt in ſuo loco probatum eſt. Tunc ſic: vel gratia hæc neceſſaria, eſt ſimilis illi, quam habuit Adam innocens, & velut indifferens, & ſubdita voluntati, vt ſi velit ea vtatur, & bonum faciat, ac malum fugiat; & ſi nolit ea vti, bonum non faciat, nec malum fugiat: vel eſt illa, quæ ſic delectat, afficitque voluntatem tali ſuauitate, vt faciat eam facere bonum per fidem cognitum, & inſpiratum. Non videtur dici poſſe primum: igitur dicendum eſt ſecundum. Maior eſt à ſufficienti diuiſione; non enim datur medium, nec video medium aliquod à Catholicis Theologis defendi. Min. prob. **Argum. à ſufficienti diuiſione concludẽs.**

primò, manifesta S. Augustini Doctrina, vt in prima conclusione. 2. *Ex Concil. Arauſ.* 2. subscribente illa 25. decreta de gratia sibi præmissa à Romano Pontifice, vt idem Concilium testatur in cap. 1. Patet autem in *cap. 6.* hanc sententiam, seu hunc dicendi modum reijcere: sic enim habet.

Ex Concil. Arauſ. 2.

Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis, misericordiam dicit conferri; non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem, & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit (aliàs subigit) *gratiæ adiutorium; nec vt obediens, & humillimus ipsius gratiæ donum esse consentit; resistit Apostolo dicenti* 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti? & gratia Dei sum id, quod sum*: & sic voluntas subijcitur gratiæ, non gratia voluntati. 3. ex doctrina, ac factis ipsius Apostoli à Deo electi ad docendum vniuersum Mundum; quem quidem a Deo protectum, & diuinæ gratiæ auxilijs suffultum fuisse, nemo inficiabitur: & tamen confitetur, se imparem, ac impotentem ad resistendum legi membrorum, idest, concupiscentijs, à quibus angebatur, ita quòd non faceret bonum, quod vellet, sed malum, quod nollet: verùm à gratia obtineret liberationem ab eiusmodi miseria, & sic bonum faceret. Verba illius hęc sunt ad Rom. 7 18. *Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo illud facio; iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem,*

Ex dictis; & factis Pauli arg.

gem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quę est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrũ. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei; carne autem legi peccati. Confitetur ergo, quòd bonum legis cognoscebat, & volebat facere. Hęc est gratia pręueniens, quæ illuminat ad cognoscendum bonum, & inspirat ad volendum. At dicit, quòd perficere non habebat propter repugnantiam legis membrorum, idest, concupiscentię. At non dicit se liberare ab hac difficultate per suam voluntatem vtentem illis auxilijs illuminationis, & inspirationis; sed à gratia Dei per Christum, idest, à gratia efficaci superante difficultatem, & operante in voluntate, & cooperante cum illa, vt bonum faceret.

Confessio Pauli super hac re.

Repugnātia faciendi opus bonum.

302. Confirmatur ex alijs factis, & confessionibus ipsiusmet Pauli, nam 1. Cor. 15. 9. de se ait. *Persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id, quod sum.* 2. ad Gal. 1. 13. *Supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam,* &c. *Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit me per gratiam, vt reuelaret filium suum in me,* &c. Interl. *vocauit,* inquit, *de mala via ad bonam*: qualis autem fuerit vocatio Pauli, quantæque efficacię, iam notum est. De gratia resistendi tentationibus sibi occurrentibus, loquitur in secunda ad Cor. 12. 7. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt*

Arg. ex factis, & confessione eiusdem Apostoli.

De gratia vocationis.

 disce-

discederet à me; & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Sciebat Paulus, Deum dare homini vires ad resistendum tentationibus: cur ergo illis non vtebatur, sed petebat maiores vires? Dicendum, quòd petebat gratiam potentiorem, quę daret resistentiam; de qua fuit à Deo redditus certus, & securus, per ea verba, *sufficit tibi gratia mea*, illa scilicet, quę facit te superiorem tentationi: de qua certificatus, ampliùs non timet, sed ait: *libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*, idest gratia illa, quę facit me superare tentationes.

Et de gratia resisten di concupiscentię.

Cùm igitur gratia illa, quę asseritur indifferens, & dimissa voluntati, vt ea vtatur, si velit, non facit facere opus bonum; quia nec in Adamo sano, & sancto id fecit; non ista, sed alia potentior, & efficax, illa scilicet S. Augustini, dicenda est ad faciendum opus bonum, *sicut oportet*, necessaria.

Conclusio euidens.

CAPVT XIV.

An Gratia ista faciens facere, *praeiudicet libero arbitrio.*

303. AD u. 1. & suppono idem esse liberum arbitrium humanum, ac humanam voluntatem liberam: notat autem S. Augustinus in lib. 3. Hippognosticon, dici *arbitrium*, ab *arbitrando* rationali consideratione; vel discernendo quid eligat, quidue recuset; & liberum, quia in sua positum est potestate, vt faciat, quod vult. Quòd verò in homine in statu naturæ lapsę adsit volun-

Liberum arbitrium, vnde dictũ.

voluntas cum hac libertate, seu liberum arbitrium licet debilitatum, seu attenuatum, mox probabitur.

304. Adu. 2. & suppono cum eodem S. Doctore in *lib. de Corrept. & Gratia cap.* 13. & alibi sæpè, quòd libertas hominis, quædam est à seruitute peccati; quædam est naturalis: de prima dicit Saluator Ioan. 8. 14. *Qui facit peccatum seruus est peccati*; & ideò, qui sine peccato reperitur, liber est iustitiæ: naturalis verò libertas est illa, qua potest homo facere, quod vult, siue bonum, siue malum, siue hoc, vel illud bonum, vel malum: de qua libertate dixit Deus ad Cain Gen. 4. 7. *Nonne si benè egeris recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit. Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*: & de qua Ecclesiastici 15. 14. dicitur. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, seruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam; ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit dabitur illi.* De hac libertate quærimus, an lędatur per gratiam inducentem liberam voluntatem ad faciendum bonum, ac ad vitandum malum, & facientem eam facere, seu exequi, sicut hucusque cum S. Augustino dictum est.

Libertas duplex, quędam à seruitute, quędā naturalis.

De secunda est nunc quęstio.

305. Adu. 3. & suppono cum Fide Catholica contra Lutherum, & Caluinum, liberum hominis arbitrium non esse titulum sine re, nec, quod ipsi phanaticè dicebant, fuisse extinctum in Adamo: sed esse veram, ac realem rem in homine existentem, potestatem scilicet faciendi hoc, vel illud bonum, vel malum: quæ quidem veritas

non

Liberum arbitrium reperitur in homine.

non est nouiter tradita, aut in solo Concilio Tridentino (quod sufficeret) declarata, nempe in *sess. 6. can. 5. & 6.* in quorum primo damnatur, vt hæresis, dicere, quòd per Adæ peccatum fuerit extinctum; & in 2. damnatur pariter, vt hęresis, dicere, quòd non sit in potestate hominis facere vias suas bonas, vel malas: sed veritas existentię liberi arbitrij in homine est antiqua, & perpetua in Ecclesia, nec vmquam interrupta eius notitia. Nam ante Concilium Tridentinum definiuerat Leo X. Constit. 40. Exurge, &c. & Concil. Senonense; in sexto Ecclesię sæculo fuerat definitum à *Concil. Arauſ. 2. cap. 13.* iuxta pręfinitionem *Fælicis* 4. qui ad Concilium illud (vt hoc initio fatetur) Capitula illa vigintiquinque transmiserat subscribenda. In sæculo pręcedenti anno scilicet 415. fuerat decisum in Concilio Diospolitano. Ante omnia hæc tempora id definierat Clemens I. *in epist. 3.* & S. August. liberi arbitrij existentiam in homine neruosè probat; primò in tribus libris de libero arbitrio continentibus capita 61. Secundò in *libro de Gratia, & libero arbitrio* continente capita 24. Tertiò in *libro de Natura, & Gratia* continente capita 70. & in multis alijs libris, vt de *Prædestinatione Sanctorum, de Corrept. & Gratia,* & alibi sparsim.

In Concil. Trid. & ante decem sęcula fuit definitum, immò in principio Ecclesię.

306. Verùm est, quòd tàm S. Augustinus, quàm præfata Concilia docuerunt, quòd per Adæ peccatum liberum arbitrium humanum circa malum remanserit quidem vigorosum, sicut priùs: at circa bonum remanserit debilitatum: & Concil. Arauſ. 2. dicit *Attenuatum*, quo vocabulo Concilium Tridentinum vsum est *in sess. 6. cap. 1.* dicens remansisse *attenuatum, & inclinatum*. Proindèque docent indigere gratia, seu diuino auxi-

Per Adæ peccatum fuit debilitatum.

auxilio, vt subleuetur, & fortificetur ad superandas passiones concupiscentiæ, & irascibilis, & bonum opus efficiat; quod de fide esse docuimus in c. 9. Ex hac ergo necessitate gratiæ ad operandum bonum, cùm dixerimus, authore S. Augustino, quòd gratia ista debet esse talis naturę, vt trahat liberum arbitrium ad faciendum bonum, & faciat facere bonum; oritur pręsens quęstio, an per hanc tractionem, liberum arbitrium lędatur, idest necessitetur, vel aliquid de sua libertate deperdat.

307. Adu. 4. ex Doctore Gratię S. August. *in libro de Gratia, & libero arbitrio cap.1.* quòd non ita defendendum est liberum arbitrium in ordine ad bonum, vt negetur gratia, vt fecit Pelagius, quasi ad Deum sine ea vocemur, vel à malis meritis sine ea liberemur, vel sine eadem bona merita comparemus, quibus ad vitam ęternam perueniamus. Neque ita defendenda est gratia, vt negetur liberum arbitrium, sicut Caluinus, & sicut Monachi Adrumetini olim putabant, quasi defendentes alterutrum negarent alterum; sed vtrumque conciliari debet. Qua de re illum librum composuit, vt ostenderet, ad opus bonum gratiam, & liberum arbitrium, nedum non lęsa, sed instaurata libertate, concurrere.

Non ita defendenda gratia, vt negetur liberum arbitrium, nec è contra.

308. Dico 1. Gratia efficax, seu faciens facere opus bonum (quam docet S. Augustinus, vt hucusque dictum est) non infert libero arbitrio violentiam, seu coactionem: est de fide.

Gratia efficax S. Aug. non lædit liberum arbitrium.

309. Prob. 1. pars generali principio S. Augustini de *Ciuit. lib. 7. cap. 30.* dicentis, *Res, quas Deus condidit sic gubernat, ac regit, vt motus suos agere sinat.* Ergo sinit liberum arbitrium in quocumque statu, pręsertim eleuationis ad superna-

tura-

turalia, agere liberè, ac ſpontaneè ſine vlla violentia, aut coactione. 2. ex alio principio eiuſdem S.Doctoris, *aut voluntas non eſt, aut libera dicenda eſt*. Dum autem in operatione boni cum auxilio gratię efficacis elicit actum, voluntas eſt; ergo libera eſt.

310. Prob. 2. Si coactionem, aut violentiam inferret libero arbitrio gratia hæc efficax, opus bonum ex coacta, ac violentata voluntate emanans eſſet violentum. Sed hoc eſt falſum; primò quia ex Philoſopho, *Violentum eſt illud, cuius principium eſt extra non conferente vim paſſo*, ideſt, non conferente inclinationem. Sed opus bonum elicitum à voluntate prędita, & adiuta gratia, non eſt à principio extra, ſed à principio interno; & paſſum, ideſt, voluntas, in qua reciperetur opus bonum, quod eſt immanens, inclinata eſt ad illud recipiendum, & multum in eo delectatur, & guſtat eius dulcedinem; *Guſtate*, inquit Dauid, *& videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*. 2. quia Deus exigit tunc actum voluntatis, nam Prou. 23.26. dicit, *Fili præbe mihi cor tuum*, & in vtroque Teſtamento pręcipit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ita & proximum tuum, ſicut teipſum*; & alia mandata, quæ opera per gratiam fiunt: igitur non violentat per gratiam. 3. Quia ſequitur, quòd perſeuerans in bono, ſeu iuſtitia ex Dei dono eſſet in ſtatu violento; idemque ſequeretur de confirmatis in gratia: hi enim omnes ex gratię dono id haberent; quę maxima abſurda ſunt, immò veriùs fatuitates dementium.

Quod non inferat uiolentiam.

Ex S. Scrip.

311. Confirmari poteſt ex Gloſ. ord. in cap. 6. Ioann. in locum illum, *Nemo venit ad me, niſi Pater meus, qui miſit me traxerit eum*: verbo *traxerit*

Ex Gloſ. probatur.

xerit, ait. *Tractio hæc non est violentiæ, nec necessitatis, nec inuiti: sed est voluntatis, & desiderij; vndè dicitur trahit sua quemque voluptas*: & sequitur. *Si ergo in his, in quibus non est vera dilectio trahitur homo amore, & desiderio, quantò magis trahitur aliquis vehementi delectatione, cui Pater reuelat panem, qui est vita, & beatitudo, & omne bonum: in quo commendatur magna gratia*: Hæc Glos. Commentarium S. Augustini super hunc locum, aliàs à me adductum, iterum infra adducam loquens de modo, quo gratia facit, vt voluntas faciat bonum: neque de hoc est difficultas, si Caluinum excipias, qui blasphemauit, Deum vim inferre homini, vt peccet; at hoc non dicit de opere bono, sed solùm, quòd gratia necessitatem infert voluntati, vt operetur bonum. Contra quem

Caluinus impiè loquens.

312. Dico 2. Gratia efficax, quæ scilicet secundùm Augustinum facit infallibiliter facere opus bonum, non infert necessitatem phisicam, seu naturalem voluntati, nec lædit eius libertatem: est de fide.

Gratia efficax non infert necessitatem.

313. Prob. 1. argumento, quo vtitur S. August. *in lib. de Gratia, & libero arbitrio cap.* 2. in quo demonstrat in homine adimpleturo præcepta (quod ex ipso, & ex fide fit per gratiam) adesse liberum arbitrium, & per illud impleri; hoc enim ab homine exigit Deus, vt velit implere: & loca plura ex S. Scriptura adducit. Ecclesiastici 15. dicitur. *Deus ab initio fecit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Si volueris conseruabis mandata, & fidem placitam seruare. Apponet tibi ignem, & aquam; ad quodcumque volueris extende manum tuam. In conspectu hominis vita, & mors, & quodcumque placuerit, dabitur ei*: Ecce ait Augustinus, *apertissimè videmus expressum libe-*

Liberè homo implet præcepta.

rum humanę voluntatis arbitrium. Quid beatus ille de quo psalmus dicit, quod in lege Domini fuit voluntas eius? Nonne satis indicat voluntate sua hominem in lege Dei consistere? Deindè tàm multa mandata, quæ ipsam quodammodò nominatim conueniunt voluntatem, sicut est. Noli vinci à malo. Nolite fieri sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus. Noli repellere consilia matris tuæ. Noli esse sapiens apud temetipsum. Noli deficere à disciplina Domini. Noli negligere legem. Noli abstinere benefacere egenti. Noli fabricare in amicum tuum mala. Noluit intelligere, vt benè ageret: & innumerabilia alia in veteribus libris diuinorum eloquiorum, quid ostendunt nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ? In libris etiam nouis Euangelicis, & Apostolicis, quid aliud ostenditur, vbi dicitur, Nolite vobis condere Thesauros in terra; nolite timere eos, qui occidunt corpus; Qui vult venire post me abneget semetipsum: & pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Et refert alia plura ex Epistolis Pauli, Iacobi, & Ioannis: & concludit. *Vbi dicitur noli hoc, & noli illud; & vbi aliquid faciendum, vel non faciendum in diuinis monitis, opus voluntatis exigitur, satis liberum demōstratur arbitriū. Nemo ergo Deum iudicet in corde suo, sed sibi imputet quisque, cum peccat. Neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate, Quando enim volens facit; tunc dicendum est opus bonum; tunc speranda est merces boni operis ab eo, à quo dictum est, reddet vnicuique secundum opera sua* Cùm ergo ista opera fieri nequeant sine diuina gratia, quæ facit ea facere; & tamen voluntas liberè ea facit; manifestè sequitur, quòd à gratia non necessitatur, sed liberè, ac voluntariè faciat.

Ex Sacra Scriptura.

Ex August. multa Scripturę loca indicantia libertatem

Conclusio clara de libertate voluntatis.

Con-

314. Confirmatur ex eodem S.August. *lib.3. de libero arbitrio cap.4.* vbi in Dialogo cum Euodio de libertate humana absque necessitate operante, non obstante, quòd Deus, & præsciat actus liberos ab ea fiendos, & actuali cum ea concursu adsit quando eos elicit; concludit S.Doctor, quòd semper libera est; & si necessariò operaretur, nec libera, nec voluntas esset; ergo per gratiam non necessitatur.

Præscientia Dei non officit lib. arb.

315. Prob.2.ex multis S.August. dictis super hoc puncto, quòd scilicet voluntas per gratiam, quam ipse docet ex se efficacem, non patiatur necessitatem: ex libro de spiritu, & litera cap. 30. *liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, sed statuitur, & sanatur; vt per eam liberè diligat bonum; quia vbi spiritus, ibi libertas*: in lib. 2. contra epist. Petil. cap. 84. *liberum arbitrium non læditur per hoc, quod Deus per gratiam trahit homines ad filium*: In lib.2.de pecc. mer. & remiss.cap.5. *liberum arbitrium cum gratia spontè concurrit ad opus bonum*. In lib.de Gratia, & lib.arb. cap.20. *Per gratiam liberum arbitrium non tollitur; sed de malo mutatur in bonum*. In lib.1. contra duas Epist.Pelagianorum cap. 19. *Gratia trahit ad Christum*, & in cap.20. *Gratia conuertit cor efficacissimè, & non læditur liberum arbitrium*. In lib.2. cap.8. *Gratia facit, vt homo non sit inuitus, nec repugnans legi, & tamen arbitrium non læditur*. De Nuptijs, & concupiscentia lib.1.cap. 30. *Gratia facit, vt homo condelectetur legi Dei secundum interiorem hominem*: lib.de Spirit.& lit. cap.34. *Deus operatur in nobis ipsum velle bonum, sed consentire, voluntatis est*. At in cap.3. dixerat, *quod hoc modo Deus per gratiam iuuat liberum arbitrium, & cum eo concurrit. Accipit homo Spiritum Sanctum, quo fit in*

Ex August. locis.

Multa S. Augustini loca.

eo delectatio, dilectioque summi, & incommutabilis boni; & sic inardeat inhærere Creatori, & inflammetur accedere ad participationem veri luminis: & nisi delectet non agitur, non suscipitur, non benè viuitur. Lib.2. de pecc.mer. & remiss. cap.18.ait. *Gratię non ita sunt omnia tribuenda, vt auferatur liberum arbitrium, nec libero arbitrio sine gratia sunt omnia tribuenda, ne ingrati videamur*: & in cap. 5. dixerat, *Deum per gratiam concurrere cum voluntate ad bonum, spontè concurrente efficacia voluntatis.* In lib.de spir.& lit. cap.35. *Gratia sanat liberum arbitrium, itaut cognoscat bonum, & delectet.* Lib.2 cont.duas epist. Pelag. cap. 18. *Deus per gratiam facit, vt homo faciat; & præparatur voluntas à Domino*. Lib.de Grat. & lib. arb. cap. 14. *liberum arbitrium pulsatur à gratia, vt velit consentire, & Deus aufert cor lapideum, & dat cor carneum*. In cap.15. ait.*Deus præcipit, vt seruentur mandata, & fiant bona opera, & ipse dat gratiam, vt fieri possint, & tunc habet homo tantam voluntatem, quanta ei sufficit, vt impleat*: & in cap.16.dicit. *Dat vires efficacissimas, vt impleat*, quod multis Scripturę locis probat: in cap.17. ait. *Vt velimus, Deus sine nobis operatur. Cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur*.

Aperta loca, quòd per gratiã non lędatur liberũ arbitrium.

315. Prob. vlteriùs. Tota ratio, cui innititur Caluinus, cur gratia ista faciens facere bonum, seu efficax S. Augustini videtur imponere necessitatem voluntati, est, quia sistit eam, vt non possit actum oppositum malum facere, & sic remanet determinata ad vnum, quod est proprium agentis necessariò. Sed hęc ratio ex pluribus capitibus ruit, & nulla est; ergo. Min. prob. primò ex S. August. lib.22. de Ciuit. cap.30. *in Beatis erit liberum arbitrium, licet peccare non possint*: *im-*

Argum. à sufficienti.

immò erit magis liberum per hoc, quod peccare non possunt. Immò, in Deo etiam est, ait, *liberum arbitrium, licet peccare non possit*. Numquid perfectionem aliquam importat posse peccare? absit; immò maximam imperfectionem. Ideò, quamuis Saluator omnes humanas inculpatas miserias, naturalesq; assumpserit imperfectiones; non tamen assumpsit peccabilitatẽ. Licet igitur gratia faciens facere bonum impediat tunc voluntatem, ne peccet, faciatque actum contrarium ei ad quem faciendum data est; non propterea liberum arbitrium læditur, vel imperfectionem aliquam incurrit; quoniam hęc gratia relinquit in homine libertatem ad posse peccare, vt docet Concilium Tridentinum.

Cur determinatio ad vnum non tollit libertatem.

316. Secundò prob. eadem minor sic. Voluntas prædita gratia illa faciente facere, seu efficaci, quantum est in se potest eam non sequi, sed maxima delectatione, ac suauitate (vt infra dicam) afficitur à gratia, ab eaque suauiter trahitur, sed cum sua libertate: & hęc est illa communis Scholasticorum Augustini sequacium distinctio de sensu diuiso, & composito, nempè considerata voluntate secundùm se, & vt informata gratia actuali, & actualiter cum illa cooperante, at semper in vtroque sensu libera confitenda est.

1. ratio.

317. Addenda existimo quædam Augustini loca de libertate non lęsa, immò instaurata à gratia faciente facere, seu efficaci. In epist. 89. ait. *Voluntas tantò erit liberior, quantò sanior; tantò autem sanior, quantò diuinæ gratiæ, misericordiæque subiectior*. In lib. 1. operis imperfecti, dignam Augustini inuenimus sententiam de necessitate voluntatis in benè agendo. *Intelligere debemus esse quamdam beatam necessitatem, qua Deus iniu-*

stus

Loca S.August. pro libertate voluntatis cum gratia

stus esse non potest . Immò verò si necessitas dicenda est, qua necesse est aliquid, vel esse, vel fieri, beatissima ista omninò necessitas, qua necesse est non mori, necesse est in deterius non mutari. Hac necessitate, si necessitas etiam ipsa dicenda est, non premuntur Sancti Angeli, sed fruuntur. Nec enim dicere audemus, Deum non voluntatem liberam habere, sed necessitatem iustitiæ, quia non potest velle peccare: optimè quidem. Quanta autem perfectio viatorum hominum esset, si essent in gratia confirmati, ita vt nec peccarent, nec possent peccare! Quis nam non cuperet hanc necessitatem semper benè operandi in via, vt posset in æternum fæliciter viuere, & frui in Patria! ò vtinam. Ideò meritò ait S. Anselmus, vt refert S.Bonau. *in 2.sent. dist.7. q. de lib.arb. Potestas peccandi non est libertas, nec pars libertatis*. Nullum ergo esset inconueniens, nullaque humanæ libertatis imperfectio, si gratia ita determinaret voluntatem; vt neque proximè, neque remotè, neque in sensu diuiso posset facere malũ, bono ad quod se determinaret oppositum; & tamen, vt dixi secundùm se, & in sensu diuiso potest, quia Concil. Trid. dicit voluntatem posse eam abijcere, si velit.

Quale determinatiuum facit necessitatẽ

318. Tertiò prob. min. Tunc principium effectiuum determinatum ad vnum, necessariò agit in Scoti, &, vt puto, vera sententia, quando determinatiuum est illi principio intrinsecum essentialiter, vt v. g. intellectus respectu sui obiecti, & omnes sensus respectu suorum obiectorum, omnes enim propositis sibi obiectis in debita distantia, & non impediti, non possunt non tendere in sua obiecta. Voluntas autem intrinsecè libera est; gratia autem, quæ illi infunditur, licet ipsi inhęreat tamquam forma subiecto; est tamen acci-

accidens adiuuans eam ad bonum actum faciendum.

319. Quòd verò illa determinatio ad vnum proueniens à gratia non imponat naturalem, seu phisicam necessitatem operandi, prob. à fortiori. Potestas peccandi, & inclinatio ad peccatum est ita intrinseca homini, vt nisi à gratia iuuetur, peccaret; & tamen nemo nisi Caluinus dicet hominem à Deo necessitari ad peccandum; vel Manicheus aliquis dicet hominem fato compelli ad agendum malè, vel benè: Catholicus autem cum Sacra Scriptura, & Concilijs confitebitur *esse in hominis potestate facere vias suas bonas, vel malas*: bonas quidem cum adiutorio diuinæ gratiæ, malas verò propria voluntate: ergo si principium intrinsecum impellens voluntatem ad malum, eam non necessitat; multò minus principium extrinsecum alliciens, & delectans voluntatem, vt est, & facit gratia, dici potest necessitare voluntatem, eo quòd eam determinet ad solum bonum. Anteced. de principio intrinseco impellente ad solum malum, nisi à gratia iuuetur, prob. Per peccatum Adæ in vniuersum genus humanum transfusa est concupiscentia, quę intrinseca est homini, & ab Apostolo appellatur peccatum; & tamen à Concilio Trid. dicitur sic, quia à peccato est, & ad peccatum inclinat, de qua dicit Apostolus Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*: & paulò ante dixerat. *Non enim quod volo bonum hoc ago; sed quod nolo malum illud facio*: & S. August. *in lib. de spir. & lit. cap. 9.* & *in lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap.* 8. & alibi sæpè, docet, quòd liberum arbitrium captiuatum est, quia attenuatum, & debi-

Argum. ab opposito excludens necessitatē operandi.

Concupiscentia non necessitat ad malum.

debilitatum, & non nisi ad peccandum valet; & nisi Dei gratia adiuuetur ad bonum meritorium non valet; vndè dolet de humana miseria, quòd per lapsum Adæ, *successit in homine peccandi dura necessitas, non quia necessitetur voluntas, sed quia debilitata est*: sic in *lib. de Perfect. Iustitiæ cap.* 4. & in illo, & in tribus libris *de libero arbitrio*, & in *libro de Gratia, & libero arbitrio, & in libro de Corr. & Gratia*, & alibi, totus est in probando, quòd homo liberè peccat; alioquin non posset ei imputari peccatum; quia, inquit, *peccatum adeò est voluntarium, vt nullo modo esset peccatum, nisi esset voluntarium*.

Ergo nec gratia ad bonum.

320. Si ergo inquam, hoc intrinsecum hominis principium retrahens à bono, inclinans, & captiuans voluntatem ad malum, & faciens etiam exequi, nisi voluntas adiuuetur à gratia, non infert necessitatem peccandi; quomodo gratia, quæ retrahit voluntatem à peccato, estque accidens, & extrinsecum comprincipium retrahens à malo, & inclinans, & captiuans ad bonum relinquens in voluntate posse peccare, dici poterit inferre necessitatem? Minimè verò. At dato, & non concesso, quòd inferret necessitatem aliquam moralem faciendi bonum, & perseuerandi in bono vsque ad mortem, prosequendi postea in Patria in bono perfectissimo, charitate nempè consumata, quid mali tandem esset tali facienti bonum? sed necessitatem non infert.

Dato, at nô concesso, quòd ad bonum semper necessitaret, nullum esset malum facienti bonum.

321. Adde. Confirmati in gratia, vt S. Ioann. Baptista, & B. Virgo, vt tales sub Dei protectione peccare non poterant; concursum enim Dei naturalem permittentem faciendi malum non habebant, & tamen merebant, quia bona, & sancta opera continuò exercebant; ac proindè liberè opera-

perabantur; meritum enim liberum opus esse debet. Sic ergo dicendum est de viris iustis operantibus bonum ex adiutorio gratiæ determinātis voluntatem ad bonum. Definitum enim nuper est per duas Apostolicas Constitutiones, quòd ad merendum, & demerendum non sufficit libertas à coactione, sed requiritur etiam libertas à necessitate.

322. Prob. tandem ex dicendis in Capite sequenti, quæ demonstrant, quòd gratia, quę facit facere opus bonum, seu efficax, ex sui natura sub Dei decreto non solùm excludit omnem vmbram violentiæ, ac necessitatis, & exigit arbitrij libertatem, eamque instaurat, ac confortat, sed etiam adducit volnntati delectationem operis faciendi, & suauitatem in faciendo; quod quidem verę, ac ingenuę libertatis, voluntarietatis, ac spontaneitatis euidens signum est. Alię rationes ad probandam libertatem in sequenti capite adducuntur.

CAPVT XV.

Quomodo Gratia ista, seu Deus per eam, concurrat cum voluntate ad opus bonum.

323. ADu. 1. hanc quoque quæstionem vrgere Theologorum quorumcumq; intellectus, quomodo nempe gratia afficiat voluntatem, cùm sit (vt postea dicam) qualitas quædam supernaturalis, ei phisicè, ac realiter inhærens; & cum ea concurrens ad actum: & honoris gratia non curabo discutere opiniones circa hoc, nec aliquam illarum iudicare audebo, quia dummodò saluem quouis modo libertatem, & efficaciam gratiæ, in suo statu eas relinquam: sed quia profiteor sequi in tota hac materia S. Gratię Doctorem Difficilis quæstio. Protestatio Authoris.

rem Augustinum, conabor ex eius libris, ac tractatibus (si Deus dederit, vt eius mentem benè capiam) resolutionem quæsiti pro viribus insinuare.

Actus ad quos concurrit gratia.

324. Adu.2.quòd,vt aliàs dixi in *c.10.* actus ad quos concurrit gratia adiuuans, seu efficax, ac faciens facere, sunt actus vocationis ad fidem, dispositionum ad eam vsque ad iustificationem, loquendo de infidelibus, de fidelibus verò quomodocumque lapsis ijdem actus quibus disponuntur ad pænitentiam vsque ad iustificationem: in iustis tandem omnes actus virtutum, obseruãtię pręceptorum, consiliorum, & supererogationis facti, sicut oportet, vt ibi diximus: & quęrimus, quomodò gratia, seu Deus per eam faciat, vt voluntas eos actus efficiat: ideò

Cum dulcedine, delectatione, ac suauitate voluntatis concurrit.

325. Dico. Gratia efficax priùs natura, seu tempore, quàm cum voluntate libera concurrat, delectat illam, & nedum bonum, sed suaue, ac Deo placens, & vtile illud ostendit, & inflammat ad volendum facere, & sic persuadendo dulciter, suauiter, ac delectabiliter, cum voluntate simultaneè facit opus bonum, propter quod datur.

326. Prob. 1. ex S.Scripturę locis.Ioann. *6.* 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me traxerit eum*: Hęc est gratia veniendi ad fidem, de qua Apostolus dicebat de se, *Misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis*, & alibi, *me vocauit per gratiam suam*. Glos. ord. *traxerit* dicit. *Tractio hæc non est violentiæ, nec necessitatis, nec inuiti, sed est voluntatis, & desiderij; vndè dicitur trahit sua quemque voluptas. Si ergo in his, in quibus non est vera dilectio trahitur homo amore, & desiderio, quantò magis trahitur aliquis vehementi delectatione, cui Pater reuelat panem, qui est vita, &*

Gratia voluntas trahitur, & quomodò.

beati-

beatitudo, & omne bonum, in quo commendatur magna gratia:& quia Saluator addit rationem à Propheta Isaia prædictam, cur omnes tracti veniunt ad fidem, inquiens, *& scriptum est in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei*, Glos. prosequitur: *omnes Christianæ fidei erunt docibiles Dei, quia & si homines foris loquuntur; tamen Deus solus intus sensum aperit, intus instruit veritatis cognitione, & amore*: Ecce quomodò Deus trahit ad faciendum bona opera; facit hominem docibilem, idest, persuasibilem cognitione veri boni, & illius amore.

327. S. August. in hunc Ioannis locum pluries dicit, delectatione, amore, & voluptate hominem trahi à Deo ad bonum: tract.26. in Ioan. ait. *Non traheris, ora vt traharis*: & post multa. *Noli cogitare, te inuitum trahi; trahitur animus, & amore. Neque dicas quomodò voluntate credo si trahor? ego dico parum est voluntate, etiam voluptate. Quid est trahi voluntate? delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: est quedam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cælestis. Porrò, si Poetæ dicere licuit, trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio; quantò fortiùs dicere debemus trahi hominem ad Christum; qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum est Christus*:& post alia multa, ostẽdens, quòd sicut sensus habent voluptates suas, & per eas trahuntur ad sua delectabilia, sic & animus, seu voluntas, inquit. *Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur; & quod currit trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista, quæ inter delitias, & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt; quoniam verum est,*

S. August. explicatio illius loci.

Similitudo trahendi cum volup. tate.

trahit sua quemque voluptas, quare non trahet reuelatus Christus à Patre? Quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem? quo auidas fauces habere debet: vnde optare, vt sanum sit intus palatum vera iudicandi, nisi, vt manducet, & bibat sapientiam, iustitiam, veritatem, æternitatem? &c. Idem confirmat in lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum cap. 19. in fine, inquiens. *Homo trahitur miris modis, vt velit, ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari; non vt homines, quod fieri non potest, nolentes credant; sed vt volentes ex nolentibus fiant:* Deinde in cap. sequenti authoritatibus Sacræ Scripturæ probat, quòd homines à Deo ad bonum faciendum, à malo recedentes trahuntur. His ergo suauibus, & dulcibus modis inflammando voluntates hominum, qui sibi placent, trahit ad benè operandum.

Deus per gratiā dulciter trahit.

328. Prob. 2. *ex Rom.* 7. vbi Apostolus, vt sępè retuli narrans certamen hominis inter spiritum, & legem membrorum, seu concupiscentiam, à quo certamine continuò infelix homo angustiatur, concludens per gratiam Dei superari, prę cęteris inquit. *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem:* Interl. *legi*, ait: *volens, quod illa, & gaudens iuuari ab ea*. S. August. expendens locum istum, *tract.* 41. in Ioannem, præ alijs dicit, *condelector,* &c. *Delectat me lex, delectat, quod iubet lex, delectat me ipsa iustitia:* Deus ergo per gratiam facit, vt opus legis, vel consilij delectet, & hoc modo trahit ad executionem.

Ex alio S. Scripturę loco.

329. Prob. ex Matth. 11. 30. *Tollite iugum meum super vos,* &c. *iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*. Glos. ord. miratur de hoc dicto, *quomodò suaue, si supra dicitur arcta est via, quæ ducit ad vitam*: & respondet. *Arcta est initio, sed tem-*

Alius Scripturæ locus.

temporis processu dilatatur dilectionis dulcedine. S. August. ser.10. de Verb. Dom. inquit. *Quæ dura sunt laborantibus, eisdem mitescunt amantibus. Omnia sęua, & immania prope nulla facit amor*: alibi autem ait, *Hunc amorem Deus inspirat*, & super ijs Psal. verbis. *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras*, August. ait. *Duræ sunt timori, non amori*: ita in lib. de Natura, & Gratia cap.69. & in lib. de Perf. iustitiæ, inquit. *Laborant in Dei præceptis, qui ea, timendo, conantur implere; sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam leuem, non solùm non prementem onere ponderum; verùm etiam sublevantem vice pennarum*. Hi autem sunt effectus gratiæ: ideò super illud psalm. 108. *Quia suauis est misericordia tua*, ait, *hic gratiam commendat*. Gratia si quidem Dei omnia opera, & si dura, & difficilia appareant, facit leuia, & suauia. Sic ergo voluntatem allicit, ac suadet, & persuadet, atque cum ea facit.

Dura per gratiam fiunt dulcia.

330. Quia verò de hoc modo agendi gratiæ, nempe cum suauitate, ac delectatione voluntatis cui confertur, sæpissimè loquitur S. Augustinus explicans illud psal. *Dominus dabit suauitatem* (vt ipse legit) *& terra nostra dabit fructum suum*; placet aliqua saltem eius loca afferre, vt appareat, illius mentem esse, quòd gratia faciens facere, idest efficax, quamuis voluntatem ad vnum, nempe bonum faciendum, infallibiliter alliciat, & inclinet; id tamen non facit, nec vim inferendo, neque necessitando, vt in cap. præcedenti dictum est; sed delectationem, ac suauitatem inferendo; alliciendo, & quasi persuadendo, & moraliter inducendo: parcat lector, si multa, & si non omnia, congero loca. In lib.2. de pecc. mer. & re-

Aliqua August. loca, quòd gratia facit dulcia opera facienda, licet dura videantur.

& remiss.cap.17.dicit. *Ideò vnusquisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur; vt nouerit, non suæ facultatis, sed diuini muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur: At sic ab elationis vanitate sanetur; & sciat quàm verè, non de terra illa, sed spiritualiter dictum est, Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum*: & post multa dicit. *Deum, bonum, ideò etiam Sanctis suis, alicuius operis iusti aliquando non tribuere, vel certã scientiam, vel victricem delectationem, vt cognoscant, non à seipsis, sed ab illo sibi esse lumen, vt illuminentur tenebræ eorum, & suauitatem, qua det fructum suum terra eorum*: & quòd hanc suauitatem, ac scientiam Deus per gratiam conferat, subiungit. *Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, quàm, vt aperiat quod latebat, & suaue faciat, quod non delectabat: quia, & hæc ab illo esse deprecandum, eius gratia didicimus, cum antea lateret, eius gratia diligimus, cum antea delectaret.*

Cur Deus aliquando iustis non dat istam delectationem.

331. Idem S.Doctor in psalm.118. multa dicit de hac suauitate, quam Deus per gratiam concedit homini, vt operaretur bonum. At nota, quòd dum nos in vulgata legimus, *bonitatem*, ipse Sanctus legit *suauitatem, & delectationem*. Super illud. *Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine*, ait, *Sic debemus intelligere suauitatem, vt Græci dicunt, vt in bonis spiritualibus deputetur. Propter hoc enim, eam, & bonitatem nostri appellare maluerunt. Nihil hic ergo aliud dictum existimo, suauitatem fecisti cum seruo tuo, nisi fecisti, vt me delectaret bonum. Quando enim delectat bonum; magnum Dei donum est. Quando autem bonum opus, quod lex impe-*

Multa de suauitate gratiæ loca

imperat fit timore pænæ, non delectatione iustitiæ, cum Deus metuitur, non amatur, fit seruiliter, non liberaliter: & super alium versum, *Bonitatem, & scientiam*, dicit, *suauitatem, & eruditionem, & scientiam doce me*, inquit, *augere sibi ista poscit, & perfici. Nam vtique, qui iam dixerat, suauitatem fecisti cum seruo tuo, quomodò dicit, suauitatem doce me, nisi gratia magis, magisque abundet, vel innotescat dulcedine bonitatis: habebant enim fidem, qui dixerunt, adauge nobis fidem*. Et super illum versum. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*, dicit; *Hæc est illa suauitas, quam Deus dat, vt terra nostra det fructum suum, vt bonum verè benè, idest non mali carnalis formidine, sed boni spiritualis delectatione faciamus*.

Super diuersos ps. versus.

332. In lib. 2. ad Bonifac. cap. 9. inquit. *Misericordia eius præueniet me, & ipse est, cui fideliter, veraciterque cantatur, quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: & quid hic aptiùs intelligitur, quàm ipsa de qua loquimur cupiditas boni? Tunc enim bonum concupisci incipit, cum delectare incipit*: & post aliqua. *Ideò benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, vt nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus, quod præcipit nobis, in qua si nos non præuenit Deus, non solùm non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis*.

Alia plura S.Aug.loca

333. In lib. de spir. & lit. cap. 3. inquit. *Nos autem dicimus humanam voluntatem sic diuinitus adiuuari ad faciendam iustitiam, vt præterquod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam, qua ei præcipitur quemadmodum viuere debeat, accipiat spiritum* (idest gratiam) *quo sibi in animo eius delectatio, dilectioque iustitiæ summi illius, atque incommutabilis boni, quod Deus est, etiam nunc, cum per fidem ambulans, non per speciem,*

Gratia dat delectationem.

ciem, vt hoc sibi veluti arrha data gratuiti muneris inardescat inhærere Creatori, atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis, vt ex illo ei benè sit, à quo habet, vt sit.

334. In eodem libro cap. 19. ait. *Per fidem confugiat* (homo) *ad misericordiam Dei, vt det, quod iubet, atque inspirata gratiæ suauitate per Spiritum Sanctum faciat plus delectare, quod præcipit, quam delectat, quod impedit.*

335. In lib. de Corr. & Gratia cap. 2. explicat vigorem gratiæ circa voluntatem, & modum suauem, quo agit, dicens. *Aguntur enim, vt agant, non vt ipsi nihil agant: & ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant; vt quando id agunt, sicut agendum est, idest, cum dilectione, & delectatione, iustitiæ suauitatem, quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.*

Homo à gratia agitur, vt agat, cũ delectatione.

336. Idem S. Doctor in Psalm. 84. in fine discurrens per multos virtutis actus, ostendit, quomodò Deus per gratiam auertit homines à delectationibus sensualibus mortiferis per delectationes spirituales salubres, faciens nempe per eam delectare opera virtutum vitijs oppositarum; & inquit. *Confitens illi peccata tua, mereberis ab illo delectationem, & suauitatem iustitiæ faciendæ. Dabit tibi, vt incipiat sic delectare iustitia, quem primò delectabat iniquitas; vt qui primò gaudebas in ebrietate, gaudeas in sobrietate; & qui primò gaudebas de furto, vt tolleres homini, quod non habebas, quæras donare non habenti, quod habebas; & quem delectabat rapere, delectet donare, quem delectabat spectare, delectet orare, quem delectabant cantica nugatoria, & adulteria, delectet hymnum dicere Deo, currere ad Ecclesiam, qui primò currebat ad theatrũ. Vndè nata est ista suauitas, nisi quia Dominus dabit*

Sic Deus auertit homines à delectationibus mortiferis.

ſuauitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Ecce quomodò gratia, ſeu Deus per eam, facit, vt voluntas, quæ de ſe, vel indifferens manebat, vel inclinata ad malum aliquod, inſpirata à Deo per gratiam, oſtenſo ſibi per intellectum bono contrario eam delectante, auerſa à mali delectatione, vult infallibiter obiectum illud bonum.

337. Idem S. Auguſtinus in pſalm. 33. ait. *Intra cor tuum, & gaudebis tibi. Cum ibi cæperis gaudere, ipſa munditia cordis tui delectabit te, & faciet orare*: in homil. 29. cap. vlt. docet quomodò Deus per gratiam ſuam faciat nos operari bonum, dicens, *inſpirando virtutem, dando menti tuæ cæleſtem delectationem, qua omnis terrena delectatio ſuperetur*.

Plura S. Auguſt. loca, quòd gratia facit delectari de obiecto bono.

338. Prob. vlteriùs eadem concluſio, quòd gratia, ſeu veriùs Deus per gratiam, inducat hominem ad operandum bonum, & faciat illud actu facere, inducens in eo, iam illuminato intellectu, notitiam veritatis, bonitatis, ac vtilitatis illius boni operis, & delectationem, ac ſuauitatem ipſius: ad quod concludendum S. Auguſtinus vtitur medio deſumpto ex admirabili diuinæ ſapiētiæ modo operandi connaturali humanæ naturæ. Supponit enim primò; quòd omnis peccans ideò peccat, quia delectationem, gaudium, & ſuauitatem percipit, & guſtat in quouis peccato: & licet res hæc notoria ſit, & quilibet purus viator, concupiſcentiæ tyramnidi ſubditus, hanc miſeriam experiatur: tamen eam S. Doctor pluribus in locis probat, incipiens à primis parentibus, qui etiamſi concupiſcentiæ miſeriam adhuc non contraxiſſent; nihilominus ex delectatione pomi, & deſiderio ſcientiæ boni, & mali peccarunt: ita *in lib. 2. de Gen. cont. Manich. cap. 14.* & de omnibus

Mirabilis modus Dei in hac operatione ſimilis operationi naturali hominis.

nibus alijs peccantibus omni peccatorum genere prosequitur probare, quòd ideò peccant, quia delectationem ex peccatis percipiunt; ita *in lib. 22. cont. Faustum cap. 18. in lib. 2. de Bapt. cap. 10. lib. 83. quæst. qu. 86.* & alibi sæpè. Vnum locum adducam per extensum, estque *sermonis 6. de Verb. Apost. cap. 1. Quidquid est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur nisi ex mala cupiditate, nisi ex illicita delectatione*, &c. Supposita inquam hac inclinatione, & facilitate hominis ad peccandum ex mera cupiditate, ac delectatione, (ait S. Augustinus) Sapientissimus, Potentissimus, ac benignissimus Deus, vt hominem ad delectationes malas, ac terrenas deditum, ab illis auerteret, & ad bona opera virtutum vitijs illis cõtraria per gratiam induceret, delectationes, ac suauitates spirituales, longè maiores, ac dulciores per gratiam voluntati hominis infundit, & sic illecta, & inflammata voluntas ad ea opera bona, siue præcepti, siue consilij, siue supererogationis prorumpit. Aliqua Augustini pro hac sententia afferam loca: in *lib. de continentia cap. 3.* ait. *Si lex factum præuaricatorem, tamquam ad hoc grauius vulneratum, tamquam pedagogus perducit ad gratiam contra suauitatem noxiam, qua vincebat concupiscentia; Dominus dat suauitatem beneficam, qua delectetur amplius continentia, & terra nostra det fructum suum, quo pascitur miles, qui debellat, Deo iuuante, peccatum.* In ser. 6. de verb. Apost. cap. 9. inquit. *Delectat vxor aliena, & non annuis, mentem auertis, in secretarium mentis intras. Vides foris strepentem concupiscentiam; profers aduersus eam sententiam mundans conscientiam; nolo inquis, non facio: puta quia delectat, non facio; habeo, cui condelecter. Condelector enim legi Dei, secun-*

Omne peccatum ob delectationem fit.

Ab opposito Deus facit, vt opera bona delectent.

secundùm interiorem hominem. Quid tu de carne tua tumultuaris? quid delectationes stultas, temporales, fluxas, vanas, noxias, tumultuosè sugeris, & eas quasi garula mihi narras. Narrauerunt mihi iniustè delectationes: inde est ista concupiscentia. Narrat mihi delectationes, sed non vt lex tua Domine. Condelector enim legi Dei, non de me, sed de gratia Dei. Aliqua August. loca.

339. Idem habet in ser. 17. cap. 1. de verb. Apost. *Præ omnibus voluptatibus, hoc est delectationibus, etiam licitis, amanda iustitia. Si enim habes sensus interiores, omnes illi delectantur delectatione iustitiæ*: & post aliqua, *interroget vtrum sic delectet iustitia, vt cæteris ad hos sensus corporis pertinentibus delectationibus anteponatur? ecce delectat te aurum tuum: oculos tuos delectat; metallum pulchrum, fulgentissimum delectat, &c. Decertant in te duæ delectationes: modò interrogo te, quid propones, quid plus delectat, aurum, an veritas; aurum, an verum testimonium?* & post plura, *longum est per singulos corporis sensus excurrere: sed quod de oculis dixi; hoc de cæteris intelligite, & proponite delectationi carnis delectationem mentis. Carnem quippè vestram delectant illicitæ voluptates; mentem vestram delectet inuisibilis, pulchra, sancta, canora, dulcis iustitia.* Vult per hoc S. Doctor insinuare Dei sapientiam, & misericordiam; qui vt miseros homines ad mala obiecta, malasque circa ea operationes ex delectatione concupiscentię propensos, ab eis auerteret, ac ad obiecta, & opera eis contraria conuerteret, atque traheret, vt Saluator dicit, per gratiam, maiorem, & nobiliorem delectationem voluntati inducentem, id facit: & sic nullus coactionis, aut necessitatis remanet scrupulus, cùm voluntas ad bonum operandum à gra- Delectationes spirituales maiores sunt corporalibus. Ijs vtitur Deus circa nos.

 tia

tia determinatur, sed vera voluntarietas, & vera voluptas, ac delectatio in ea reperitur.

340. Confirmatur ex eodem S. Doctore pluribus alijs in locis hic sapientissimus Dei nobiscum agendi modus, cùm gratiam nobis concedit, qua auertimur à malo, & facimus bonum; faciens per eam verè cognosci verum bonum, & ingerens delectationem, ac suauitatem, qua delectabiliter faciat: in lib. 2. de pecc. mer. & remiss. cap. 17. ait: *Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certiùs, quam bonum sit, nouimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueamur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstineamus. Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, Gratiæ Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates*: & in cap. 19. apertiùs id exprimit dicens: *Deum aliquando non tribuere, vel certam scientiam, vel victricem delectationem, vt cognoscant, non à seipsis, sed ab illo sibi esse lumen, et suauitatem, qui dat fructũ suum in terra eorũ*: & ibid. ait: *Cum à Deo illius adiutorium deprecamur ad faciendã, perficiendamq; iustitiã quid aliud deprecamur, quam vt aperiat, quod latebat, & suaue faciat, quod non delectabat.* Hoc ergo suaui modo benignissimus Pater per suam gratiam trahit hominum voluntates ad benè operandum.

Modus Dei cooperandi nobiscũ.

S. August. loca.

341. Immò cum tali suauitate, ac delectatione boni spiritualis, ac supernaturalis Deus homines, quos vult per gratiam, facit perseuerare in bono, nedum vsque ad exitum ex hac vita, quia in psal. 15. habetur, *Delectationes in dextera tua vsque in finem*, sed etiam in Patria per charitatem consumatam replet animam suauitate, ac delectatione omnes alias delectationes temporales

supe-

ſuperante. De perſeuerantibus loquitur S. Auguſt. in lib. de Corr. & Gratia cap. 8. inquiens. *Voluntas humana non libertate conſequitur gratiam, ſed potius gratia conſequitur libertatem* (ideſt à ſeruitute peccati) *& vt perſeueret, delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem*. Perſeuerantia enim in bono, eſt continua Dei protectio per gratiam, quod filij Dei, ac electi continuò experiuntur. De ſuauitate, ac delectatione in Patria, qua per gratiam, atque conſumatam charitatem Beati afficiuntur, S. Gregorius Magnus homil. 17. in Euang. ait. *Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere ſufficit illa ſupernæ ciuitatis quanta ſint gaudia. Angelorum Choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditori aſſiſtere; præſentem Dei vultum cernere, incircumſcriptum lumen videre, nullo mortis metu affici; incorruptionis perpetuæ munere lætari*: omnes ergo actus beatifici, in gaudio, dulcedine, ſuauitate, ac delectatione perficiuntur: & S. Auguſtinus in lib. 22. de Ciuit. cap. 30. docet ſingulare beneficium, atque gratiam, ſeu donum beatorum, eſſe delectationem, quòd peccare amplius non poſſint, inquiens. *Nec ideò liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt, magis quippe erit liberum à delectatione peccandi vſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum*: & in lib. 4. cont. Iul. cap. 3. de illa ſuaui delectatione Patriæ, inquit. *Tanta ſatiabitur viſione, & tanta inflammabitur charitate ſuperioris boni, ac ad ſeipſum ſibi placendò deficere ab illius dilectione non poſſit*. In lib. 9. de Ciu. cap. 22. de Beatis Angelis dicit. *Illis Dei qua ſantificantur charitas cara eſt, præ cuius non tantum incorporali, verum etiam ineffabili, & incommutabili pulchritudine, cuius ſancto amo-*

In Patria Beati cum delectatione amant Deũm.

Delectatio maxima in Beatis, quòd peccare non possint, &c.

amore inardescant, omnia quæ infra sunt, quod illud est, non sunt, seque ipsos inter illa contemnunt, vt ex toto, quod boni sunt, eo bono, ex quo boni sunt, perfruantur. Quod confirmat in lib. 14. cap. 9. dicens. *Vbi boni adepti amor immutabilis est; profectò si dici potest, mali cauendi timor securus est. Timoris quippe casti nomine, ea voluntas significata est, qua non necesse erit nolle peccare, & non sollicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus, sed tranquillitate charitatis cauere peccatum*: ex hoc autem modo agendi Dei, quem Deus exercet in Beatis, vt per gratiam, & charitatem faciat eis placere, ac delectare summum bonum, despiciant, & abhorreant alia omnia creata, licet delectabilia bona, existimo, quòd cum aliqua similitudine, vult inferre S. Augustinus, & ego cum eo, nisi fallor, quòd per suam gratiam sic operatur cum voluntate humana, vt omnia, quæ præcipit, vel consulit alicui, à quo vult, vt impleantur, ea reddit clara, vt cognoscatur eorum bonitas, ac veritas; & delectabilia, ac suauia, vt præferantur obiectis oppositis perniciosè delectabilibus, & hisce spretis, illa amentur, & amplectantur.

Omnia creata delectabilia despiciunt.

342. Quod totum comprobari potest ex factis plurium Sanctorum omnis conditionis: & primò ex factis Martirum: de quibus omnibus S. August. in lib. 18. de Ciuit. cap. 7. ait. *Sed quando in abundantia gratiæ spiritus illius, qui vbi vult spirat, tantum Christum amare possent, vt cum tanto vitæ discrimine sub tanta spe veniæ negare non possent? Mors igitur pretiosa Sanctorum, quibus cum tanta gratia est præmissa, & prærogata mors Christi, vt ad eum acquirendum non cunctarentur suam impendere animam*: & post. *Mors ergo, non ideò bonum videri debet, quia in tantam vtilitatem, non vi*

sua

sua, *sed diuina opitulatione conuersa est*, *vt quæ tunc* (in statu innocentiæ) *metuenda proposita est*, *ne peccatum committeretur* : *nunc suscipienda proponitur, vt peccatum non committatur*, *commissumque deleatur* ; *magnæque victoriæ debita iustitiæ palma reddatur* : & ad particularia descendendo ; de S. Stephano *pleno gratiæ*, *& fortitudine*, ex Act. 7. canit Ecclesia *lapides torrentis illi dulces fuerunt*. Mors ergo, quam pro Christo per lapidationem patiebatur, dulcior illi erat, quàm vita cum negatione Christi.

Martirum exempla.

343. De Sancto Laurentio dicitur. *Cum in craticula superpositus vreretur*, *ad impijssimum Tyramnum dixit*, *Assatum est*, *iam versa*, *& manduca*. Dolores despicit, temporalem vitam non curat, Tyramnum deridet præ dulcedine moriendi pro Christo. S. Andreas Apostolus, dum ad Crucem duceretur, dicebat! *O bona crux diù desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando concupienti animo præparata ; accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo: & populus Andream facilè liberasset, nisi ipse sedasset multitudinem, vehementius rogans, ne se ad optatissimam martirij coronam properantem impediret*. Marcus, & Marcellianus fratres Romani ad stipitem alligati, pedibus clauis confixi, dicente iudice Fabiano, *resipiscite miseri, & ab his cruciatibus vos eripite*, responderunt. *Numquam tàm iucundè epulati sumus, quàm hæc libenter Iesu Christi causa perferimus, in cuius amore nunc fixi esse cæpimus* ; *vtinam tamdiù nos hæc pati sinat*, *quamdiù hoc corruptibili corpore vestiti erimus* : &c. Alia plura ex Chronicis huius generis exempla adduci possunt, ex quibus luculenter patet, quòd in obseruantia præceptorum Deus concurrit cum gratia reddente

Martires cum spirituali delectatione terrena spernentes supplicia sustinuerunt.

te illam dulcem, suauem, delectabilem, & iucundam, etiam in cruciatibus.

Ex proprio facto quisque potest hoc experiri.

344. Tandem quisque hominum, si verum dicere vult, in se experitur, quòd dum contra concupiscentiam, siue carnalem, siue aliam quamcumque operatur, cum difficultate quidem superat, sed in ea superanda delectatur, & gaudet: & vt aliqua pauca adducamus exempla vtriusque Testamenti: quomodò Abraham ætatis 99. annorum, Ismael filius 14. annorum, & Vernaculi (idest serui in domo sua nati) ferè 400. consensissent in ea ætate se circumcidi, & grauem illum dolorem sentire (vt notatur de Sichimitis à filijs Iacob occisis Gen. 34. 24.) nisi Deus cum sua gratia eis apparere, priùs illuminando, & experiri cooperando, fecisset suum præceptum, bonum, vtile, suaue, ac delectabile? Quomodò idem Abraham in ætate 115. annorum consensisset precepto Dei de immolando filio, & ipse Isaac filius annorum quindecim (cui ex Iosepho Hebreo Abraham manifestauit) consensisset, nisi Deus eodem modo facile, vtile, ac suaue per suam gratiam eis apparere fecisset, & sic cum eis cooperando consensum de faciendo in vno, & patiendo in alio produxisset? licet Deus postea non permiserit.

Abrahæ exemplum in circumcisione sua, & vernaculorum.

Isaac immolando.

345. Et quod de istis dictũ est, dici potest de alijs sãctissimis viris, qui nedum in obseruantia præceptorum, sed & consiliorum, & asperrimis supererogationis operibus Deo seruierunt, *carnem suam crucifigentes cum vitijs, & concupiscentijs*, vt ait Paulus ad Gal. 5. 24. & vt dicit in cap. 11. 37. ad Hæbreos. *Alij ludibria, & verbera experti, insuper vincula, & carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt*

Exempla Anachoritarum id confirmant

in

in melotis, in pellibus caprinis; egentes, angustiati, afflicti; in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cauernis terræ; & tamen Paulus hęc scribens, adhuc Martirum sæuas non viderat persecutiones, tormenta, & mortes: quomodò autem potuissent fragiles, & infirmi homines, pueri, ac fœminæ libenter, & imperterritè hęc sufferre, nisi Deus per suam gratiam apprehendere fecisset hęc incommoda ipsis vtilia esse, & quòd in ijs perferendis delectationem, ac suauitatē fuissent experti? certè non potuit aliter esse. Ideò in eo loco promisit Paulus, hæc mala ipsos libenter tolerare, *vt meliorem inuenirent resurrectionem*.

Exempla Martirum.

346. Idem de alijs spontè ex semetipsis affligentibus se est dicendum; vt de S.Ioan. Baptista, de Paulo primo Eremita, de Antonio, de tot alijs Thebaidis, ac Nitriæ Anachoretis; de Simeone, ac Daniele Stilitis; de Marana, & Cira inclusis, & Anachoretis fœminis; de Basilio, Benedicto, Dominico, Francisco, &c. eorumque asseclis, qui modum viuendi adeò arctum, & asperum, spontè, Deo illuminante, ac inspirante elegerunt; & per eamdem Dei gratiam asperrima illa exercitia cum iucunditate, ac hilaritate imperturbabiliter perfecerunt: *Gustarunt enim, & viderunt*, vt inquit Dauid, *quàm suauis sit Dominus*. Sic ergo benignissimus Dominus, & amantissimus parens nobiscum operatur, cùm pręcepta, vel consilia, vel supererogatoria sunt adimplenda; facit enim veritatem boni apparere, inspirat, & inflammat, vt amplectatur, & delectationem, ac suauitatem in exequendo largitur: ipsi gloria in sęcula. Amen.

Exemplum S. Io. Baptistæ. Pauli primi Eremitæ. Antonij Abbatis. Danielis, & Simeonis Stilitarum. Maranę, & Ciræ. Basilij. Benedicti. Dominici. Francisci. &c.

CAPVT XVI.

An Gratia iſta faciens facere, ſeu efficax, detur ſingulis hominibus, & ſemper.

Non eſt ſermo de ſufficienti.

Multa dubia hic cōpræhenſa.

347. ADu. 1. nos hic non loqui de gratia, quę à Theologis dicitur *ſufficiens*: nam de ea (licet in cap. 4. multa dixerimus) loquemur infra: ſed loquimur de ea, quæ facit facere opus, habetque ſemper ſecum coniunctum opus principale, ad quod exequendum datur.

348. Adu. 2. in hoc quæſito duo proponi explicitè; ſed hęc duo alia plura ſecum trahunt, & omnia difficilima. Primum ergo quęritur, an omnes homines cuiuſcumque Nationis, & Religionis, obtineant, obtinuerint, ac obtinebunt gratiam facientem facere, ideſt efficacem, pro obſeruantia legis diuinæ, naturalis, vel poſitiuę, Moſaycæ pro tempore ſuo, ac Euangelicæ; & pro executione diuinorum conſiliorum. 2. Cur non omnes eam obtinuerint, vel non obtineant, aut non obtinebunt. 3. Cur omnes ſaltem fideles non ſemper obtineant. 4. Cur ſaltem electi, ſeu prędeſtinati pro omni temporis momento, & pro omni actu bono, ſiue præcepti, ſiue conſilij, ſiue ſupererogationis eam non obtineant; immò enormiter aliquando labantur, licet poſtea obtineant efficacem gratiam reſipiſcendi. De Gratia verò Perſeuerantiæ, quæ ſingulari, ac ſpeciali nomine appellatur donum Dei, loquar poſtea.

349. Adu. 3. Quòd fortè non ita difficiles euaderent harum quæſtionum ſolutiones, ſi teneretur, ſeu haberetur fundamentum clarum in Sacra Scri-

Scriptura, vel saltem in Sancto Augustino Doctore Gratiæ, tenendi illud sistema, quòd Deus ab æterno decreuit dare omnibus, & singulis adultis, & pro omni vitæ tempore, & pro singulis actibus bonis faciendis in suis circumstantijs hìc, & nunc gratiam sufficientem ad benè operandum voluntati dimissam, sicut in Adamo; & quòd prę uiderit aliquos cum ea esse consensuros aliquando, & pro aliquibus actibus; alios pluries, & pro pluribus; alios numquam, & pro nullis: & propterea decreuisse, illis toties dare, alijs verò non; & ita posset concludi, cur illis, & non istis talis gratia datur; & quòd illi, quibus datur, reddunt eam efficacem, sicut præuisi fuerant redditùri ex consensu pręstando. Hoc autem supposito sistemate, puto, authores illud sequentes existimare, se posse faciliùs soluere omnes occurrentes difficultates, quæ nec paucæ, nec paruę sunt. Hoc autem sistema, si detur, licet ego non impugnem, quia Ecclesia hucusque illud, cum omnibus suis sequelis permisit, & ego cum nemine disputo; tamen quia profiteor sequi S. Augustinum (quem video hoc sistema non sequi) item S. Thomam, & Scotum, qui in Augustino, & vt pro meo captu existimo, in Sacra Scriptura, & præcipuè in Apostoli Pauli dictis fundati sunt, alia incedo via, quamuis arctiori, & difficiliori. Si enim res ista præfati sistematis modo se habet, inquit Petrus Damiani, nullo negotio totum mysterium Prædestinationis ad gloriam, & gratiam, & Reprobationis, à singulis, etiam simplicibus perciperetur; neque Augustinus, neque Apostolus in ijs explicandis recurrissent ad mysteria abdita Dei, *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprahensibilia sunt iudicia eius, & inue-*

Facilis esset solutio, si quodam sistema pręscientię teneri posset.

Tale autē sistema author non sequitur, licet non impugnet.

stigabiles viæ eius ! Neque S. Petrus de Apostoli Pauli dictis loquens in epist. 2. cap. 3. 16. dixisset, *Frater noster Paulus scripsit vobis*, &c. *in omnibus epistolis eius sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant*. Vnum autem meo videri, ex arcanis, quæ docet Paulus in epist. ad Rom. 9. est hoc; *Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat*: deindè obijcit sibi. *Dicis itaque mihi. Quid adhuc quæritur, nam voluntati eius quis resistit*? & non respondet per supradictum sistema, quia præuidit homines non consensuros, &c. sed dicit. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dici figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic*? &c. vt ibi: & in *cap.* 11. iterum loquens de eiusmodi vocatis, & non vocatis; electis, & non electis, consecutis, & non consecutis misericordiam, non recurrit ad Dei præscientiam de consensibus præstandis, vel non præstandis suæ gratiæ: sed exclamat. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incompræhensibilia sunt indicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit*? Ego igitur, quamuis difficultates vtrobique agnoscam, malo tamen sequi vestigia Scoti, S. Thomæ, & ceterorum, qui S. Augustinum per 13. ferè sæcula, duce Apostolo Paulo, sunt secuti, & ab Ecclesia explicitè laudati, quàm aliorum, quicumque sint. At quoniam gratia ista faciens facere, seu efficax necessaria est, primò pro vocatione efficaci ad fidem, & iustificationem primam; deindè etiam ad exequenda opera legis, & ad alias iustificationes post lapsus, & ad alia omnia opera bona, sicut oportet; singillatim, & breuiter dicam, an omnes, & singuli homines, ad singula præfata opera exequenda eam habuerint, vel

Ob August. & Pauli dicta, Author non sequitur illud sistema.

In quibus actibus est necessaria gratia efficax.

vel habeant. Postea in sequenti Capite discutiemus, quomodo poterimus, motiua, ob quæ eam non obtineant: ideò

350. Dico 1. Nec omnes, nec singuli homines, cuiuscumque Nationis fuerint, ante Christi aduentum obtinuerunt gratiam efficacem vocationis ad veram fidem. Non omnes, ac singuli ante Christum gratiam efficacem vocationis ad fidem habuerunt.

351. Probari facilè potest à posteriori, discurrendo per libros Sacræ Scripturæ, & per annales, quos multi confecerunt; & præ cæteris eruditissimus Iacobus Salianus Iesuita incipiens ab origine mundi, & prosequens vsque ad Christi ascensionem in Cœlum. Patet autem ex Sacra Scriptura, quòd post diluuium (quidquid fuerit antea) post Nembrot, opera Nini filij cæpit Idolatria, & prosecuta est in Oriente, & Occidente, & in omnibus mundi partibus. Omnes ergo Idolatræ illi caruerunt gratia efficaci vocationis ad veram Dei fidem (an verò habuerint sufficientem, dicam postea.) Omnes ergo qui in Gentilitate, ac Idolatriæ Religione nati, ac mortui sunt, ea efficacis vocationis gratia caruerunt. Qui autem, & quot fuerunt, in scientia Dei sunt, & in Patria, si Deo placebit, sciemus.

352. Dico 2. Neque omnes, aut singuli homines, qui post Christi aduentum hucusque fuerunt, ac decesserunt, gratiam efficacem vocationis ad veram fidem obtinuerunt. Neque omnes, qui post Christi aduentum fuerũt efficacem vocationẽ ad fidem obtinuerũt

353. Probari potest eodem modo ex Chronicis Ecclesiasticis, & à posteriori. Non omnes Nationes, nec singuli alicuius Nationis homines Christi fidem receperunt, & ad Baptismum venerunt; sed in sua perfidia, & falsa Religione decesserunt: ergo efficaci gratia, seu faciente venire caruerunt: hæc enim est efficax faciens facere.

An-

Anteced. notorium est, primò de omnibus Gentilibus, qui in Gentilitate decesserunt; de Hæbreis, de Manichæis, de Mahometanis; & alijs eiusmodi Nationibus infidelibus, qui in infidelitate decesserunt: quæ clara sunt.

Neque omnes vocati efficacem vocationẽ habuerunt

354. Dico 3. Neque omnes, qui gratiam vocationis ad fidem habuerunt, efficacem gratiam, seu facientem venire ad eam obtinuerunt.

355. Prob. à posteriori, & ex facto. Prædicante Christo, & Apostolis, tàm in Iudæa, ac tota Palestina, quàm in alijs Prouincijs, & Regnis Gentilium, non omnes auditores susceperunt Fidem, ac Baptismum, & si sine his mortui sunt, gratiam illam efficacem facientem suscipere (vndecumque id acciderit, vt postea dicetur) non habuerunt. Anteced. prob. ex facto, & ex dictis, primùm Christi, postea Pauli. Christus enim Matth. 13. 14. inquit. *Ideò in parabolis loquar eis, quia videntes non vident; audientes non audiunt, neque intelligunt: & adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicens. Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor Populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt; ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos*: & pluries exprobrauit Iudæis omnibus, & Betsaidæ, atque Corozaim, & Capharnaum, quòd audientes eum de Regno Dei loquentem, & viam salutis insinuantem, ac miraculis confirmantem, non crediderint, nec conuersi, ac sanati fuerint; cùm tamen alij multi crediderint. S. Paulus Act. 13. cùm Antiochiæ Pisidiæ prolixam habuisset concionem coram tota Sinagoga de Euangelio, ac factis, & dictis Christi, *Iudæi repleti sunt zelo* (malo) *& contradicebant*

Ex facto prędicationis Christi & Apostolorum.

cebant his, quæ à Paulo dicebantur, blaſphemantes. Tunc conſtanter Paulus, & Barnabas dixerunt, Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes, &c. *Gentes autem gauiſę ſunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Ecce quòd in eadem multitudine auditorum, & ſi tota gratiam vocationis habuerit, aliqui tamen gratiam conuerſionis ad fidem ſortiti ſunt, alij multò plures eam non obtinuerunt: & Act. 16. 14. cùm Paulus Philippis coram multitudine prædicaret, vna tantum mulier *Lydia purpuraria, cuius Dominus aperuit cor, intendens his, quæ dicebantur à Paulo, baptizata eſt cũ domo*: & in c. 15. 9. S. Petrus loquens de conuerſione gentiũ, & quòd non oportebat eas obſeruare legem Moſaicam, & quomodò Deus per efficacem gratiam vocaret, & faceret ad fidem, & baptiſmum venire, præ alijs ait. *Deus in vobis elegit per os meum Gentes audire verbum Euangelij, & credere: & qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, & dans illis Spiritum Sanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum*: & ita diſcurrendo de omnibus prædicationibus Chriſti, & Apoſtolorum, & cæterorum omnium prædicantium Euangelium in toto mundo. Multi, & innumeri gratiam vocationis obtinuerunt, quia audierunt, excitati, & inflammati fuerunt; at gratiam conuerſionis, vt clarum eſt, ſortiti non ſunt. Palam ergo eſt, quòd neque omnes ad fidem vocati, gratiam facientem venire habuerunt: vndecumque hoc aduenerit, nunc parum refert inquirere.

Quinã crediderunt.

Pauli proteſtatio contra Iudæos.

356. S. Auguſtinus in hoc puncto (quòd ſcilicet

licet non omnes vocati ad fidem consentiant, quia gratiam facientem consentire non habent) audiendus est. Primò in lib. 22. cont. Faustum cap. 78. de pœna peccati originalis discurrens, ait: *de hac iusta pæna, quod non liberat, nisi misericors gratia, certum est: & hinc Apostolus gemebundus exclamat. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Sed quæ sit distributio iudicantis, & miserantis Dei, cur alius sic, alius autem sic, occultis fit causis, iustis tamen.* In lib. 1. ad Simplicianum qu. 1. circa medium, de vocatis consentientibus diffusè discurrit, ostendens primò, quòd à Deo fit, vt vocati consentiant, & sequantur vocantem; alioquin non esset verum, quod dicit Paulus Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis,* & nisi à Deo fieret, vt consentiat, homo diceret, est mei volentis: deinde concludit ad rem nostram; *Igitur, si non miserentis est Dei, sed volentis, atque currentis est hominis; quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo volit, posset ita vocare, quomodò illis aptum esset, vt mouerentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo, multi sunt vocati, pauci verò electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, neque contemperabant vocationi, non electi, quia non secuti, quamuis vocati.* Hec est nostra conclusio. At prosequitur vlteriùs. *Item verum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia etiamsi multos vocet; eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodò eis vocari aptum est, vt sequantur. Falsum est autem si quis dicit: igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis, quia nullius Deus frustra mise-*

Multa S. Aug. loca.

S. Pauli fortè argum.

August. discursus.

miseretur. Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodò scit ei congruere, vt vocantem non respuat. & adducit exempla de multis, quorum aliqui, vel miraculum aliquod Christi viderunt, vel nullũ viderunt, sed cùm prædicantẽ audierunt crediderunt,& conuersi sunt; alij verò quàm plurimi, & prędicantem audierunt,& miracula facientẽ viderunt; & tamen non crediderunt, immò Discipuli ipsi titubarunt, fugerunt, &c. ergo ij, qui vocati non crediderunt, gratiam facientem facere non habuerunt: illi verò, qui crediderunt, obtinuerunt. Cur autem hoc,infra cum S.Augustino, & S.Paulo dicemus.

357. Probari etiam potest ex facto Missionariorum, qui in partibus infidelium Dei verbum prædicant: infideles audiunt, illuminantur internè, ac inflammantur; & tamen non omnes conuertuntur: ergo. Consequ. prob. hęc enim, vt sępè dixi est gratia faciens facere, seu efficax,quę habet secum annexum effectum principalem, quem respicit,& qui est eius obiectum. Ex facto argum.

358. Tandem probari potest ex dicendis in sequenti Capite, in quo inquiretur ratio cur non detur omnibus: omnia enim argumenta,quę pro eo Capite sunt,pro isto etiam probant. Ex seq. capite sumendũ argum.

359. Dico 4. Fideles iam vocati, & conuersi etiam electi ex iusto Dei iudicio non semper, ac pro omni actu obtinent gratiam facientem facere opus bonum. Neque fideles conuersi, nec electi pro omni actu obtinent gratiam efficacem.

360. Prob. 1. ex facto. Fideles, quicumque sint, siue prædestinati, siue reprobi,non sunt confirmati in gratia, & sæpè labuntur in peccata mortalia. Ergo. Consequ. est euidens; quia gratia faciens facere actum bonum, si semper,& pro omni actu eliciendo adesset, non sineret fieri

actum malum; sed semper faceret facere bonum. Anteced.prob.ex factis: Multi enim, vt ex Chronicis patet, Catholici in hæreses lapsi sunt, & in eis mortui sunt. Multi pariter in eas lapsi resipuerunt, immò postea pænitentes in opinione Sanctitatis decesserunt· & quod fortiùs est plures coram Tyramnis fidem negarunt, & postea resipiscentes pro fide per eosdem Tyramnos martirium subierunt: igitur fideles iusti, & etiam prędestinati, Deo permittente, ex iusto suo iudicio labuntur in mortalia peccata. Si autem gratiam facientem facere bonum, & impedientem malum semper, & in omni actu haberent, numquam peccarent, quia hic est effectus tali gratiæ semper connexus, vt supponimus ex pluries dictis.

Ex facto argum.

361. S. Augustinus pluries de hoc modo agendi Dei in conferenda gratia benè operandi, aut negandi, etiam iustis, loquitur, ad eos humiliandos: *In lib.2. de pecc. mer. & remiss. cap.19.* dicit. *Nos autem quantum concessum est sapiamus, & intelligamus, Deminum Deum bonum, ideò etiam Sanctis suis alicuius operis iustitiam aliquando non tribuere, vel certam scientiam, vel victricem delectationem; vt cognoscant, non à seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & suauitatem, qua det fructum suum terra eorum* : & post multa dicit. *Idcircò Sanctos, & fideles suos in aliquibus vitijs tardius sanat, vt in his minus, quam implendæ ex omni parte iustitiæ sufficit delectet bonum, siue cum latet, siue etiam, cum manifestum est, vt quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis eius, non iustificetur in conspectu eius omnis viuens. Nec in eo ipso vult nos damnabiles esse, sed humiles, commendans nobis eamdem gratiam suam, ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum pute-*

S. August. loca.

Ad humiliandū hoc facit Deus.

putemus esse, quod eius est: qui error multùm est Religioni, pietatique contrarius. Immò in *lib.* 14. *de Ciuit. cap.* 13. in fine, dicit, Deum permittere, vt Sancti viri cadant in peccatum, ob maius bonum humilitatis eorum. *Audeo dicere superbis esse vtile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, vndè sibi displiceat, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando fleuit, quam sibi placuit, quando præsumpsit*: & in *lib.* 2. *de pecc. mer. & remiss. cap.* 10. docet, ac numerat omnes Sanctos Veteris Testamenti, de quibus fit mentio in Sacra Scriptura, ostendens, quòd peccauerint, Deo sic permittente; & de ipsomet S. Petro iterum loquitur: in *lib.* 2. *de Symbolo ad Cathecumenos cap.* 6. vbi de gratiæ huius concessione, ac suspensione in latrone, ac Petro à Christo in Cruce patratis, sic loquitur. *Videte Dominum virtutum in ipsa morte miracula facientem. Tunc latro confitetur, quando Petrus turbabatur. Tunc ille agnouit, quando iste negauit. Sed numquid, quia Dominus acquisiuit Latronem, perdidit negatorem? Absit, absit. Agebat mysterium, qui fundebat pretium: in Petro demonstrans, non in se quemquam iustum debere præsumere: in Latrone, nullum impium conuersum posse perire. Timeat bonus, ne pereat per superbiam: non desperet malus de multa malitia*: & in lib. de Gratia, & lib. arb. cap. 17. de eodem Petro ait. *Ipsam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore, Dominum ter negauit; Timor enim non est in charitate, sicut ait Ioannes Euangelista, perfecta charitas foras mittit timorem: & tamen quamuis parua, & imperfecta non defuit, quando dicebat, Domino, animam meam pro te pono. Putabat enim se posse, quod se velle sentiebat: & quis istam, etsi paruam*

Multa exépla iustorũ qui peccarunt.

De Petro, & de Latrone

Iterum de Petro Aug.

uam charitatem dare cæperat, nisi ille, qui præparat voluntatem, & operando perficit, quod operando incepit? quoniam ipse, vt velimus operatur incipiens, quod volentibus cooperatur perficiens. Rursus autem in atrio Caiphæ post trinam negationem cum Galli cãtu correptus, respexit in Petrum Dominus, pænituit, & foras exiens fleuit amarè, in se diuinam gratiam, seu charitatem, quæ ad pœnitudinem, & fletum illum induxit, expertus est: illa enim respectio corporalis non fuit, quia in locis diuersis erant Christus, & Petrus; ille in loco Concilij, vbi iudicabatur, Petrus in loco atrij, vbi cum ministris se calefiebat: sed hæc respectio fuit spiritualis, ac mentalis illuminatio, & inspiratio faciens cognoscere malum, illudque deplorare, & detestari: ita S. Augustinus de consensu Euangelistarum lib. 3. cap. 6. dicens. *Petrum Christus respexit diuinitus, vt ei veniret in mentem quoties iam negasset, & quid ei Dominus prædixisset, atque ita misericorditer Domino respiciente, pæniteret eum, & salubriter fleret; sicut quotidiè dicimus, respice in me*: & in lib. de 4. feria cap. 5. dicit ad Petrum. *Respexit te intus in corde, vt amarè fleres*: &c.

Quomodò Christus respexit Petrum.

362. Probari tandem potest conclusio ex postea dicendis de dono Perseuantiæ: Nam cùm de fide sit Perseuerantiam in bono, seu iustitia, esse donum Dei; euidens est, quòd qui decedunt in peccato, quia non pænituerunt, non habent hoc donum, seu hanc gratiam facientem perseuerare vsque ad vitæ finem. Igitur eodem modo dicendum est de temporali etiam perseuerantia in bono, quòd nempe iustificatus, siue per baptismum, siue postea per pœnitentiam, si in bono nó durat, ac perseuerat, sed vel paulò, vel multò post cadit in peccatum; id accidit, quia caret gratia facien-

Argum. de perseuerãtiæ carentia.

faciente perseuerare vlteriùs, si enim eam haberet non caderet, sicut è contra, qui eam habent, non cadunt: & hoc est, quod quærebat à Deo Dauid sæpè dicens. *Adiutor meus esto, ne derelinquas me*: ita in psal. 26.9. in psal. 70. 9. & 18. in psal. 118. 8. & in psal. 19. 9. Vndè S. Augustinus in lib. de Gratia, & lib. arb. cap. 6. ait: *Dicendo Adiutor meus esto, ne derelinquas me; ostendit, quia si derelictus fuerit, nihil boni valet ipse per se. Vndè, & ille ait: ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum. Putauerat enim suum fuisse bonum, quod ei sic abundabat, vt non moueretur. Sed, vt ostenderetur illi, cuius esset illud bonum, de quo tamquam suo cæperat gloriari; paululum gratia Dei deserente admonitus dicit* (in psal. 29.) *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ideò necessarium est homini, vt gratia Dei non solum iustificetur impius, &c. Sed etiam cum iam iustificatus fuerit ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam, ne cadat.* Sic August. Augu^n in. sententia.

363. In lib. de pecc. mer. & remiss. cap. 21. diffusè de concessione, & de negatione gratiæ liberantis loquitur. *Ab hac quippè ira, qua omnes sub peccato sunt, de qua dicit Apostolus* (Ephes. 2.) *Fuimus & nos aliquando naturaliter filij iræ, sicut & cæteri, nulla res liberat, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum Nostrum. Hæc gratia, cur ad illũ veniat ad illum non veniat, occulta esse causa potest, iniusta esse non potest*: & infra dicit, quòd existentibus multis æquè indignis, aliquibus datur, & aliquibus non datur: & de duobus pueris, quorũ vnus baptizatur, alius sine baptismo moritur: & quòd duo homines si viuerent possent, & essent malè victuri, tamen vnus à Deo rapitur, nè malitia mutaret

Occulta est causa cur detur, & non detur semper, sed iusta.

ret intellectum eius; alius verò non rapitur, sed malus fit, & sic moritur. Aliqui paruuli à spiritu immundo vexantur, & alij non, &c. & in his casibus dicit recurrendum ad Pauli responsionem: *O altitudo diuitiarum*, &c. *quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* ex hoc oritur inquit S. August. in fine capitis, tanta diuersitas: idem habetur in lib. 2. de pecc. mer. & remiss. cap. 18. in fine.

Exempla multa.

364. Concludamus hoc Caput (quòd non omnes, & singuli, neque in omni agibili habent gratiam istam facientem facere bonum, seu efficacem) cum oraculo ipsiusmet Dei, in cap. 33. Exodi, qui post longum, & notabilem sermonem, quem cum fidelissimo seruo suo Moisi habuit, dixit; *Miserebor cui voluero; & clemens ero, in quem mihi placuerit*. Interl. quæ putatur S. Hieronymi, dicit. *Cum miseretur, gratia est; cum indurari permittit, iustum iudicium est, quamuis occultum*. S. Augustinus in quæstionibus in Exodum, q. 54. inquit: *miserebor*, &c. *ostendit vocationem, qua nos vocauit in Regnum suum, & gloriam, non pro meritis nostris, sed pro misericordia sua*. Atqui, nec omnes Iudæi, aut Barbari vocati sunt, aut vocantur vocatione faciente sequi, seu venire, & conuerti; neque sic vocati perseuerant in iustitia, seu charitate vsque in finem; neque isti perseueraturi, aut illi non perseueraturi semper abstinent se à peccato, seu semper legem obseruant, vt experientia docet: ergo, nec omnibus, nec semper ista gratia conceditur, sed quibus, & quando ex sua misericordia Deus vult; & denegat, quando ex occulto, sed iusto iudicio, non vult. Rationes sequentis Capitis idem confirmāt.

Ex Dei oraculo.

CAP.

CAPVT XVII.

Cur ista Gratia faciens facere, seu efficax, non detur omnibus, & semper.

365. ADu. 1. quòd hìc loquimur non de gratia sufficienti (quæcumque illa sit) nam de ea loquemur postea, sed loquimur de gratia efficaci, seu faciente facere bonum, & abstinere à malo, habente semper secum coniunctum effectum principalẽ, vt in præcedentibus Capitibus sæpè dictum fuit; & quærimus causam (si quæ inueniri potest) cur Deus eam non concedat omnibus omninò, & singulis hominibus, sed aliquibus tantùm; & cur non pro omni tempore, omnique occasione, in qua operandum est bonum ex præcepto, aut consilio, vel abstinendum est à malo. Sensus quęsiti.

366. Adu. 2. quòd sicut potest considerari homo in diuersis statibus, nempe infidelitatis, & fidelitatis; ita pro diuersis actibus indigere potest gratia ista, quæ faciat facere bonum, & cauere malum; & propterea diuersæ assignari possunt causæ denegationis illius. Declaratur: homo in statu infidelitatis indiget gratia vocationis ad fidẽ, tantæ efficaciæ, quę faciat, vt vocatus sequatur vocantem, & veniat ad fidem: homo autem fidelis, siue talis sit ex baptismo in infantia, siue, quia in adulta ætate vocatus, conuersus est, ac baptizatus, pro obseruantia præceptorum Dei, & Ecclesiæ, atque consiliorum, aliorumque operum virtutum ex supererogatione eliciendorum, indiget gratia faciente ea facere, & cauere à malo; alioquin ea non faceret. De omnibus itaque Homo in diuersis statibus.

istis

istis hominis statibus inquirimus (si inuenire possimus) quare Deus non omnibus concedat gratiam facientem facere opera bona necessaria, vel vtilia ad salutem proportionata omni statui. De gratia autem perseuerantiæ vsque ad mortem, loquar postea. Ideòque quæri potest, cur non omnes omnis Nationis homines efficaciter vocentur ad fidem. 2. cur vocati, & conuersi non habeant eam pro omni actu, ita vt semper facerēt bonum, semperque cauerent malum, sed eis permittatur peccare?

Sciri nequit causa, seu vniuersalis ratio cur non detur omnibus, & semper est iusta Dei voluntas.

367. Dico 1. Vniuersaliter loquendo, pro omni statu hominum nequit assignari alia conuincens, & adæquata ratio cur Deus, nec omnibus, nec in omni temporis circumstantia concedat gratiam facientem facere, seu efficacem, sicut in casu vocationis ad fidem, aut ad pęnitentiam, siue in casibus exercendi alia bona opera, & cauendi mala, nisi voluntas Dei iusta, & ab acceptione personarum, ac iniquitate alienissima.

1. pars ex S.Scrip.

368. Prob. prima pars ex Rom. 11. 34. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incompræhensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi?* Igitur sciri non potest causa euidens, aut conuincens, cur det, vel non dèt omnibus, & singulis in omnibus casibus operandi bonum, & cauendi malum, gratiam facientem ista facere.

Ex alio S. Scripturæ loco.

369. Idem habetur Sap. 9. 13. *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.* Idem dixit Isaias cap. 40. 13. *Quis audiuit spiritum Domini*

mini, aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Cum quo iniјt consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientiam, &c.

370. S.Ioan. Chrisʃ. hom.20. in epist. ad Roman. in illum locum, *O altitudo*, &c. ait: *O profunditatem*, &c. *Non enim incomprӕhensibilia tantùm sunt iudicia Dei; sed inscrutabilia, & imperuestigabiles viæ eius, hoc est, dispensationes; nam & ipsæ, non solum cognosci nequeunt, sed nec quæri. Neque enim inquit, ego omnia inueni* (Philipp.3.) *Sed modicam tantummodò partem, non totum. Ipse quippè solus instituta sua clarè cognouit. Vndè, & subiungit, quis enim nouit mentem Domini, aut quis fuit ei à consilijs?* S.Io.Chrisost.

371. S.Augustinus vtramque huius Conclusionis partem probat pluribus in locis, sed præsertim in lib. de bono Perseu. cap. 11. inquiens. *Proindè sicut Apostolus ait, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, &c. quibus non vult subuenire non subuenit; de quibus in sua prӕdestinatione occultè quidem, sed iustè aliud iudicauit; non enim est iniquitas apud Deum, sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Vniuersæ autem viæ Domini, misericordia, & veritas. Inuestigabilis ergo est misericordia, quia cuius vult miseretur, nullis eius præcedentibus meritis; & inuestigabilis veritas, quia quem vult obdurat, eius quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cuius miseretur plerumque communibus. Sic duorum geminorum, quorum vnus assumitur, alius relinquitur, dispar est exitus, merita communia. In quibus tamen sic alter magna Dei bonitate liberatur; vt alter sine vlla eius iniquitate damnetur. Numquid enim iniquitas est apud Deum? Absit: sed inuestigabiles sunt viæ* S.Aug.vtrãque partem conclusionis probat. Clara S. August. doctrina.

 ipsius.

ipsius. Itaque misericordiam eius in his, qui liberantur, & veritatem in his, qui puniuntur, sine dubitatione credamus.

372. Idem S.Doctor in lib.de Gratia, & lib. arb.cap.22. inquit: *aliquando filijs infidelium præstatur hæc gratia, cum multa Dei prouidentia in manu piorum quomodocumque perueniunt: aliquando fidelium filij non eam consequuntur, aliquo impedimento existente, ne possit periclitantibus subueniri. Fiunt verò ista per occultam Dei prouidentiam, cuius inscrutabilia indicia, & inuestigabiles viæ*: & in cap.23.ait. *Ad occulta Dei iudicia reuocate, quando videritis in vna causa, quam certè habent omnes paruuli hæreditarium malum trahentes ex Adam, huic subueniri, vt baptizetur, illi non subueniri, vt in ipsa obligatione moriatur: illum baptizatum in hac vita relinqui, quem præsciuit Deus impium futurum; istum verò baptizatum rapi ex hac vita, ne malitia mutaret intellectum eius: & nolite in istis dare iniustitiam, vel insipientiam Deo, apud quem iustitiæ fons est, & sapientiæ. Sed sicut vos exhortatus sum initio sermonis huius; in quod peruenistis, in eo ambulate: & hoc quoque vobis Deus reuelabit, & si non in hac vita, certè in altera.*

Alia plura S.Aug.loca

Voluntas Dei iusta in his casibus commendatur.

373. In lib. de spir. & lit. cap. 34. in fine mouens præsentem quæstionem, cur vni detur gratia faciens facere, alteri non, ait: *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, vt persuadeatur, illi autem non ita: duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat: ò altitudo diuitiarum; & numquid iniquitas apud Deum. Cui responsio ista displicet; quærat doctiores, sed caueat, ne inueniat præsumptiores.*

cum Paulo respondet August.

374. In lib.de Corr. & Grat.cap.8. ait. *Si à me*

me quæratur cur Deus eis perseuerantiam non dederit, qui eam, qua Christianè viuerent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modum meum, audio Apostolum dicentem: ò homo tu quis es, qui respondeas Deo: ò altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quantum itaque nobis iudicia sua manifestare dignatur, gratias agamus. Quantum verò abscondere; non aduersus eius consilium murmuremus; sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus: & prolixo, dignoque discursu prosequitur hoc argumentum docens ex iustissima, licet imperscrutabili Dei voluntate id prouenire, & concludit caput illud, *& cur alijs detur, alijs non detur, sine murmure aduersus Deum dignentur ignorare nobiscum*.

Dicit se ignorare causam cur Deus non det.

375. Ex quibus satis constat nos ignorare causam, cur Deus aliquibus denegat gratiam facientem facere, seu efficacem, tàm in ordine vocationis ad fidem, quàm in ordine perseuerantiæ, siue finalis, siue etiam temporalis, & ideò clamare debemus cum Sancto Augustino, & cum ipsomet S. Paulo, *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* & cum Dauide psal. 35. 7. *Iudicia tua Domine abyssus multa*. Neque de hac notitia curare debemus, iuxta Pauli *Rom.* 12. 3. documentum; *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*: & Ecclesiastici 3. 22. *Altiora te ne quæsieris; & fortiora te ne scrutatus fueris. Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt videre oculis tuis*: eo vel maximè,

Ignota est causa.

Omnes idcircò cum Apostolo clamare debemus, ò altitudo.

 ximè,

Documenta, quòd nō debemus hæc inquirere.

ximè, quia fide credimus, Deum iustum esse, absque iniquitate, ac personarum acceptione, & nos opera manuum suarum non despicere; & misericordem quidem esse; verum tamen etiam iustum; vndè Dauid in psalm. 100. *misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*: ideò

Secunda pars conclusionis probatur, cur non omnes habent.

Secunda pars conclusionis, quòd denegatio talis gratiæ facientis facere, seu efficacis proueniat immediatè à Dei voluntate, facilimè probatur: ex psal. 17. *Saluum me fecit, quoniam voluit me*: psal. 21. *Saluum faciet eum, quoniam vult eum*: & psal. 134. *Omnia quæcumque voluit fecit*. Cùm ergo gratia hæc, vt fides docet, sit donum Dei, si aliquibus non datur, ex Dei voluntate dare nolentis prouenit: & Apostolus apertè id docet, Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*: & obijciens sibi ipsi, *dicis itaque mihi. Quid adhuc quæritur: nam voluntati eius, quis resistit*. Respondet: *ò homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam*? Deindè statim subnectit excęcationem, & indurationem Pharaonis, sicut Deus pluries dixerat Moisi. Exodi 4. 21. *Ego indurabo cor Pharaonis*: & in toto illo libro decies replicatur hęc Dei voluntas; & Paulus loco citato dicit hoc Deum fecisse in ostensionem iustitiæ suæ: igitur denegatio gratię facientis facere bonum, & cauere malum, in quocumque hominis statu, & in quocumque operandi ordine, prouenit à Deo ex iusto, & inscrutabili suæ sapientiæ motiuo dare nolente.

Ex iusta Dei voluntate oritur

Deus id dixit de Pharaone.

376. Quòd verò iustè Deus eam deneget, nemo dubitabit, nisi insanus, vel Manichæus aliquis

quis ſtultè aſſerens Deos duos, vnum bonarum rerum, alterum malarum; vel demens Caluinus, qui vt in Opuſc.de Præd. pluries dixi, blaſphemauit dicens, Deum velle efficaciter, vt homo peccet, vt eum puniat, & propterea ei gratiam efficacem denegare. Iuſtè denegat.

377. Iuſtè autem Deus denegat, ſicut iuſtè operatur omnia. Vniuerſæ canonicæ Scripturæ Deum iuſtum, ac rectum prædicant: incipiendo à Deuter.cap.32.4. in cantico illo. *Audite cæli quæ loquor*, in quo Moiſes Dei perfectiones, ac magnalia confitetur, verſu 4. ait, *Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Deus fidelis, abſque vlla iniquitate iuſtus, & rectus*: pſal. 10. *Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius*: pſal.111. *Miſericors, miſerator, & iuſtus Dominus*: idem habetur in pſalmo 114. & pſalm.118. ac pſal. 128. & in omnibus libris Veteris Teſtamenti ſæpè legitur hæc magna Dei perfectio: in Nouo pariter innumeris ferè vicibus prædicatur Dei iuſtitia in omnibus ſuis operibus circa creaturas rationales, præſertim in epiſtola ad Romanos. Si ergo alicui aliquod denegat donum, iuſtè eum negare credendum eſt. Iuſtitia Dei ſæpè in S. Script. laudata.

378. Quòd pariter ſine perſonarum acceptione deneget, luce meridiana, ſuppoſita fide, clarius eſt. Primò, quia Deus nulli debet, ideò in donando non poteſt eſſe acceptor. 2. ex Ro. 2. 11. *Non eſt acceptio perſonarum apud Deum*, idem dicit ad Epheſ. 6. 9. & ad Coloſs. 3. 25. & Act. 10. 35. Cùm Deus miſiſſet Petrum ad Cornelium Centurionem Gentilem, vt eum baptizaret, admiratus de hoc, *aperiens os ſuum dixit. In veritate comperi, quod non eſt perſonarum acceptor Deus*. Deus non eſt acceptor perſonarum.

Quòd

379. Quòd tandem sine omni iniquitatis scrupulo Deus eam gratiam deneget aliquibus, nulli dubiũ est; quia nulli tenetur dare, immò titulo iniustitiæ omnibus hominibus lapsis in Adam constantibus massam damnatam, vt in Opusculo de Prædestinatione dictum est, iustè potuit negare; quia omnes in Adamo eam demeruerunt. Quòd ergo alijs dat, alijs negat, cum illis operatur misericorditer, cum his autem iustè. 2. prob. ex Sacra Scriptura, quòd Deus non est capax iniquitatis. Deut.32. vt supra. *Deus absque vlla iniquitate*. Psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*. Rom.9.14. *Numquid iniquitas apud Deum? absit*: &, sicut patet, ibi loquitur Paulus de prędestinatione aliquorum, & reprobatione aliorum, & in cap. 3. ait. *Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? secundum hominem dico, absit. Alioquin, quomodò iudicabit Deus hunc mundum?* Alia plura suppetunt Sacræ Scripturæ loca, quæ Dei summam, ac infinitam sanctitatem, ac benignitatem ab omni iniquitatis nęuo alienissimam patefaciunt.

Absque iniquitate Deus denegat gratiam.

Ex S.Scrip.

380. S. Augustinus pluries de hac gratię denegatione, vel concessione loquens, ad Dei voluntatem refert, vel iustè denegando, vel misericorditer concedendo. Primò in lib.4. cont. Iul. cap.8. videns, quòd Pelagianus iste, vt saluaret, quòd opera bona hominis, non ex necessitate, aut fato eueniunt, docebat gratiam ob merita dari, præ cæteris hęc dicit. *Nos autem, cum vitiatæ originis mala merita esse dicamus; & gratia dicimus intrare paruulum in Regnum Dei, quoniam bonus est Deus; & alium merito non intrare, quoniam iustus est Deus: & in neutro esse fatum, quoniam, quod vult facit Deus. Sed cum sciamus ab*

S.Aug. pluries de hac re loquitur

eo, cui misericordiam, & iudicium fideli voce cantamus, istum, secundum iudicium damnari; illum, secundum misericordiam liberari: nos quid sumus, qui respondeamus Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare me sic fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa originis vitiatæ, atque damnatæ facere aliud vas in honorem secundum misericordiam, & aliud in contumeliam secundum iudicium?

Ad Dei iudicium iustum refert

381. In lib. 2. cap. 7. contra duas epistolas Pelagianorum prolixè hoc idem argumentum discutit, ostendens, quòd gratiæ consecutio non est ex fato; neque in eius distributione adest personarum acceptio; sed ex Dei inscrutabili sapiẽtia, & iustitia aliquibus non datur; multa ibi dicit; sed pauca, & paucis referam. 1. *Nonne attenditis, nonne perspicitis, non à nobis diuinæ gratiæ nomine fatum asseri: sed à vobis potiùs diuinam gratiam fati nomine nuncupari. Item quod acceptio personarum ibi rectè dicitur, vbi ille qui iudicat, relinquens causæ meritum de qua iudicat, alteri contra alterum suffragatur, quia inuenit aliquid in persona, quod honore, vel miseratione sit dignum. Si autem quispiam duos habeat debitores, & alteri vellet dimittere debitum, & alterum exigere; cui vult donat, sed neminem fraudat, nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est*: Deindè adducit exemplum Euangelij de Patre familias cum operarijs vineæ, qui in sero voluit dare æqualem mercedem illis, qui vna hora laborauerant in vinea, ac illis, qui tota die, cum quibus conuentionem fecerat de denario pro tota die: his enim murmurantibus, quòd æqualem cum illis acciperent mercedem, Pater familias dicit, *Nonne ex denario conuenisti mecum? accipe, quod tuum est, & vade.*

* Quid est personarũ acceptio.

vade. Volo autem, & huic nouissimo dare, sicut tibi. An non licet mihi, quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sicut ergo hic nulla est acceptio personarum, quia sicut alius gratis honoratur, & alius debito non fraudatur; sic etiam secundum propositum Dei alius vocatur, alius non vocatur; vocato datur gratuitum bonum, cuius boni est vocatio ipsa principium: non vocato redditur malum; quia omnes rei sunt, ex eo quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum: & post aliqua. *Vbi autem dicitur, cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, quod facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, bonum quidem immeritò, & gratis datur, quia ex eadem massa est, cui datur; malum verò meritò, & debitum redditur, quia in massa perditionis malum malo non malè redditur; & ei cui redditur, malum est quia supplicium est; ei verò à quo redditur bonum est, quia rectè factum eius est. Nec acceptio personarum est in duobus debitoribus æqualiter reis, si alteri dimittitur, alter exigitur, quod pariter ab vtroque debetur:* postea adducit aliud exemplum de duobus geminis vnius meretricis filijs, quorum vnus ante baptismum expirauit, alius verò baptizatus fuit: in hoc facto, inquit, non adest personarum acceptio; vterque enim erat debitor, at vni remissum fuit, alteri non. *Neque*, inquit, *fatum adest, quia nullæ stellæ ista decernunt; nec fortuna; quia nulli fortuiti casus hæc agunt; nec personarum, nec meritorum diuersitas hoc fecerunt, quid restat? quantum ad baptizatum attinet, nisi gratia Dei, quæ vasis factis in honorem gratis datur; quantum attinet ad non baptizatum, ira Dei, quæ vasis factis in contumeliam pro ipsius massæ meritis redditur.*

Operariorum vineæ exemplum.

Remouetur personarum acceptio exéplo.

382. In lib. 1. de pecc. mer. & remiss. cap. 21.

de

de gratia liberante loquens multa ad rem nostram, dicit, sic. *Hæc gratia, cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse causa potest; iniusta non potest. Neque frustra dictum est*, in psalm. 35. *Iudicia tua, sicut abyssus multa. Cuius abyssi altitudinem veluti expauescens exclamat Paulus: ò altitudo diuitiarum*, &c. Referens totum Pauli dictum Rom. 11. subdit. *Valdè ergo paruum sensum habemus ad discutiendam iustitiam iudiciorum Dei: ad discutiendam gratiam gratuitam nullis meritis præcedentibus: non iniquum, quod non mouet cum præstatur indignis, quàm cum æquè indignis alijs denegatur*. Adducit postea exemplum duorum paruulorum, quorum vnus accipit baptismum, alius non accipit: deinde aliud de duobus, qui præuiderentur malè operaturi, si viuunt; & tamen vnus rapitur, ne malitia mutet intellectum eius, Sap. 4. alius relinquitur, et malè viuit, & damnatur: in quibus casibus, inquit, clamandum est, *ò altitudo diuitiarum*, &c. & concludit Caput illud. *Vndè ista tanta diuersitas, nisi quia inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*.

Multa S. Augustini loca.

383. In lib. 2. de pecc. mer. & remiss. cap. 18. in fine, postquam dixit, gratiam sumi pro misericordia, & è contra, quia in psalm. 100. dicitur. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*: inquit, *Quarè autem illos velit conuertere, illos pro auersione punire; quãquam, & in beneficio tribuendo, nemo iustè reprahendat misericordem, & in vindicta exercenda nemo iustè reprahendat veracem, sicut in illis euangelicis operarijs, alijs placitam mercedem reddentem, alijs etiam non placitam largientem, nullus iustè culpauerit: consilium tamen occultioris iustitiæ, penes ipsum est*.

S. August. semper idē docet de gratię concessione, ac denegatione.

384. In lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. proli-

xè discurrit super Pauli verbis Rom. 9. *Itaque non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; vbi probat, quòd volentis quidem hominis etiam est opus bonum; sed non ideò Dei miserentis, quia homo vult; sed quòd ideò homo vult, quia Deus miseretur, & facit, vt velit; ideòque Paulus Philipp. 3. dicit. *Deus dat velle, & operari, quia misertus hominis, dat ei gratiam, qua facit, vt velit. & cum homine efficit velle*. At inibi etiam dicit, *etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodò eos vocari aptum est, vt sequantur*. Affert multa exempla eorum, qui ad primam vocationem secuti sunt; & aliorum, qui non ita, & multi Iudæorum, qui visis tot miraculis Christi, non crediderunt, immò eum crucifixerunt, & tamen postea Apostolis prædicantibus, crediderunt, & subdit. *Cum ergo alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eademque res sæpè alio modo dicta moueat, alio verò modo dicta non moueat, aliumque moueat, alium non moueat, quis audeat dicere defuisse modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est. Quod si tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdurescat mentis auersio; quæritur etiam vtrum de diuina pœna sit ipsa duritia? Cum enim Deus deserit non sic vocando, quomodo ad fidem moueri potest! Quis etiam dicat modum, quo ei persuaderetur, vt crederet, etiam omnipotentiæ defuisse?* Et subdit quod dicit Apostolus Rom. 9. de facto Pharaonis, quòd obdurationem Deus permisit in Pharaone, vt suam in eo potentiam ostenderet, sic. *Dicit enim Scriptura Pharaoni; quia ad hoc te excitaui, vt ostendam in te potentiam meam; & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra: hoc autem*

Quia Deus miseretur, homo vult bonum, nô è contra.

Ex Dei misericordia prouenit dare gratiam; & ex eius iustitia nô dare

autem subiecit Apostolus documentum, quo probaret quod supra dixerat. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, & hoc argumentum vsque in prolixi capitis finem prosequitur, addens, quòd carnalis non capit quæ sunt Dei, & denegationem gratiæ in reprobis, siue vocatis, siue non vocatis reducit ad suum proprium sistema massæ damnatæ, ex qua in ostensionem misericordiæ alios elegit ad gloriam, & gratiam; alios in ostensionem iustitiæ in ea massa reliquit, & vocare noluit, vel non eo modo, quo sequendo obedirent, & hoc ex suo inscrutabili, iusto tamen, iudicio.

385. In lib. 4. de Trin. cap. 1. declarans illud psal. 67. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est; tu verò perfecisti eam*, ait. *Pluuiam quippè voluntariam, non nisi gratiam vult intelligi non meritis debitam, sed gratis datam; vndè & gratia nominatur. Dedit enim eam, non quia digni eramus, sed quia voluit. Hoc cognoscentes, non fidentes in nobis erimus; & hoc est infirmari. Ipse verò perficit nos, qui etiam Paulo Apostolo dixit, sufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur.*

Ad Dei iustam volũtatem Aug. hoc totum refert.

386. In lib. 2. contra Fælicem Manichæum cap. 7. expendens illud 1. ad Timot. 6. *Deus habitat lucem inaccessibilem*, dicit primò Sanctos ad eam accedere, quia in psal. 35. dicitur; *Accedite ad eum, & illuminamini*: & Matt. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. At dicit 2. *sed quia non ad eam potest accedere; nisi cui Deus ipse donauerit, vt accedat; ideò per se ipsam inaccessibilis est. Nemo ad eam potest accedere, quem Deus noluerit, vt accedat; cui autem donauerit ipse accedit*. dicitur enim in psal. 38. *Gratiam, & gloriam dabit*

Multa S. Aug. loca.

Dominus: igitur, quòd aliqui neutram, vel alterutram non habeant, ex Dei voluntate iusta prouenit, sed ex secreto, & inscrutabili iudicio.

387. In lib. de cognitione veræ vitæ cap. 26. discutiens admirabilem Dei prouidentiam, cur non singulis creaturis cuncta suæ gratiæ dona tribuat, cùm in cunctis inexistat, sed singula singulis, discurrendo per omnes creaturas vegetabiles, & sensitiuas, sicut anima existens in toto corpore, non omnibus membris eumdem actum tribuit, postquam multa dixit, concludit sic. *Cur autem Deus vni creaturæ dulcedinem suæ præsentiæ perfruendam exhibeat, alteri subtrahat, ratio nullo acumine penetrare valet; sed terribilem Deum in iudicijs suis stupet.*

388. Ex his ergo dictis infertur primò. Quòd pueri omnes, qui ab initio mundi vsque nunc mortui sunt cum peccato originali, quia scilicet non fuit eis applicatum remedium à Deo ab initio institutum pro lege naturæ, ac pro scripta, pro Hebreis, incipiendo tamen ab Abraham, idest annis 400. ante Moisem, & pro lege Euangelica pro omnibus, isti, inquam, pueri caruerunt gratia efficaci liberante eos à massa damnata.

Corollaria deducta ex prędictis.

Pueri cum originali defuncti caruerunt gratia.

389. Infertur 2. quòd omnes homines adulti, qui ab initio mundi vsque nunc extiterunt, & veri Dei fidem non habuerunt, sed Solem, vel Lunam, vel militiam Cœli (idest alios planetas) aut elementa, vel post diluuium, Idola adorauerunt, aut nunc adorant; gratia efficaci vocationis, & conuersionis caruerunt.

Sic adulti infideles mortui.

390. Infertur 3. quòd post Christi aduentum, omnes homines, cuiuscumque Nationis, ac Regionis, qui Christi fidem per baptismum fluminis, aut flaminis, aut sanguinis non receperunt, vel

Mortui sine baptismo post Christum gratia efficaci caruerunt.

vel non recipiciunt, gratia hac efficaci, seu faciente facere, caruerunt, & carent, quousque à Deo efficaciter vocentur.

391. Infertur 4. quòd omnes, qui fidem Christi per baptismum receperunt, & tamen extra Ecclesiam Catholicam reperiuntur, vel quia priùs Catholici fuerunt, & ab ea recesserunt; vel quia à genitoribus Sectarijs orti, in Sectis educati, ad Catholicam fidem non veniunt, g ratia ista efficaci, seu faciente facere carent, & alij defuncti caruerunt. Sic moriētes in heresi.

392. Infertur 5. quòd Schismatici, quorum Schisma heresi coniunctum est, sicut hodie est, vel etiam si hæresi non sit coniunctum, gratia ista efficaci faciente venire ad vnitatem carent; & qui in eo decesserunt caruerunt. Ita Schismatici in Schismate decedentes

293. Infertur 6. quòd Catholici veri, ac puri decedentes in peccato mortali, gratia hac efficaci faciente resipiscere, & penitentia ad Deum redire, caruerunt. Sic Catholici moriētes in peccato.

394. Infertur 7. quòd Catholici prædestinati, ac sancti, qui in bono perseuerantes sunt morituri, si in gratia confirmati non sunt, & interdum in peccata mortalia, & grauia labuntur, dum eos labi Deus permittit in eorum humiliationem, tunc gratia efficaci, faciente cauere malum, & superare tentationem; carent; eaque postea potiuntur, cùm ex Dei misericordia resurgunt. Prædestinati dum peccant carent gratia efficaci.

365. Cur autem hoc diuerso modo procedat Deus cum vniuersitate hominum omnium à se creatorum, & per Vnigeniti Filij sui Domini nostri Iesu Christi passionem, ac mortem redemptorum, qui hoc scire vult interroget Sanctum Paulum, qui respondebit se quoque nescire, & dicet: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Quis consi-*

consiliarius eius fuit? O altitudo, &c. quàm incompræhensibilia sunt indicia eius, & inuestigabiles viæ eius! consolatur nos tamen, dicens. *Apud Deum non est personarum acceptio, nec iniquitas*: Hæc scire nobis sufficiat: *& non scrutemur in profundo, ne labamur in profundum,* inquit Augustinus.

CAPVT XVIII.

An saltem gratia dicta sufficiens, *concedatur omnibus hominibus, & in omni tempore.*

Quæsitum difficilè plura complectens.

396. ADu. 1. quæsitum hoc plura æquè difficilia complecti, æquè pariter scitu digna. Primum est, an detur ista species gratię dicta *sufficiens*, & qualis sit, seu in quo consistat; & cur ita dicta, cùm effectum principalem non producat: & quamuis in *cap.* 4. huius Opusculi de illa nonnulla dixerimus, non tamen completè, & pro dignitate de ipsa disseruimus, reseruantes eius discussionem vsque ad locum istum. Secundum dubium hic resoluendum est: hoc supposito, quòd admittenda sit species ista gratiæ sufficientis, sicut de facto admittimus, quæritur, an detur omnibus, & singulis hominibus, cùm omnes, & singuli sint capaces glorię, & mediorum, quæ disponunt, atque conducunt ad gloriam; & omnes, & singuli redempti fuerint à Christo Domino. Tertium quęsitum in hoc loco resoluendum est: supposito, quòd gratia sufficiens admittatur, & concedatur, siue omnibus, siue aliquibus, quęrendum est, an continuò, & pro quolibet temporis momento, ac pro qualibet actione facienda, Deus concedat hanc gratiam. Quæ omnia quæsita cum alijs annexis, Deo fauente, soluere conabi-

1. An detur gratia sufficiens.

2. An omnibus detur.

3. an sæper, & cõtinuò.

nabimur; & distinctionis, atque claritatis gratia per plura Capita ea distribuemus: primò tamen de eius existentia loquemur in sequenti §.vnico.

397. Adu. 2.quòd iuxta diuersum hominum statum, gratia, tàm efficax, quàm sufficiens ad hæc quatuor operationum genera potest esse necessaria, scilicet ad credendum (pro infidelibus) sperandum, ac diligendum, &c. dum creditur. 2. ad penitendum. 3. ad seruandum præcepta, vel consilia, & virtutum opera facienda, sicut oportet; 4. ad superandum tentationes, & ad cauendum mala; & hæc omnia pro fidelibus, qui in his operibus mereri possunt: & ideò inquirendum, an tàm infidelibus, vt veniant ad fidem, quàm fidelibus, vt prefata bona opera faciant, Deus, si efficacem gratiam non concedit; saltim concedat sufficientem, & continuè illam eis prestet, illuminando, & inspirando. Ad quæ opera gratia est necessaria.

§. Vnicus.

An admittenda sit gratia sufficiens, *contradistincta ab efficaci, & in quo consistat.*

398. ADu. 1. quòd vocabulum hoc *sufficiens*, deriuatum à verbo *sufficio*, sumi potest dupliciter, grammaticaliter, ac theologicè: primo modo sumptum significat rem aliquam non indigentem aliquo alio in suo genere ad effectum aliquem producendum. Theologicè verò sumptum, & applicatum gratiæ, sumptum est à Theologis ad significandam speciem quamdam gratię contradistinctam à gratia efficaci: vnde autem putauerint Theologi sumi æthimologiam, *sufficientis*, cùm reuera ad effectum principalem pro- 'Sufficiens dupliciter sumi potest

producendum in actu non sufficiat, vt mox dicam, sed tantum ad posse producere

399. Adu. 2. quòd inter Theologos ipsos adhuc æquiuocum est vocabulum hoc *sufficiens gratia*. Quidam enim appellant gratiam *sufficientem* omnem illam, per quam nullo alio requisito effectus habetur; & sic in sensu grammaticali accipientes *sufficientem*, solam efficacem appellant sufficientem; quia ipsa sola in suo genere, ac ordine comprincipij nullo alio requisito sufficit ad ponendum effectum in esse. Sic eam sumit Riccardus de S. Victore in *serm. de missione Spiritus Sancti*, post medium, vbi plura dicit de gratia sufficiente, sed eam dicit sufficientem, quę effectum producit, & de Apostolis ait, ante Pentecostem habuisse gratiam (dictam *præsentem*) sed in Pentecoste per infusionem Spiritus Sancti habere cęperunt *gratiam sufficientem*, & subdit. *Qualis fuerit prima gratia testatur Petri casus: qualis fuerit secunda testatur constantia Stephani. Certè, nec Petrus caderet, si gratiæ plenitudinem haberet; nec Stephanus in tanto virtutum fastigio staret, si gratiæ plenitudine careret*: dicit deindè, quòd Apostoli gratiam *sufficientem* habuerunt, sed non omnem plenitudinem gratię. Tertiò dicit, quòd de Christi plenitudine omnes accepimus, secundùm præsentis vitæ statum, & capacitatem omnes habere ad *gratiã sufficientẽ*: dicit 4. *Siquidem gratiam sufficientem habuit Adamus ad malum cauendum, & omne debitum soluendum: alioquin non potuit vitare peccatum*: & alia plura. Itaque sumit *sufficientem* diuerso modo, quàm moderni Theologi sumant; & vt patet grammaticaliter potiùs, & in vltima propositione de Adami gratia, & in alia de gratia Petri cadentis, videtur accedere ad sensum

Inter Theologos etiã dupliciter sumitur sufficiens.

Primò pro efficaci.

Alijs modis sumpta sufficieus gratia.

ſum modernorum: & ipſemet S. Auguſtinus loquens de gratia neceſſaria poſt lapſum Adæ, ait, quòd illa dat vires *ſufficientiſſimas*, ad faciendum opus bonum: at de gratia hoc modo *ſufficiente* in hoc loco non loquimur. Alij autem Theologi docuerunt, nullam dari gratiam ſufficientem; ſed omnem gratiam eſſe efficacem: at hi diuiſi ſunt. Quidam ſic ſuam declarant ſententiam: omnis gratia facit ſuum effectum, verbi gratia, dum Deus illuminat intellectum alicuius, & inſpirat voluntati actum credendi, pęnitendi, pręceptum adimplendi, &c. Gratia illa facit ſuum effectum, quia illuminat, ac inſpirat, etiam ſi illuminatus ac inſpiratus non faciat actum credendi, pænitendi, etc. & in hoc ſenſu poteſt admitti, quòd omnis gratia ſit efficax: ſed cum bona eorum venia exiſtimo, non poſſe ſic abſolutè pronunciari, ***omnis gratia eſt efficax***, ſed cum aliqua limitatione, ſcilicet, in aliquo ſenſu, ſeu ordine, non verò abſolutè; quia talis illuminatio, & inſpiratio non habent ſemper coniũctum effectum principalem, quem reſpiciunt, nempè actum credendi, pęnitendi, &c. Alij verò dicunt, non dari aliam gratiam diuinam, quam nobis meruit Chriſtus, niſi efficacem, quæ ſcilicet, ſemper habet coniunctum effectum, & cui voluntas numquam reſiſtit, quæ ſententia damnata eſt; & etiamſi damnata non foret, ex Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum principijs conuinceretur falſa, & iniqua: de iſta ergo *ſufficienti* gratia, vt contradiſtincta ab efficaci, hìc loquimur.

Etiam Auguſt. interdum efficacem dicit ſufficientē.

Quomodò dici poteſt quòd omnis gratia ſit efficax.

400. Adu. 3. quòd quamuis Authores omnes, qui gratiam ſufficientem admittunt, contradiſtinctam ab efficaci eam aſſerunt; non tamen omnes eodem modo contradiſtinguunt.

Quidã dicunt gratiã esse sufficientem solum ex carentia consensus liberi: & per eum fieri, efficacem.

Quidam enim Authores dicunt contradistingui per carentiam consensus liberi; licet etiam ipsi inter se in declarando rem istam dissentiant. Declaratur. Conueniunt in hoc, quòd omnis gratia necessaria ad benè operandum est indifferens ad ponendum, & non ponendum effectum principalem ad quem à Deo confertur; ita quòd, si voluntas consentit, fiat efficax; si non consentit, remanet *sufficiens*, eo quòd quantum in se est ex parte comprincipij gratiosi, sufficit ad producendum effectum, quia nullo alio indiget in genere gratię, at effectum non facit, quia aliud comprincipium, quod vitale est, non vult ea vti. Quando autem vult ea vti, & concurrit ad opus, tunc gratia est sufficiens, & efficax. Hanc sententiam non sumus secuti, vt patuit in cap.7.etc. quia si alio modo explicetur, putamus non esse S.Augustini: & Cardinalis Belar. in *lib.1. de Gratia, & lib.arbit. cap.12.* ingenuè fatetur non esse sententiam S.Augustini: & nos in superioribus notauimus à S.Augustino potiùs impugnari pro statu naturæ lapsæ, admittente talem gratiam à voluntate determinandam in solis Angelis, & Adamo, asserens pro ratione, quia vt Deus exerceat misericordiam suam cum creaturis, non indiget consensu earum, neque illum expectat; sed ipse facit, vt consentiant, alioquin (à posteriori) frustra diceret Paulus, *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti?* etenim homo consentiens, dicere posset, *Ego me discerno*; quia ego feci, vt gratia esset efficax, & volui facere, ac feci bonum opus: hunc ergo modum declarandi gratiam sufficientem, qui ab Augustino, vt videò reijcitur, sequi non possum, & qualiscumque valoris sit, non curo ampliùs discutere, sed non impugno.

Alij aliter distinguũt sufficientẽ ab efficaci.

Alij

Alij alio modo gratiã ex sufficienti fieri efficacẽ declarant, vt cum S. August. teneãt, & à pręfata sententia recedant, quem modum idem Belarminus refert in dicto Capite, & iterum in Capite 13. respondens ad 3. obiectionem: quem modum non curo referre, quia illum non impugno, sed relinquo in suo statu; tùm quia fortè non benè capio; tùm etiam, quia omnem modum dicendi admitterem, dummodò saluet gratiam sufficientem, distinctam ab efficaci, & libertatem voluntatis, & quòd homo non se discernit, sed Deus.

Authoris ingenuitas ac modestia.

Alij verò, qui se Sancti Augustini magis sequaces profitentur, (quibus subscribo) docent gratiam efficacem, & sufficientem esse duas species diuersas ex sui natura, nec posse hanc euadere illam: sed vt in toto hoc ferè tractatu diximus, dicunt, efficacem esse illam, quæ ex sua natura, vel ex diuino decreto talis est, quæ infallibiliter semper habet annexum effectum principalem, ad quem faciendum à Deo datur; sufficientem verò esse eam, quæ effectum principalem annexum non habet, vndecumque hoc proueniat; sed dat posse tantum potentiæ, vt exemplis patebit. Vnde verò sortiatur nomen *sufficientis*, cùm reuera, se sola, & sine alia, nempè adiuuante, ad faciendum de facto opus non sufficiat, & ad quid detur, quoad me fateor ingenuè, hoc opus, hìc labor est; ideò

401. Adu. 4. Quòd licet ex tempore Augustini, immò ab initio Ecclesię, etiam in Veteri Testamento, vt in *cap.* 4. patuit, & mox patebit agnita fuerit gratia ista inefficax, quę effectum principalem secum annexum non habet (vndecumque hoc proueniat) non potui tamen inuenire quisnam ex maioribus, & antiquis nomen hoc *sufficientis*, & qua ratione, ei imposuerit. Autho-

res enim, qui docent omnem gratiam secundùm se, & in suo ordine esse actiuam, si voluntas velit ea vti; at non agere, quia voluntas ea non vtitur, facilè assignant, cur dicatur, & sit *sufficiens*, quia, inquiunt, in genere gratiæ, & comprincipij supernaturalis nullo alio indiget, vt exeat in actum, sed expectat, vt voluntas ea vtatur ad faciendum actum supernaturaliter bonum, ac liberum, & meritorium, siue de congruo, vt in se disponentibus ad iustitiam, siue de condigno, vt in iustis benè operantibus. Isti, inquam, supposita eorum sententia de submissione, ac dependentia gratiæ ad voluntatem, nullo negotio, immò euidenter ab hac difficultate se liberant. At qui dicunt certiùs se Sancti Augustini, S. Fulgentij, S. Prosperi, S. Thomæ, & Scoti sententiam sequi, nempè, quòd gratia efficax ex sui intrinseca natura sibi à Deo indita habet, vt delectabiliter trahat (vt supra diximus) voluntatem ad faciendum opus bonum, se habens ad voluntatem, sicut sessor ad iumentum, vt ait S. Augustinus, non quidem cum omnimoda paritate, vt phanaticè putauit Lutherus negans liberum arbitrium hominis, quia docuit, quòd sicut iumentum caret libertate, quæ tota in sessore est, ita homo sub gratia efficaci, demens enim est, qui putat in hoc sensu loqui Sanctum Augustinum; sed cum aliqua paritate, vt ostenderet præcellentiam gratię, quæ liberum arbitrium ex diuina virtute alliciendo illud trahit ad bonum operandum, & ideò facit, vt voluntas faciat; ac propterea sit, & dicatur efficax; alia autem species gratiæ hanc naturam, seu qualitatem à Deo non habet, ideòque inefficax, difficiliùs assignant rationem, cur dicatur *sufficiens*, cùm ipsa in genere gratię,

Author nescit, quis sit inuentor vocabuli sufficientis pro gratia inefficaci.

Aliqui facilè assignant rationem: alij non sic facilè.

sola non satis, & valens sit, ad trahendam voluntatem, vt cum ea faciat opus bonum, sed sit necessaria gratia adiuuans, quę facit facere; cur autem sic vocetur, dicam.

402. Dico 1. Omninò admitti debet Gratia dicta *sufficiens*, contradistincta ab efficaci; talis quidem ex sua natura sibi à Deo indita; & absque ordine ad voluntatis determinationem, sed dans ei posse bona facere. Prima pars nunc de fide est. Secunda verò disputatur donec ab Ecclesia exprefsè definiatur; at existimatur S. Augustini, & eius Discipulorum esse, inter quos minimus ego censeri cupio; quamuis opposita ab alijs, qui S.Augustinum quoque profitentur sequi, defendatur, quos non impugno.

Admitti debet gratia sufficiēs ex sua natura.

403. Prima pars ex cap.4. manet probata; nihilominus eas rationes recolere, & alias adiungere, inutile non erit. In Veteri Testamento legimus, quòd sępè Deus populum suum vocauit, repræhendit, admonuit, ac afflixit; & tamen non obediuit, restitit vocationibus, spreuit monitiones, & peius aliquandò peccauit: ergo. Anteced. prob. ex pluribus locis: psal.94. *Quadraginta annis* (idest in deserto) *proximus fui generationi huic, & dixi semper hi errant corde; ipsi verò non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*: Et ita accidit in pœnam, quia ex innumerabili ferè illo promiscuo populo, qui, duce Moise, egressus fuit de Ægipto, & vagatus annis 40. per desertum, duo soli, Iosue, & Caleb in terram promissionis intrarunt. 2. ex Prou.r. 24. Deus dicit. *Conuertimini ad correptionem meam. En proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Quia vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret;*

Ex Veteri Test. probatur.

Ex psal.

Ex Prouer.

ret; despexistis omne consilium meum, & correptionem meam: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum id, quod timebatis, aduenerit.

Ex Isaia.

404. Confirmatur ex Isaiæ 1. vbi Deus conqueritur de Populo Hæbraico, quòd ei non obedierit, sed eius admonitiones spreuerit, & inuitat, vt ad ipsum redeat per pænitentiam; qui tamen pertinax in Idolatria perseuerauit. *Filios enutriui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit*: & infra. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite peruersè agere*, etc. *venite, & arguite me*, etc. & tamen conuersio populi secuta non est, immò hic Propheta ob has monitiones ab impio Manasse Rege Iudeæ per medium sectus, & occisus est.

Ex toto Veteri Test. probari potest.

405. Confirmatur 2. ex omnibus libris Veteris Testamenti, & præsertim omnium Prophetarum, per quos Deus populos Hæbraicos post diuisionem Regni sub Roboam, et Ieroboam, hortatus est ad pœnitentiam, & miraculis veritatem ab eis prædicatam confirmauit; & nihilominus conuersi non sunt. Has autem gratias vocamus *sufficientes*, contradistinctas ab efficacibus, quibus annexi sunt effectus, nempè conuersiones ad fidem, vel pœnitentiam, vel ad alia bona peragenda.

Ad obiectionē, quòd fuerint externæ vocationes responsio.

406. Neque potest dici, quòd prędicationes illæ, & exhortationes Prophetarum, vel aliorum Sanctorum Dei iussu factæ populis, aut priuatis personis fuerint externæ tantùm gratiæ, puta locutiones, ac verba, sicut est ipsa lex à Deo data, non autem interna qualitas in anima à Deo infusa; & ideò sicut lex non in omnibus, qui eam legunt

legunt producit effectum, quem dictat, ita neque prædicationes illæ.

407. Respondetur enim, hanc fuisse vnam ex propositionibus Pelagij Hæretici iam damnati; ideò non posse ab vllo Catholico ampliùs adduci. Quòd verò prędicationes illæ, & aliorum à Deo missorum non fuerint, nec sint simplicia, seu externa tantùm verba; sed ijs prædicantibus externè, Deus tunc internè loquatur illuminando, vt veritatem audientes agnoscant; & inspirando, vt eam cognitam diligant, alioquin frustra fieret prædicatio; luculenter hoc docuit Sanctus Augustinus Doctor Gratiæ tract.3. in epist.1. Ioannis, vbi explicans illud, *Vnctio spiritus docet nos*, inquit, *Videte fratres magnum Sacramentum: sonus verborum nostrorum aures percutit, Magister intus est: admonere possumus per strepitum vocis nostræ; si non sit intus, qui doceat, inanis est strepitus noster.* Et post aliqua subdit. *Magisteria forinseca, adiutoria quædam sunt, & admonitiones: Cathedram in Cælo habet, qui corda docet; propterea dicit in Euangelio, nolite vobis Magistrum dicere in terra. Vnus ergo Magister est Christus; ipse ergo nobis intus loquitur, quando nemo hominum illic est*: & infra. *Interius ergo est Magister, qui docet; Christus docet, inspiratio illius docet. Vbi illius inspiratio, & vnctio non est: forinsecus inaniter perstrepunt verba*: & assignat exemplum de Agricola, qui arborem irrigat, sed nec dat ei incremuntum, nec ipse poma producit. Ideò dicit Apostolus. *Ego plantaui, Apollo rigauit; Deus autem incrementum dedit*. Ergo cùm Deus per Prophetas, aliosque ministros manifestare facit hominibus veritatem doctrinæ, ac morum, & facit eos hortari, et admonere, vt conuertantur ad fidem, vel pęniten-

Ex S. Aug. clara responsio.

Cum quis externè prędicat; Deus internè loquitur.

Deus per prędicatores loquitur externè sed ipse internè.

tentiã; vel ad exercitiũ virtutũ, ipse benignissimus Dominus tunc intus loquitur illuminando; et inspirando; quamuis audientes sæpè numero non conuertantur ad ea, ad quæ admonentur.

408. Prob. iterum eadem pars prima ex Nouo Testamento. Saluator post prædicationem 40. ferè mensium, cùm pauci conuersi essent respectu tantæ multitudinis Iudæorum, Matth. 23. 37. dixit. *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui cõgregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti*. Ioann. 5. ait. *Quem misit ille* (Pater) *huic non creditis, scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, vt vitam æternam habeatis*: & alia plura eiusmodi dicta Christi in Euangelio legimus. Christus autem, vt nuper patuit, non externè tantùm loquebatur, sed etiam internè, illuminando, & inspirando; & tamen auditores non crediderunt; ergo confitenda est gratia interna contradistincta ab efficaci, cui voluntas resistit, et effectum principalem connexum non habet.

Alia ratio ad idem.

Ex Christi dictis.

409. Primus omnium, qui post Christum de hac sufficienti gratia testimonium perhibuit, est Protomartir Stephanus. Is *Act*. 7. post longam illam concionem, qua omnia beneficia populo à Deo collata, & ingratitudinem, ac duritiem cordium ipsorum ad Deo obediendum exprobasset, mox ob ipsorum perfidiam lapidandus, dixit. *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut Patres vestri, ita & vos*. Ergo datur gratia, cui voluntas resistit, & quæ effectum principalem annexum non habet.

Ex dicto S. Stephani.

Con-

410. Confirmatur vlteriùs ex aliquibus Pauli locis. Rom. 10. 16. *Sed non omnes credunt Euangelio: Isaias enim dicit, Domine quis credidit auditui nostro?* Cùm autem Apostoli Euangelium externè prædicabant, Deus, vt ex Augustino patuit, internè loquebatur auscultantibus; & tamen non omnes credebant: & in die Pentecostes prędicatio eorum confirmata fuit cum miraculo linguarum; & tamen cùm tot millia hominum audissent, & illuminati, ac inspirati essent; tria millia tantùm conuersi fidem susceperunt. Sic etiam quando *Act.* 3. Petrus, & Ioannes, sanato claudo, protestati sunt se in nomine Iesu miraculum patrasse; & ideò eius sanctitatem, ac diuinitatem annunciarunt, asserentes, nullum sine eius fidè saluari posse, quinque millia hominum tantummodò conuersi sunt; cæteri verò, etsi illuminati, ac inspirati, in sua infidelitate perstiterunt. Similes autem plures casus acciderunt Petro, & Paulo, & cæteris Apostolis, vt ex toto libro Act. Apostolorum constat; pauci enim ad eorum prædicationem conuertebantur, vt Paulo prędicante Athenis; & interdum vnus, vt de Lydia purpuraria ad prædicationem Pauli *Act.* 16. sola cũ domo cõuersa Philippis. Hinc est, quòd Antiochiæ Pisidiæ *Act.* 13. cùm toties Hæbreis prædicasset, & rarissimas ipsorum conuersiones expertus esset, sancto zelo repletus, dixit. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ ecce conuertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus. Posui te in lucem Gentium. Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Ecce in hoc facto duplex gratiæ ge-

Ex Apostolis dictis, & factis.

Multi audiebant cõciones; sed pauci conuertebãtur

genus ; in prioribus illuminatis, & inspiratis sufficiens, nam sine conuersione ; in posterioribus efficax, quia cum conuersione.

Alia arg. vnde sumenda.

411. Alia argumenta, quibus probatur hæc gratia dicta *sufficiens*, desumpta ex Concil. & ex definitione Sedis Apostolicæ, & ex S.Augustino, in Capite 4. huius Opusculi relata sunt; & alia infra adducentur, cùm ostendemus gratiam sufficientem ad credendum omnibus, etiam infidelibus, dari; & gratiam ad pœnitendum, & ad opera legis, atque consilij omnibus quoque fidelibus: at non omnes, nec illos, nec istos conuerti ad faciendum: ideòque suppositis fidei principijs, euidens est, dari gratiam contradistinctam ab efficaci, quæ communiter nostris temporibus appellatur *sufficiens*.

S.Aug. non sic nominat hanc gratiam, sed in re admittit.

S. Augustini clara loca adduxi in præfato Capite 4. ibi videnda. Quamuis, nec in illis, nec in alijs locis vmquam hoc nomine sufficientis in modernorum sensu appellat aliquam gratiam: in re tamen conuenit, admittendo gratiam vocationis, quam homo non sequitur. Hoc autem de eius mente nobis sufficit, quòd scilicet detur quodam gratiæ genus, qua homo illuminatur, ac inspiratur ad conuersionem, vel ad pœnitentiam, vel ad aliud virtutis opus, quod tamen homo nō facit, & non curamus de nomine, an adæquatè eam exprimat, nec ne; & cum communi modernorum nomine vocamus *sufficientem*, mox cum alijs dicturi sub qua proprietate talis dicatur.

Gratia ista ex se habet quòd non sit efficax.

412. Secunda pars conclusionis, quòd scilicet ex se habeat gratia ista, ex Dei dispositione, vt non sit efficax, seu faciens facere; non verò respectu voluntatis non consentientis, ita quòd si consentiret, illa eadem sufficiens, euaderet effi-

cax,

cax, probatur. S. Augustinus, cuius intentio in omnibus suis libris gratiam tangentibus principaliter fuit in probando, & firmando necessitatem gratiæ facientis facere, seu efficacis, & per accidens aliquando de gratia non faciente facere, seu inefficaci locutus est, in duplici tantum casu admittit gratiam istam quorumdam modernorum modo sufficientem, nempè cum ordine ad voluntatem, à qua fieri posset efficax, in casu scilicet Angelorum, & Adami innocentis: pro alijs autem casibus, aut personis post lapsum Adæ, nequaquam, vt sæpè superiùs ex eo ostendimus. Immò, cùm in libro *de Bono Perseuer. cap. 9.* quærens, cur ex duobus vocatis, vnus sequatur vocantem, alius non sequatur, non assignat voluntatem non sequentis, sed recurrit ad inscrutabile Dei iudicium, sic autem ait: ***Ex duobus ætate grandibus impijs, cur iste vocetur, vt vocantem sequatur; ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt iudicia Dei: ex duobus autem pijs, cur vni detur perseuerantia vsque in finem, illi non detur, incompræhensibilia sunt iudicia Dei.*** Si autem à voluntate dependeret, vt effectum haberet vtraque vocatio, Augustinus ad voluntatem non sequentem recurrisset, non verò ad inscrutabile Dei iudicium, quod diuersæ rationis vocationem illis impartiatur.

Pro Adamo tantum S. Aug. admittit suffi. cientem modernorum, & pro Angelis.

413. Præterea in *lib. 1. ad Simplicianum qu. 2.* vt diffusè retulimus in *cap. 4.* differens de duobus illis fidei principijs, vno *Rom. 9. non volentis, neque currentis, sed Dei est miserentis*, & alio, *Matt. 20. multi sunt vocati, pauci verò electi*, multa dicit ad rem nostram. Primò si dicatur, quòd ex voluntate hominis penderet vocationis effectus; *igitur*, inquit, ***non miserentis est Dei, sed currentis***

S. August. loca.

Absurdum ex contraria sententia.

est hominis; quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit: qui si vellet etiam ipsorum (idest vocatorum non sequentium) *misereri, posset ita vocare quomodò illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur*: postquam autem impugnauit modum illum dicendi, his temporibus, vel paulò ante renouatum, quòd gratia secundùm se sufficiens est, vt effectum producat, si voluntas velit, declarat, quomodò veræ sunt duæ illæ propositiones, *multi sunt vocati, pauci verò electi*, & alia, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, totum hoc tribuens, non voluntati humanæ diuersimodè volenti, sed gratiæ diuersitati diuersimodè ex Dei dispositione, et inscrutabili iudicio inclinanti; dicit enim. *Verum est ergo, multi vocati, pauci verò electi: illi enim electi, qui congruenter vocati: qui autem non congruebant, neque contemperabant vocationi non electi, quia non secuti, quamuis vocati. Item verum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; quia etiamsi multos vocet; eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodò eos vocari aptum est, vt sequantur*. Deindè adducit multa exempla Discipulorum Christi, et aliorum, quorum aliqui ex diuersis vocationum rationibus statim secuti sunt Dominum, etiam nullo viso miraculo, alij, vel non secuti, vel post plures vocationes, visisque miraculis; vt videre est in *cap*. 4. ergo ex sua conditione istę gratiæ vocationum habent, vel non habent virtutem, vt faciant sequi, vel non sequi vocantem, non verò dependenter à voluntate consentiente, vel non consentiente.

Cur ex duobus vocatis vnus sequitur, alius non; ex August. ad diuersitatem gratiæ refertur.

414. Dico 2. Gratia ista, quæ nunc communiter, et aptè dicitur, *sufficiens*, non est similis illi,

Illi, quam habuerunt Angeli, vel Adam in ſtatu innocentiæ: eſt eadem cum ſecunda parte pręcedentis concluſionis; de neceſſitate tamen vlteriùs explicanda.

Sufficiens gratia non eſt ſicut illa Adami.

415. Prob. ipſiſmet S.Auguſtini verbis, in *in lib.de Corr. & Gratia cap.*11. vbi docens primò neceſſitatem gratiæ in omni homine, etiam in Adamo innocente, & Angelis, antequam beatificarentur, aſſignat differentiam inter gratiam collatam Angelis, & Adamo neceſſariam ad permanendum in bono ſibi collato, & gratiam neceſſariam omni homini, ipſique Adamo poſt peccatum; dicens præ cæteris de Adamo. *Sed ſanè habuit, in quo ſi permanere vellet, numquam malus eſſet, & ſine quo etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet; ſed eam per liberum arbitrium deſerere poſſet. Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit; ad bonum autem parum eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono: quod adiutorium ſi homo ille non deſeruiſſet per liberum arbitrium, ſemper eſſet bonus; ſed deſeruit, & deſertus eſt. Tale quippè erat adiutorium, quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adamo: ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adamo. Prima eſt enim qua fit, vt homo habeat iuſtitiam, ſi velit. Secunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, vt velit; & tantùm velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluptatem contrarium concupiſcentem, voluntate ſpiritus vincat. Nec illa quidem parua erat, qua demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrij; quoniam ſic adiuuabatur, vt ſine hoc adiutorio in bono non maneret, ſed hoc adiutorium, ſi vellet, desereret. Hæc autem tanto maior eſt, vt parum ſit homi-*

Gratia Adami quę.

Gratia aliorum poſt peccatum quæ,

homini per illam reparare perditam libertatem. Parum sit denique sine illa non posse, vel appræhendere bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur, vt velit. Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippè illum fecerat, qua fecerat rectum. Dederat adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet: vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere, si vellet, quia dederat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere, quod vellet: sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset. Sic fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitriũ steterunt ipsi. Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, quando primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet; non vtique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est. Quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum, & tantò ampliùs datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiam si velimus; verum etiam tantum, ac tale sit, vt velimus; est quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo non solum posse, quod volumus: verum etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo. Vnum enim in illo fuit, alterum non fuit. Itaque gratia sufficiens, quam nos omnes Catholici confiteri tenemur contradistinctam ab efficaci (quia non habet annexum effectum, sicut efficax) non est similis gratiæ sufficienti Adami, nisi in vno tantùm,

Gratia suf. ficiens nũc non est, sicut sufficiẽs Adami.

Illa à volũtate Adami pendebat, vt effectum eliceret.

tùm, quia iſta Adami habuit poſſe tantùm,& caruit effectu; at non eſt ſimilis in alia parte, quòd nempè ex dependentia voluntatis illa Adami, ſine aliquo alio adiutorio habere potuit effectum, ſi voluntas voluiſſet; non ſic eſt gratia nobis neceſſaria in ſtatu naturæ lapſæ, vt effectus habeatur, quia pręter poſſe effectum producere, ex ſe ipſa Deo ſic diſponente habet, vt voluntatem trahat, & cum ea effectum producat: igitur non ex eo, quòd ſi voluntas velit, facit effectum,& ſi nolit non faciat, dicenda eſt ſufficiens, ſed ex aliquo alio capite.

416. Confirmatur eo eodem Auguſtino in eodem libro de *Corr.& Gratia cap.* 12. vbi iterum longo, ſed fructuoſo diſcurſu probat gratiam datam hominibus poſt peccatum Adę, non eſſe ſimilem illi, quam dedit Adæ, qua ſcilicet poſſit facere actus bonos, & faciat ſi velit, ſubdens rationem, ne homo in ſe glorietur, ſed glorietur in Deo, qui dat gratiā, qua poſſit facere, &quę faciat facere, inquiens. *Ac per hoc, nec de ipſa perſeuerantia boni voluit Deus Sanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari, qui eis non ſolum dat adiutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeuerare, ſi velint: ſed in eis etiam operatur & velle, &c. Tanto quippè accenditur voluntas eorum Spiritu Sancto, vt ideò poſſint, quia ſic velint, & ideò ſic velint, quia Deus operatur, vt velint*: & validam rationem adducit, cur Deus voluntati humanæ in natura lapſa non remittat, vt gratiam reddat efficacem, ſi velit, vt fecit cum Adamo, inquiens. *Nam ſi in tanta infirmitate vitæ huius (in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat) ipſis relinqueretur voluntas ſua, vt in adiutorio Dei, ſine quo perſeuerare non poſ-*

Alius S. Aug. locus euidens.

Neque Sanctis dat, ſicut dedit Adæ, ne in eo glorientur.

sent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, vt vellent; inter tot, & tantas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent infirmitate voluntatis, vt possent. Subuentum est ergo infirmitati humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter; & inseparabiliter ageretur: & ideò quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Ita factum est, vt voluntas hominis inualida, & imbecilla in bono adhuc paruo perseueraret per virtutem Dei: cùm voluntas primi hominis fortis, & sana in bono ampliore non perseuerauerit habens virtutem liberi arbitrij, quamuis non de futuro auxilio Dei, sine quo non posset perseuerare, si vellet; non tamen tale, quo in illo Deus operatur, vt vellet. Fortissimo quippè dimisit, atque permisit facere quod vellet: infirmis seruauit, vt ipso donante, inuictissimè, quod bonum est vellent, nec hoc deserere inuictissimè nollent. Igitur gratia, quę asseritur nunc *sufficiens*, in Augustini sententia non est similis illi, quam habuit Adam, dependens à voluntate, vt sit efficax; immò, videtur non conuenire naturæ infirmæ, quia tot concupiscentijs obruta, nullatenus posset actu ad spiritualia conuerti.

Si daret nunc gratiam, sicut Adamo, ea nemo vteretur, ob naturæ infirmitatem

417. Dico 3. Gratia ista, qua homo illuminatur, ac inspiratur, siue ad credendum, siue ad pænitendum, siue ad alia virtutum opera faciendum, carens his effectibus, dici potest, & debet cõmuni vocabulo *sufficiens*, tùm quia in eo genere eleuandi animam ad supernaturalia sufficit, sine qua non eleuaretur; tum etiam, quia dat posse ad talia opera; quòd si adiuuante gratia fulciatur, in eos actus homo exibit.

Gratia vnde dicitur sufficiens.

418. Prob. & declaratur. Anima nostra, sine

ſine gratia præueniente,& excitante,ac-inſpirante iacet, ac moratur in naturalium, & caducarum rerum agnitione, & affectione: hinc Dauid pſal.124. *Anima mea, ſicut terra ſine aqua tibi;* terreni enim ſumus, & aridi, niſi diuinæ gratię rore irrigemur: vndè ſubdit, *velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus.* A gratia autem præueniente, ſeu excitante incipit Deus eleuare animam, eamque diſponere ad perfectionem, tàm primam, quàm cæteras poſt lapſum, & ad alia opera iuſtitiæ, ac ſupernaturalia; ſic enim docet Concil. Trid. ſeſs.6. cap. 5. *Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur; & qui per peccata à Deo auerſi erant per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponuntur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil agat inſpirationem illam recipiens, quippè qui illam abÿcere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit:* in quo Capite plura pro noſtra ſententia habemus: primum, quòd per excitationem, ſeu illuminationem, aut vocationem (quæ idem ſunt) cum præueniente Dei gratia homo incipit eleuari ad ſpiritualem, ac ſupernaturalem iuſtificationem. Secundum eſt, quòd adiuuans gratia neceſſaria eſt, vt opus conſentiendi ſequatur. Tertium, quòd voluntas tunc cooperatur. Quartum, quòd voluntas abijcere poteſt illuminationem: notandum hoc, dicit *illuminationem*, non dicit adiuuantem gratiam, quam prædixerat neceſſariam ad hanc

Primum principium boni operis eſt gratia excitãs, ac inſpirãs.

Ex Concil. Trid.

Yyy diſpo-

dispositionem; & subiungit, *& sine gratia Dei mouere se ad iustitiam non possit* : & in cap. sequenti, dicit. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem*, &c. credere, sperare, ac diligere incipiunt. Gratia ergo excitans, ac preueniens, seu illuminans, est exordium eleuationis ad opera supernaturalia, & sine qua, nec eleuatio illa fieret, nec opus vllum supernaturale sequeretur: igitur ad hoc est sufficiens.

419. Prob. 2. paritate habituum supernaturalium fidei, spei, & charitatis: isti enim constituunt hominem in ordine supernaturali, & tribuunt posse facere actus credendi, sperandi, ac diligendi; & in tali ordine, & ad tales effectus sunt sufficientia principia; & tamen in actus illos non exeunt sine actuali Dei auxilio, quo concurrit cum homine ad actus illos producendos: & deficientia huius auxilij non aufert illis habitibus rationē sufficientię in ratione principij in ordine suo, & in actu primo. Ita pariter dici potest, ac debet de gratia, seu auxilio dicto *sufficienti*, contradistincto ab efficaci; quòd scilicet, cùm ipsum sit ita necessariū ad faciendum opus bonū supernaturale, vt sine ipso fieri nō possit; licet ad illud actu faciendum sit necessarium aliud auxilium dictum adiuuans, seu efficax; non proinde illud non potest, & debet dici sufficiens in ordine suo.

Paritas de habitibus; qui sufficientes sūt & in actus non exeunt sine alio iuuante.

420. Prob. 3. paritate causarum naturalium, quę quidem in suo ordine habent actiuitatem, ac virtutem respectu suorum effectuum, & sine illis haberi non possunt ipsarum effectus: & tamen, nisi ab aliquo agente extrinseco applicentur materijs proportionatis, suos effectus non producunt: neque propterea ex carentia talis applicationis cessant esse, aut dici sufficientes; ita de auxilio,

Paritas causarum naturaliū.

lio, seu gratia contradistincta ab efficaci dicendum est; quòd scilicet sufficiens dicenda sit: quãuis, vt effectus illius ponatur in esse, alia gratia adiuuans, seu efficax necessaria sit, quia sine illa sufficienti effectus poni nequit in esse: & per illam tantũ numquam ponatur, sed potest poni cũ alio adiuuante; & cum hoc de facto ponitur: hęc est sufficientis (quam tenemus) gratiæ natura.

421. Confirmatur. Gratia dicta *sufficiens*, est sine qua homo non potest operari opus supernaturale, credendi, diligendi, pęnitendi, &c. & cum qua potest, vt de gratia Adami docet S. Augustinus, ex supra dictis: igitur dat possibilitatem ad faciendum; & sic in ordine possibilitatis, seu potestatis ad faciendum, est sufficiens, licet non det actualitatem, seu actum faciendi, quia hoc est munus adiuuantis, seu efficacis: sicut à pari, lumen est necessarium oculo ad videndum, & in suo genere ita dat ei posse videre, vt sine eo nõpossit oculus videre, & cum eo possit videre: non tamen dat actu videre; immò potest oculus habens illud præsens eo non vti, & actum videndi, voluntate imperante, non elicere: neque propterea sequitur, quòd lumen non sit in suo genere sufficiens ad causandam visionem, & sine quo non possit causari visio: ita gratia ista, sine qua produci non potest actus bonus, & cum qua produci potest, dici potest, & debet sufficiens ad illum producendum, licet aliud sit necessarium, vt actu producatur. **Paritas luminis ad videndum.**

422. Probari solet ab alijs, quòd quãuis gratia ista pręueniẽs se sola in ratione principij supernaturalis non possit effectum in actu ponere; & ideò nequeat dici principium cõpletum sufficiens, poterit tamen dici sufficiens incõpletè: sed licet hic loquẽ **Aliorum ratio non multum placet Authori.**

di modus admitti possit, ego tamen abstinerem; quia gratia præueniens, quæ in illuminatione, & inspiratione operis boni consistit, non completur à gratia adiuuante, seu efficaci, nec istam complet; sed ad istam necessariò præmittitur, eo quòd auxiliatur potentijs vitalibus intellectui, eũ illuminando, vt cognoscat veritatem boni operis, & inspirando, seu inflammando voluntatem, vt ad illud volendum, seu diligendum disponatur; & hæc duo peragens, suum explet munus: & tunc, si voluntas exequitur volendo, seu diligendo, aut imperando, per adiuuantem, seu efficacem gratiam id exequitur; & si ista non adsit, non exequitur; & tamen præueniens opus, seu munus suum iam impleuit; & proindè nec ista, nec illa complentur ad inuicem: sed præueniens prærequiritur ad adiuuantem, & hæc necessariò illam supponit. Sed quidquid sit de modo isto loquendi, dummodò admittatur gratia ista contradistincta ab efficaci, & dicatur *sufficiens*, de quæstione nominis curandum non est, quia antiqui Scholastici, & Doctor ipse Gratiæ S. Augustinus hoc nomine vsi non sunt, sed gratias istas, nominibus *sine qua*, & *cum qua*, appellarunt; in re tamen eadem significant, ac sufficiens, atque efficax.

CAPVT XIX.

An infidelibus omnibus Deus gratiam sufficientem ad credendum largiatur.

Qui dicũtur infideles.

423. AD 1. quòd infidelium nomine veniũt multi: primò omnes Gentiles, tàm ante, quàm post aduentum Christi, qui nempè

idola

idola colebant, & colunt, Solem, Lunam, &c. 2. Atheistæ, qui Deum dari negant. 3. Mahometani, qui colunt quidem vnum Deum, non verò Trinitatem, neque Christum, quem Prophetam asserunt, non Deum; & Mahometem, vt Prophetam, & Legislatorem venerantur. 4. Iudæi, qui Deum credunt, non verò Trinitatem, neque Christum, & Legem diuinam profitentur, sed Mosaicam tantùm: & hi omnes anthonomasticè appellantur nunc infideles; quia non baptizati. 5. Infideles dicuntur Hæretici, qui baptizati in vnum Deum, & in Christum credunt, sed in aliquo, vel aliquibus fidei articulis errant. Hìc ergo de omnibus his loquimur, sed principaliter de primis quatuor generibus infidelium; & quærimus, an Deus eis largiatur gratiam sufficientem, & ad quę opera peragenda.

De omnibus est quęstio.

424. Adu. 2. quòd quamuis præfati infideles multa bona opera à lege naturæ dictata (vt mox dicam) facere possint, & faciant, vt dicit Apostolus Rom. 2. quia tamē ex eodem Hebr. 11. *sine fide impossibile est placere Deo*, opera illa, quæ faciunt, licet Deo non displiceant, quia lumine naturæ ab ipsomet Deo collato faciunt, et si absque defectu fiant, iuuent eos, sicut dicit S. Augustinus, ad minus in Inferno ardendum; tamen non placent Deo in ordine ad salutem, seu æternam vitam consequendam; quia non fiunt, nec diriguntur ex magisterio fidei, à qua sumit initium iustificatio, vt docet *Concil. Trid. sess. 6. cap. 6.* & propterea immorari non debemus in quærendo, an infideles habeant gratiam saltem sufficientem ad faciendum opera legis naturalis, quæ ex rationis dictamine, vel parentum, aut præceptorum doctrina faciunt, quia ad hæc peragenda non

Infideliū bona opera legis naturę, quomodò placeant & non placeant Deo

non videtur necessaria supernaturalis gratia : sed insistendum est in quærendo, an infideles isti, cuiuscumque Nationis sint, in quocumque tempore, & in quacumque mundi parte constituti, habuerint, & modò habeant gratiam sufficientem ad credendum, seu ad posse credere veritatem fidei, *sicut oportet*, idest modo ad salutem conferente.

Quare de sola gratia ad credendum fit quæstio

425. Adu. 3. & accuratè obseruandum duco, quòd cuilibet homini, vt fides docet, inditum est lumen naturale, quo, sine alio docente, ex se cognoscit bona moralia facienda, & mala pariter moralia fugienda. Nam *ex psal. 4.* habetur, ***Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?*** & quasi respondens, dicit. ***Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.*** Hæc est lex naturalis cuilibet homini à Deo in creatione animæ indita, quam quilibet in se experitur. Inter hęc autem bona, quæ lex naturæ dictat, hoc est vnum, quòd Deus detur, licet non dictet, quid, qualisue sit; sed quòd sit Numen aliquod supremum, quod dat nobis esse, nosque regit. ***Tanta enim est dicit S. Augustinus diuinitatis vis, vt nullum hominum latere possit.*** Hoc ergo modo naturali, ac simplici omnes homines cognoscunt, & credunt dari Deum, si Atheistas dementes excipias. Docti verò, vt Philosophi, clariùs, & maiori cum fundamento, à posteriori, seu ab effectibus, cognouerunt, & modò cognoscunt, atque credunt dari Deum, seu supremum quoddam numen authorem naturæ, seu omnium creaturarum, at non cognoscunt, neque credunt Deum esse authorem gloriæ, atque æternæ vitæ, quia hoc sine reuelatione, qua carent, haberi, seu sciri non potest. Tàm ergo Philosophi, quàm simplices homines fidem, seu credulitatem Dei habent naturalem,

Accuratè notandum

Lex naturę indita cordibus.

Dictat dari Deum authorem naturę.

ralem, & acquiſitam, non conducentem ad ſalutem, & iuſtificationem, & ideò actus credendi illorum, non ſunt, *ſicut oportet*; Quoniam ergo homines eleuati, & ordinati ſunt à Deo ad finem ſupernaturalem, vt ad eius conſecutionem diſponantur, neceſſaria eſt iuſtificatio; & hæc fieri non poſſit in habentibus vſum rationis, ſine actibus credendi, ſperandi, ac diligendi Deum, vt definit *Concil.Trid.ſeſſ.6.cap.6.* & actus iſti credendi, ſperandi, ac diligendi fieri non poſſint ſine Spiritus Sancti inſpiratione, atque adiutorio ex eodem *Concil.can.3.* iure quęrimus, an infideles habeant gratiam ſufficientem, qua poſſint hoc modo, qui dicitur, *ſicut oportet*, credere. Quid autem in eis efficiat hæc gratia, cùm ea non vtantur, dicam poſtea.

Non verò, vt authorē gloriæ, & vitæ ęternæ.

425. Adu.4. Ad Dei ſapientiam, bonitatem, iuſtitiam, ac prouidentiam pertinere, quòd ſi pręcipit homini aliqua opera ſupra vires proprias agenda, prouideat illis de requiſitis ad ea peragenda, *non enim*, vt ex S. Auguſtino docet Concil. Trident. *ſeſſ.6. cap. 11. Deus præcipit impoſſibilia, ſed iubendo monet facere, quod poſſis, petere quod non poſſis, & addiuuat, vt poſſis*: & ex Ioan. in epiſt. 1. cap. 5. *mandata eius grauia non ſunt*, & Saluator ipſe, ait *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Ideò ſi (quod abſit) Deus præciperet aliquid humanis viribus impoſſibile, & homo non exequeretur, non appareret, quomodò ob culpam eum puniret: dixi *ob culpam*, quia ex alio capite nempè ſupremi Dominij, poſſet eum, nedum mortificare, ſed annihilare. Si autem ſine auxilio aliquo ſupernaturali præciperet homini, vt ſupernaturale aliquod faceret, ſic prorſus ſe haberet, ac ſi cœco præciperet, vt videret, vel pedibus deſtitu-

Dei benignitati, ac iuſtitię competit præcipere homini poſſibilia.

ſtituto, vt ambularet; quæ indigna ſunt, vt Deo adſcribantur. Cùm ergo ab omnibus, etiam infidelibus, ſi ſaluari volunt, Deus exigat fidem, ſui dilectionem, atque ſpem conducentes ad ſalutem; negari poſſe non videtur, quòd auxilium ad poſſe hæc facere eis exhibeat. Non nego tamen, cum S. Auguſtino, quòd aliquibus in pœnam peccatorum aliquando denegat excæcando, & obdurando, anteà tamen eis dedit, ipſúque reſpuerunt, vt poſtea dicam; & in huius reſpuentię pœnam iuſtè deneget, excęcet, & obduret.

Plures ſententię: vna negat dari: & quare.

427. Adu. 5. quòd quidam Doctores, neſcio quo ſpiritu ducti, non curantes derogare Dei benignitati, ac iuſtitiæ commutatiuæ, atque vindicatiuæ in punitione malorum, negarunt, dari infidelibus gratiam ſufficientem ad poſſe credere ſupernaturaliter; immò, quod peius eſt, neque fidelibus eam dari concedunt; illamque tamquam fruſtraneam, nulliuſque vtilitatis negant; cuius contrarium in pręcedenti Capite oſtendimus. Quidam verò docent aliquibus, & multis infidelibus gratiam ſufficientem ad poſſe credere à Deo concedi, & ex illis etiam quampluribus efficacem, quia ad fidem veniunt; at non omnibus concedi ſufficientem. Sic autem ſe declarant. Infideles illi, ad quos non peruenit prædicatio veri Dei, vt authoris, nedum naturæ, ſed glorię, ſiue per prædicatorem, ſiue per immediatam Dei reuelationem, nullam habent gratiam ſufficientem ad poſſe credere; quia, dicunt, eſſe non poteſt in illis interna illuminatio, ac inſpiratio, in quibus conſiſtit gratia ſufficiens, per quam homo habet poſſe credere, & ſine qua non poteſt credere: illi verò, ad quos peruenit prædicatio veri Dei authoris, nedum naturæ, ſed glorię, habent gratiam ſuffi-

2. Sententia concedit dari aliquibus, non omnibus, & quare.

sufficientem ad posse credere, quia vt sæpè diximus cum S. Augustino, dum aliquis prædicat externè veritatem fidei; Deus internè in auditorum mentibus prædicat illuminando, ac inspirando. Quòd si respuunt, seu resistunt, ac reijciunt vtrãque predicationem, Deus tunc non prosequitur adiuuando, vt consentiant, credant, diligant, &c. Si autem non respuunt, Deus sine eorum meritis, dignatur eos adiuuare, vt consentiant, credant, diligant, pœniteant, &c. & sic respuere illuminationem, ac inspirationem à Deo immissas, est actus purè liberi arbitrij; consentire verò est actus liberi quidem arbitrij, sed adiuti à Deo per gratiam efficacem facientem facere. Alij tandem docent totum id, quod isti secundi, excepta prima parte, dicentes, quòd Deus omnibus omninò infidelibus dat gratiam sufficientem ad posse credere, siue ad eos loquatur prædicator, siue non, quia in istis Deus mouet mentem ad dubitandum de sua Religione, & illuminat, ac inspirat ad inquirendam veram, & si respuunt, ac reijciunt, eos non adiuuat; si non respuunt, Deo non deest modus, quo faciat inuenire locum, & personam in quo, & à qua instruantur.

428. Adu. 6. quòd eadem difficultas est de infidelibus omnibus post Christi aduentum, an habeant gratiam sufficientem ad credendum; seu ad posse credere in Christum: et tandem de Hęreticis, qui credunt in Christum, an ipsi etiam habeant gratiam sufficientem ad credendum, seu posse credere eos articulos, seu eas doctrinas, ac propositiones definitas ab Ecclesia, in quibus ipsi errant, per quos errores sunt ab Ecclesia præcisi: his suppositis

Eadem quæstio est de infidelibus post Christum.

Eadem de Hęreticis.

429. Dico primò. Pro omni lege omnibus infidelibus omnis generis Deus largitus est, ac largitur gratiam sufficientem ad posse in eum credere, *sicut oportet*, & ad posse legem Dei saluantem, seu conducentem ad salutem obseruare; licet non fecerint.

Omnibus infidelibus datur gratia sufficiens.

430. Prob. & declaratur per singulas partes. In *Psal.4.* dicitur. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Et quasi respondens ait. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine; dedisti lætitiam in corde meo.* Omnes Sacræ Scripturæ interpretes locum istum intelligunt de lege naturę, quam Deus animę cuiuscumque hominis infundit, quatenus est Dei imago; per quam legem quilibet ex se cognoscit, quę opera sint facienda, & quę non. S.August. in hunc Psalmum dicit, *Signatum est in nobis*, &c. *Hoc lumen est totum hominis, & verum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur: signatum autem in nobis dixit, tamquam denarius signatur Regis imagine*: Et post aliqua. *Sic anima lumine vultus Dei est illustrata, atque signata.* Theodoretus in eumdem psalmum dicit, quòd homines graui corde, ac diffidentes de diuina prouidentia dicunt: *Quis ostendet nobis bona? Nos verò, qui tuæ diuinę scientiæ lumen accepimus, radijsque à te illustrati sumus, etiam in his calamitatibus, quæ contra nos insurgunt, ex animo magnam spem in te collocamus.* Gentiles autem habent, sicut alij homines in anima imaginem Dei, & consequenter lumen cognoscendi dari Deum, & cognoscendi, quæ sint bona opera facienda, & quę mala, ac fugienda; immò, vt postea dicemus, multa bona faciunt: ergo habent gratiam sufficientem ad cognoscendum, & faciēdum bona; quia quamuis cognitio ista Dei, & bono-

Lex naturæ omnibus data.

In S.Scriptura.

bonorum operum faciendorum esset naturalis: tamen, vt mox dicam, ex S. Augustino, animis eorum occurrebat, vt veritatem Dei, & perfectionem eius inquirerent; quod respuerunt facere, & multi non fecerunt, sicut in hominibus fidelibus etiam accidit multoties.

431. Confirmatur ex Ro.1.19. vbi Apostolus de Græcis, idest, Philosophis, ac Barbaris dicit, eos habere aliquam cognitionem Dei, & legis diuinæ, inquiens. *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles, quia, cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, & commutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum*, &c. narrans idolorum species, quas Gentiles adorabant, & mala enormia, quæ patrabant.

Ex Apostolo.

Infideles quomodò habēt Dei notitiam.

432. S. Augustinus expendens locum istum Pauli in lib. de spir. & lit. ad Marcellinum c. 12. ait. *Vide, quemadmodum non eos dixerit veritatis ignoras, sed quod veritatem in iniquitate detinerent: quia occurrebat animo, vt quærerent, vndè illis esse potuerit cognitio veritatis, quibus Deus legem non dederat; neque hoc tacuit vndè habere potuerunt. Per uisibilia namque creaturæ peruenisse eos dixit ad intelligentiam inuisibilium creatoris: quoniam reuera, sicut magna ingenia quærere præstiterunt, sic inuenire potuerunt. Vbi ergo impietas? quia videlicet, cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationi-*

Quomodo gentiles possūnt habere Dei notitiam.

tionibus suis, &c. & infrà. *In lumine tuo videbimus lumen, ab ipso lumine incommutabilis veritatis auersi sunt, & obscuratum est insipiens cor eorum. Non enim sapiens cor, quamuis cognouissent Deum; sed insipiens potiùs, quia non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.*

433. Idem dicit S. Doctor de omnibus Philosophis *in lib. 8. de Ciuit. c. 9. quod Deum ex visibilibus hisce cognouerint*, & subdit, *Quicumque igitur Philosophi de Deo summo, & vero ista senserunt, quod & rerum creatarum sit effector, & lumen cognoscendarum, & bonum agendarum, quod ab illo nobis sit principium naturę, veritas doctrinæ, & fælicitas vitæ, siuè Platonici accomodatiùs nuncupentur, siuè quodlibet aliud sectæ nomen imponat, &c. ista senserunt, sicut idem Plato, & qui eum benè intellexerunt*: & numerat omnes Philosophorum sectas, quæ Deum ita cognouerunt, & concludit, *eos omnes exteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur*: ergo fuit in Gentibus gratia sufficiens ad cognoscendū Deum, & bona opera.

434. Confirmatur ex Ioan. 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. At infideles veniunt in hunc mundum: ergo. Scio quòd S. August. *in Enchir. c. 103. in lib. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 25.* & in *soliloqu. animæ ad Deum c. 1. 17. & 34.* locum istum declarat, sicut illum Pauli ad Timot. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, dicens intelligi non de singulis generum, sed tantùm de singulis generibus, quia scilicet de omni natione, & conditione hominum aliquos vult saluare, & saluat quos vult, sicut alibi diximus: ita in præfatis locis intelligit, quòd Deus illuminat omnem hominem, addens, intelligi, nullum esse illuminatum, nisi à Deo illu-

Ex Euangelio argum.

illuminetur; & hoc etiam modo explicat Glosa interlinearis locum illum Ioannis. Sed salua pace eorum, qui S. August. pro hac re in hoc loco adducunt, existimo, quòd S. Augustinus semper vniformiter loquens intelligi debeat, nimirum de efficaciter illuminatis, scilicet illuminatis, & per illuminationem conuersis; non verò de illuminatis resistentibus illuminationi, eamq; nolentibus, ac reijcientibus; sicut obiecit Iudæis Christus, & Stephanus; *quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* dicit ad Ierusalem Christus. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*, dicit ad Sinagogam Stephanus. De his illuminationibus excitatiuis tantùm, non verò de conuersiuis, vt ita dicam, nos loquimur, & dicimus omnes, & singulos homines infideles aliquo modo à Deo illuminari ad conuersionem; non verò omnes illuminatos conuerti. De illis autem non loquitur S.Augustinus, qui in ijs locis de efficaci gratia conuertente, & faciente facere opus loquitur; & raro, aliquando tamen, vt supra patuit, de illuminatione, seu vocatione non conuertente, pro qua dicit recurrendum ad inscrutabile Dei iudicium. Non ergo hæc sententia, quòd Deus illuminet omnes infideles, licet non omnes conuertantur, est contraria S.Augustini doctrinæ, cùm facilè præfato modo isti concilietur, & saluetur Dei benignitas, quam ab ipsomet S.Augustino saluari mox dicam.

S. August. non bene ab aliquibus explicatur.

Quomodo explicãdus ad rem.

S. Ioann. Chrisostomus *homil. 7. in Ioan.* inquit, quòd Christus, quantum in se est, illuminat omnem hominem: quòd si aliqui non illuminantur, est quia oculos auertunt. Idem dicit S. Cirill. Alex. *lib. 1. in Ioan. cap. 11.* idem quoque Cle-

Ex Chrisostomo.

Clemens Alexand.*in oratione exhortatoria ad omnes gentes*; & S.Ambr. *ser.* 8. *in psal.*118. super illud, *misericordia Domini plena est terra*.

Qualis est gratia sufficiés, quã admittit author.

435. Hæc autem Scripturę, & Patrum loca, & sequentia, non sunt ita intelligenda, quasi gratia illa illuminans, ac inspirans sit eo modo sufficiens, vt, si illi quibus datur velint, euadat efficax, quia sic incideremus in sententiam S. Augustino quo ad me contrariam, quòd scilicet homo in se possit gloriari; quia ipsemet, non Deus, facit eum iustum, & bonum; sed postea dicemus, quòd illis, qui per sufficientem illuminantur, Deus non dat adiuuantem, quia, vt dicit Christus, nolunt illam illuminationem, ac inspirationem, non sibi complacent in ea, sed eis displicet; & Stephanus dicit, *resistunt*, & sic certè faciebant Iudæi, cum lapidaturi; cùm enim eos grauiter repræhenderet, & Christum prædicaret, *exclamantes voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt in eum, &c.* neque audire volebant, Stephanum quidem foris, Deum verò intus loquentem.

Alia Sacr. Scripturę loca ad idem.

436. Prob. vlteriùs alijs Scripturæ locis. Isaiæ 65. Dominus dicit, *expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Quo testimonio vtitur Paulus Rom.10.& cap.67. idem Propheta ait, *inuentus sum à non querentibus me.* Prouerb.1.dicitur *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua, conuertimini ad correctionem meam; en proferam vobis spiritum meum. Vocaui, & renuistis &c.* Alia plura similia Scripturæ suppetunt loca, in quibus habetur, quòd Deus hortatur omnes ad credendum, pœnitendum, diligendum, malum fugien-

fugiendum, &c.& tamen homines reijciunt hortationes.

437. S.Auguſtinus pluribus in locis, tàm antè ortam Pelagij ſententiam, quàm poſt eam, etiam damnatam, videtur docere, quòd omnibus omninò hominibus Deus gratiam iſtam ſufficientem concedat: primò in pſal. 13. ſuper illud, *Deus in medio eius non commouebitur*, ait. *Quid ergo eſt Deus in medio eius? hoc ſignificat, quod Deus æquus eſt omnibus, & perſonas non accipit: quomodò enim illud, quod in medio eſt, paria habet ſpatia ad omnes fines, ita Deus medius eſſe dicitur, equaliter omnibus conſulens.*: & in pſal. 24. ſuper illud, *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas*, inquit. *Videtur hoc ſignificare Spiritus Sanctus; omnibus hominibus primum à Deo exhiberi miſericordiam; deinde ſi ea non vtantur exhiberi iudicium*: omnes ergo participãt de miſericordia Dei.

S. Auguſt. iſtam gratiam admittit.

438. *In lib. 3. de lib. arbi. c.*18. hoc idem docere videtur. Si enim homo nullum haberet adiutorium, per quod peccare non poſſet, non peccaret: ſic autẽ dicit. *Quæcumq; cauſa iſta eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur: ſi autẽ poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? ergo caueat, ne fallatur. In tanta fallacia eſt, vt caueri omninò non poſſit: ſi ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modò caueri poteſt? peccatur autem, ergo caueri poteſt.* Igitur, ſi infideles nullum haberent lumen veritatis fidei, & eorum, quæ à fide dictantur, non peccarent contra fidem. Admittenda ergo eſt in eis gratia hæc ſufficiens ad poſſe credere: quomodò autem poſſit eis contingere, dicam poſtea. Idem, ijſdemque verbis confirmat *in lib. de nat. & grat. c.*67. vbi tamen addit, quòd cum ignorantia pęna peccati, poteſt

Plura Auguſtini loca.

ali-

aliquando peccari: sed de hoc aliàs, quia de culpabili loquitur, vt mox dicam.

Misericordia Dei in omnes ex Augustino.

439. In eodem tamen *cap. 6. de nat. & grat.* ad omnium consolationem, Dei in omnes benignitatem commendat contra eos, qui de Deo conqueruntur, quòd ignorantes puniat, &c. inquiens. *Quiescant, & aduersus Deum murmurare desistant. Cum verò vbique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino seruientem auersum vocet, doceat credentē, consoletur sperantem, diligentē adhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantē, non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, sed quod volentem sanare contemnis.* Igitur ex S. August. si infideles omnimodè ignorarent modum, seu viam habendi notitiam fidei, non imputarentur eis in culpam infidelitas, aliaque peccata per solam fidem nota. Et hoc certè voluit Apostolus dicere Rom. 10. *Non est distinctio Iudæi, & Græci: omnis, qui inuocauerit nomen Domini saluus erit: quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante? &c.* Aliqua ergo notitia fidei est necessaria infidelibus, vt habeant posse credere, eisque imputetur, si reijciunt vocationem, vel ei resistunt: Saluator enim dicit. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* S. Augustinus *tract. 6.* in epist Ioan. dicit, quòd Iudæi non haberent peccatum incredulitatis in Christum, si ipse Christus eis non manifestaret se esse Christum, seu Messiam, quem non crediderunt, sed contempserunt. Est ergo infidelibus aliqua notitia veræ fidei necessaria, siue certa, siue probabilis saltem, vt culpabiles sint, si reijciunt, vel resistunt

Ignorantia inuincibilis excusat.

sistunt illam vocamus *sufficientem* gratiam.

440. S.Prosper, fidelissimus S.Augustini Discipulus, multis in locis, hanc gratiam sufficientem ad posse credere in infidelibus etiam concedit. Nam in *lib.1. de vocat. Gentium cap.* 21. dicit. *Quamuis credamus, nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam; de quo plenius in sequentibus differemus*: in lib.2. cap.1. de Gentibus sic ait. *Quibus tamen mensura generalis auxilij, quæ desuper omnibus hominibus est præbita, non negatur*: ibidem c. 23. loquens de paruulis, & maioribus, priores sine baptismo morientibus à gratia excludit; sed posteriores omnes sub ea concludit, dicens; *Non enim religiosè arbitror credi, nec inconuenienter intelligi, quod isti* (paruuli) *paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa hominibus, qua neque si benè eorum vterentur parentes, etiam ipsi per eosdem iuuarentur*. Et infra subdit. *Sicut autem circa maiores, præter illam generalem gratiam parcius, atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocationis specialis excitetur*, &c. Ecce quòd in prioribus locis de generali gratia, quæ alia nequit esse, nisi *sufficiens*, in hoc posteriori loco, de generali, quam omnibus hominibus adultis, & de speciali, idest de efficaci, quę aliquibus datur, mentionem facit. Tandem in *cap.*25. eiusdem secundi libri, clariùs, ac manifestiùs docet, quòd omnibus cuiuscumque status hominibus ab initio mundi Deus suam contulit gratiam, inquiens. *Siue igitur nouissima contemplentur sæcula, siue prima, siue media, rationabiliter, & piè creditur, omnes homines saluos fieri Deum velle, semperque voluisse: & hoc non aliundè mon-*

S.Prosperi sententia eadem.

Gratia sufficiens omnibus communis ex S.Prosp.

stratur, quam de illis beneficijs, eaque Prouidentia Dei, quam vniuersis generationibus communiter, atque indifferenter impendit. Fuerunt enim, ac sunt huiusmodi dona ita generalia, vt per ipsorum testimonia ad Deum quærendum possint homines adiuuari, quibus donis authorem suum per omnia sæcula protestantibus, specialis gratiæ largitas superfusa est. In *cap.* postea 26. loquens de opitulatione gratiæ, quomodo à Deo concedatur, ait: *quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia, quod autem à multis sustinetur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.* Ergo infideles etiam obtinent à Deo gratiam quærendi illum: quòd verò aliqui, & multi non quærant modum inueniendi, accidit, quia implicati, & addicti suis falsarum Religionum ritibus, respuunt monitiones, seu illuminationes sibi inditas ad quærendum.

Ab initio mundi omnibus collata, & nūc confertur.

441. Ad Augustinum redeo, qui de gratia infidelibus etiam collata loquitur in *lib. de spirit. & lit. ad Marcell. cap.* 33. vbi habet. *Vult autem Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè vtentes iustissimè iudicentur. Quod cum sit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Euangelio non credunt; nec ideò tamen eum vincunt; verum seipsos fraudant magno, summoque bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in supplicijs potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserant.* Duo hìc docet Augustinus; & quòd Deus etiam infideles vult aliquo modo saluos fieri; & quòd eis misericordiam in donis elargitur; quæ tamen ipsi contemnunt. Cùm ergo misericordia, & dona

Iterum cū Augustin. probatur, quòd omnes habēt gratiam sufficientē.

na iſta (quæ aliud non ſunt, quàm dona gratię) non ſint efficacia, ſunt *ſufficientia*.

442. Idem S. Doctor ibidem *cap.* 34. poſtquam docuit, quòd diuerſis modis vocat homines, vt credant, & intrinſecè, ac extrinſecè ſuaſionibus aliorum, vel intrinſecè tantùm faciens venire in mentem id, quod homo non habet in poteſtate ſua, inquit. *Neque enim credere quis poteſt quolibet arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat; profectò, & ipſum velle credere Deus operatur in homine; conſentire autem, vel diſſentire à vocatione Dei, vt dixi, propriæ voluntatis eſt*: Et poſt aliqua ſubdit. *Iam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ſuadeatur, vt perſuadeatur; illi autem non ita: duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat. O altitudo diuitiarum, & numquid iniquitas apud Deum? cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caueat, ne inueniat præſumptiores.* Habemus ergò per Auguſtinum, & quòd Deus omnes infideles, varijs modis vocet, ac ſuadeat: & quòd ſine vocatione, ac ſuaſione credere nemo poteſt. 2. quòd actus credendi eſt à Deo cum voluntate. 3. quòd conſentire, aut diſſentire vocationi, eſt voluntatis. 4. ad rem noſtram, quòd aliqua vocatio, & ſuaſio perſuadeat; alia non. Tandem vndè hoc oriatur, Auguſtinus dicit, ſe neſcire; ſcire autem, quòd in Deo non ſit iniquitas: igitur firma manet cum Auguſtino concluſio, quòd infideles varijs modis vocantur; aliqui tamen ſequuntur vocantem; ecce gratia efficax: alij non; ecce ſufficiens, vocatio nempè, cui reſiſtitur.

Aperte docet Auguſt. gratiam, cui homo diſſentit.

Verum omnibus detur gratia faciens cõſentire, Aug. dicit ſe neſcire.

443. Prob. tandem. Si aliquid obſtaret, quin concederetur, gratiam ſufficientem dari omnibus infidelibus, eſſet quia non ad omnes peruenit

nit prædicatio fidei; nam vt docet Apostolus, *Rom. 10. quomodò credent sine prædicante?* Sed hoc non obstat; ergo. Min. prob. sic: Vel loquimur de infidelibus, ac Gentilibus ante aduentum Christi, vel de illis post Christum. Si de primis, esto in Sacra Scriptura non habeamus omnia, quæ acciderunt in toto mundo pro toto illo tempore ante Saluatoris aduentum; habemus tamen primò, quòd pro tempore legis naturæ antequam inceperit Idolatria, (quæ vt aliàs dixi) incœpit tempore Nini circa annum mundi ex Saliano bis millesimum; illo inquam tempore fuerunt traditiones Patrum, quia Adam, qui vixit annis 930. tradidit filijs mandata diuina circa fidem, charitatem; & spem in Deum, necnon remedium contra originale peccatum pro paruulis, & remedium contra actuale proprium, contritionem scilicet, etc. quia sine his saluari non poterant, & tamen legimus aliquos saluatos, vt Adamum, Abelum, Enoch, Noe, &c. Item tradidit ritum sacrificiorum, quæ Deo placebant, vt legimus de Abele, & Enos, *qui cœpit inuocare nomen Domini*, idest publicè laudare, ac sacrificare, vt dicunt Sacræ Scripturæ interpretes; de Noe, qui vt dicitur Gen. 6. *fuit vir iustus, atque perfectus*, hic autem non solùm statim post diluuium sacrificia multa fecit in gratiarum actionem, *& odoratus est Dominus odorem suauitatis*, sacrificiorum, *Gen. 8.* sed dum fabricaret arcam, per tempus centum annorum prædicauit populis penitentiam, dicens, Deum contra eos esse iratum, *quia cuncta cogitatio hominis prona erat ad malum omni tempore*, & deleturus erat omnem hominem, nisi peniterent; & saluandi erant illi tantùm, qui forent in arca illa, quam componebat. Post diluuium verò

Difficultas vrgens eliditur.

Quomodo in lege naturę adfuit notitia Dei & bonorū operum.

Patres tradiderunt filijs.

Adam filijs

quia vixit annis 350. & post eum filij, probabilissimum, immò certum teneri debet, quòd docuerint filios suos; & per illas nouem generationes vsque ad Thare Patrem Abrahæ; successores eorum docuerint filios suos ea, quæ ad Deum colendum pro illo tempore spectabant. Post Thare verò tempora; quamuis Deus speciali vocatione in Abrahamo,& successione sua populum sibi elegerit, eosque specialibus donis, ac priuilegijs vsque ad Moisem, idest per annos supra quingentos,& postea per Legem Moisi in monte Sinai datam vsque ad Christum,protexerit, atque docuerit, *Iis enim eloquia Dei fuerunt credita,ex Apostolo Rom.*3:2. tamen in Oriente, & in toto mundo grassabatur Idolatria: immò ex libro Iosue *cap.* 24. 3. ipsemet Nachor, frater Abrahæ, Bathuel Filius, Nachor, & Laban nepos, in Mesopotamia seruierunt Dijs alienis; nec propterea credendum est, quòd defuerint viri pietatis, & fideles, qui traditiones veræ Religionis habuerint, eosque & alios docuerint. legimus enim *Gen.* 14. 18. quòd eo Abrahæ tempore in Salem, quæ postea dicta est Ierusalem aderat Melchisedech, qui erat loci illius *Rex, & Sacerdos Dei Altissimi*, qui sacrificium obtulit in gratiarum actionem pro victoria Abrahę; ideòque oportuit, quòd in ea Regione adessent homines Deum timentes non Hæbrei. *Gen.* 20. in Ciuitate Geraris, quæ erat Gentilium Philistijm, aderant timentes Deum, nam Abraham dixit ad Regem Abimelech (qui suam abstulerat vxorem, quam dixerat esse sororem, eamque restituit à Deo monitus) *cogitaui mecum dicens. Forsitan non est timor Dei in loco isto*; aderat igitur. Immò Deus in somno locutus est cum Abimelech monens, vt redderet Saram viro suo Abra-

Noe filijs, & deinceps

Abraham Hebreis.

Moises cũ Lege Iosue

Gentiles etiam aliquam Dei cognitionẽ habuerunt

Ex facto Melchisedech.

Ex facto Abrahę cum Abimelech

Abrahæ, subdens, *scio, quod in simplici corde feceris, & ideò custodiui te, ne peccares in me, & non dimisi, vt tangeres eam. Nunc ergo redde viro suo, quia Propheta est, & orabit pro te.* Si in ijs Regionibus Gentilium in lege naturæ aderant timentes Deum, & Sacerdotes; signū est, quòd aderant Doctores, qui Dei mandata docerent. Legimus, quòd in Idumęa Gentilium, in terra Hus tempore Moisi fuit Sanctus Iob: adfuerunt tres illi consolatores, qui licet illum exasperarint, tamen de Religione, ac pietate erga Deum præstanda, de iustitia, patientia, ac misericordia Dei loquebantur, & afflictum hominem de impatientia, & blasphemia (licet indiscretè) illum arguebant. Aderat ergo inter Gentiles cognitio Dei, & Religionis, ac pietatis in eum exercendæ; & sic tenendum, quòd in alijs etiam Gentilium Regionibus diffusa fuerit Dei misericordia, prouidens de viris probis ad illuminandum omnes ad fidem, & pœnitentiam, licet non omnes crediderint, nec omnes pœnituerint.

De Iob, & alijs.

444. De Ægiptijs autem loquendo; existimandum est sufficienter fuisse monitos de veritate fidei, primò per Abraham, quando sublata in Pharaonis domum eius vxore, quia dixerat esse suam sororem, **Gen. 12. 17.** ***Deus flagellauit Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abraham.*** Quidam Interpretes, vt Lyranus, etc. dicunt plagas istas fuisse, quia tàm Pharaoni, quàm alijs domesticis impediuit potentiam coeundi, præter alia mala. Cùm autem restituit Abrahę vxorem intactam, & conquestus est cum Abraham, quòd eum deceperat, dicens esse sororem, cessarunt plagæ: ex hoc miraculo scire potuit Ægiptus, quòd Deus Abrahæ, qui duplex

Per Abraham Ægiptum docuit.

plex illud miraculum patrauit, erat verus Deus: at nihil de hoc curauit, sed dimisit Abraham, vt regrederetur. Sibi imputet, si veri Dei facientis miracula notitiam ab Abrahamo non quęsiuit. 2. per Iosephum quadrigentis circiter annis ante Moisem; ait enim de eo Dauid Psal. 104. quòd cùm Ioseph per calumniam esset in vinculis, *Eloquium Domini inflammauit eum* (idest Iosephum in Ægipto) *misit Rex, & soluit eum; constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ. Vt erudiret Principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* Quam aliam prudentiam docere poterat, nisi religiosam, quam ipse callebat? item per prędictiones pęnurię, & vbertatis 7. annorum: post nouem annos principatus Ioseph in Ægipto accessit Iacob cum 70. suis filijs, nuribus, ac nepotibus, & post annos 17. mortuus est: vixit Ioseph ad annum 110 multiplicati sunt Hębrei cum vera Religione, & licet aliqui in Idolatriam lapsi sint ex *Iosue* 24. multitudo tamen in vera fide mansit. Potuerunt ergo Ægiptij ab Hębreis in ea erudiri; & sic non defuit monitio, & illuminatio. 3. per Moisem, & Aaron moniti sunt. Hi enim Dei nomine intimarunt Pharaoni dicto *Cencres*, quòd Populum suum dimitteret, vt sacrificaret ei in deserto, *Exodi* 5. 2. *Hæc dicit Dominus, dimitte populum meũ, vt sacrificet mihi in deserto. At ille respondit; Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Et videns tot miracula, neque credidit, putans esse apparentia maleficia: ideò curabat per maleficos suos *Iamnem, & Mambrem* ex 2. *Timot.* 3. 14 arte Magica fieri similia, & vidit virgam Moisi deuorasse virgam maleficorum; idest, fecit eam euane-

Dein lè per Ioseph

Ex vita, & factis Ioseph.

Ex Religione Hębreorum.

euanescere; neque credidit. Vidit Nilum versum in sanguinem, sicque per septem dies mansisse; neque credidit, Vidit totam Ægiptum ranis obrutam: præcatur Moisem, & Aaron, *orate Dominum, vt auferat ranas à me, & populo meo*. Orauerunt & ablatæ sunt ranæ; neque tamen credidit. Venerunt Cinifes, quæ vexabant Pharaonem, & omnes populos: imperauit Pharao maleficis Iamni, & Mambre, vt per consuetas Magicas incantationes facerēt comparere Cinifes. Tentarunt isti, & facere nō potuerunt, immò dixerunt, *digitus Dei est hic*; neque propterea credidit ipse, aut populus. Quid vltra! decem pessimas plagas per annum integrum Pharao, & serui eius cum omnibus populis experti sunt, & non crediderunt: hæc miracula, cum submersione Pharaonis, & totius exercitus in mari rubro, transitus populi per siccum maris rubri, & postea per Iordanem, aliaque miracula, quæ per annos 40. acciderunt populo in deserto, Victoriæ eiusdem populi contra Amalecitas, Moabitas, Ammonitas, & Cananeos, oppressio 31. Regum Amorrhæorum, seu Cananeorum facta per Iosue, & gloriosa eorum Ciuitatum possessio, & cætera, quæ acciderunt stupenda in Hæbreorum fauorem portenta, diuulgata fuere, & adhuc durat eorum memoria, nedum per totam Ægiptum, sed per totam Asiam, Africam, & Europam: his ergo signis Deus monuit Gentes omnes, vt eum inquirerent, & ab Hebręis quærerent, quis ipse esset, & quo ritu colendus. Hæc vtique sufficiens gratia fuit. At omnes gentes, & neglexerunt inquirere, & non curarunt, & restiterunt Deo illos illuminanti, ac inspiranti: hac enim phrasi vtitur Paulus 2. *Timoth.3. 9.* loquens de maleficis Pharaonis, & alijs infidelibus, qui

Deus postea per miracula Moisi docuit Ægiptum.

Per alia portenta Deus docuit Gentiles.

Per ea signa Deus monuit omnes Gentes vt eum inquirerent.

qui Dei illuminationes respuunt. *Quemadmodum Iamnes, & Mambres restiterunt Moisi, ita & hi resistunt veritati; homines corrupti mente, reprobi circa fidem*, &c. Omnibus ijs Nationibus data est gratia sufficiens ad inquirendam veritatem Religionis: at insipientia, & obstinata earum corda illam despexerunt, eique restiterunt. Sed restiterunt.

445. In sequentibus postea temporibus magis distinctam habemus notitiam de eiusmodi Dei in infideles etiam misericordia, ac sufficienti gratia Gentibus, ac infidelibus, ipsisque Hæbreis Apostatis impertita, cùm scilicet per Prophetas expressiùs eis Deus est allocutus. Nam in Niniuem Regiam Imperij Assiriorum Ciuitatem tempore Imperatoris Sardanapali ex Saliano anno mundi 3216. misit Ionam ad prædicandum; & hæc prædicatio per totum Imperium diuulgata fuit. Ad Ieroboam, ac decem Tribus Hæbreorum Apostatas, ex eodem tempore vsque ad desolationem Samariæ per Taglaphalasar, & transmigrationem earumdem in Niniuem, totúque Orientem per Salmanasar Deus misit multos Prophetas, Eliam, Eliseum, Micheam, &c. Ad Reges Iuda, & Ierusalem, cùm Idolis seruirent, misit alios, Isaiam, Ieremiam, &c. Ad Reges Babiloniæ, & Caldeorum, Medorum, & Persarum, Nabucdonosorem, Balthasarem, Darium, & Cirum sibi succedentes, misit Danielem, qui miracula plura coram eis patrauit: & tamen gratiam Dei neglexerunt, eique restiterunt. De Occidentalibus verò Regionibus notitiam non habemus, quibus modis, scilicet Deus eas monuerit, vocauerit, ac eis suaserit: existimandum tamen est, eas quoque Deum vocasse, ac monuisse; *cùm acceptor personarum non sit*; omnesque homi-

Post tempora Moisis, quomodò Deus monuit Gentes.

Ad Reges misit Prophetas.

 nes,

nes, *opera manuum suarum sint*; & ex vniuersali Pauli regula inferiùs adducenda habemus, omnibus gentibus Deum sui notitiam dedisse; sed non omnes eum glorificasse; & hæc de hominibus, etiam infidelibus ante Christi aduentum.

Infideles post Christi aduentum moniti,& vocati sunt omnes

446. De infidelibus autem post Christi aduentum, clarè patet, quòd omnibus gratia sufficiens fuerit concessa, quamuis maxima illorum pars eam neglexerit, atque reiecerit, vt de Iudęis asserit Paulus Act.13. *Vobis oportebat primum loqui verbum Domini; sed quoniam repellitis illud,& indignos vos iudicatis æternę vitæ, ecce conuertimur ad Gentes*. Omnibus autem Gentilibus, siue per Apostolos in principalibus mundi partibus; siue per eorum discipulos, ac successores; siue per alios Missionarios progressu temporis, (vt nos in tomo *de fide parte secunda* historicè ostendimus) in omnibus Prouincijs totius orbis cogniti, prædicata fuit vera fides, vt cum veritate dici possit, *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Ac propterea cùm iuxta Augustini doctrinam, externè prędicante aliquo veram doctrinam, Deus internè loquatur illuminando, ac inspirando; sequitur, quòd omnes infideles gratiam sufficientem habuerint,hodièque habeant ad credendum, diligendumque Deum, ac pęnitendum. In posteris siquidem earum Nationum, quibus fuit prædicata fides, adhuc remanet memoria, quòd fuerit in eis prædicata, & quotidiè in eis reuiuiscit; quia finitimæ sunt Ciuitatibus, in quibus viget vera fides; & in eorum confusionem, puto Deum prouidisse, vt in omnibus mundi partibus propè Ciuitates, vel Prouincias infidelium, adsint Ciuitates fidelium, & propè Ciuitates Hæreticorum, aut Schismaticorum,

Quomodò vocati.

corum, adſint Ciuitates Catholicorum; vt illi,ac iſti Synderefim continuò patiantur, quòd detur alia Religio melior propria, vt inquirant, ſi ita eſt; ipſi autem negligant facere, & reijciant, atque opprimant cogitationes, ac impulſus ad hoc ſtimulantes: habent ergo ſufficientem gratiam, quam reijciunt; & myriades martirum id teſtantur.

447. Vna tantùm, vel altera poſſet obijci difficultas. Prima, quòd non ſtatim in omnem Prouinciam, aut Ciuitatem fuit prædicatum Euãgelium, & adhuc adeſt aliqua mundi pars, puta Terra dicta *incognita* à Coſmographis, in qua non fuit prædicatum Euangelium: & habitatores aliarum, in quibus fuit prædicatum, obliti ſunt: vel ruſtici ſaltim, ac idiotæ illud non audierunt; & ſic non omnes habent ſufficientem gratiam ad credendum, ac pænitendum, & Dei legem obſeruandam.

Difficultas contra prę dicta inſurgens.

Sed ad eiuſmodi difficultatem per duas Apoſtoli fundamentales regulas reſpondetur. Prima habetur Rom. 1. 18. *Reuelatur ira de Cælo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim illius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, itaut ſint inexcuſabiles; quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt*, &c. ſed ad vana, & corruptibilia ſe conuerterunt, ad Idola, & alia indigna, quę narrat ibi Paulus.

At refellitur per duas regulas Pauli Apoſtoli.

448. Altera Pauli regula habetur Rom. 2. 12. *Gentes, quæ legem non habent, Ipſi ſibi ſunt lex;*

quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum iudicabit Dominus occulta hominum.

449. Ex duabus his regulis habetur, quòd nulli hominum occultum est dari Deum: nullique occultam esse naturalem legem, ob cuius inobseruantiam homines damnari possunt, etiamsi eis non prædicaretur Deus. Prima enim regula sic declaratur à Glos. ord. nam verbo *reuelatur*, dicit; *vel Euangelio de Cœlo, quod accusat eos, quia indicauit eis Creatorem, vel Saluatorem, ex ipsa enim cæli fabrica iratus illis Deus ostenditur, quia ideo tàm pulcra astra condidit, vt ex eis quantus, & admirabilis eorum creator sit, possit agnosci, & adorari*. V. *eorum qui veritatem*, Glos. dicit. *Cur eis ira de impietate, cum non cognouerint Deum?* Respondet. *Poterant quidem cognoscere, sed sibi tollunt, malentes morari iniustè in sua voluptate*. V. *iustitia* multa dicit; sed præ alijs ex Augustino ait: *Totum considerasti Dei ordinem, & non vis attendere, quod mundus est opus Dei, Idolum opus fabri. Si Faber Idolo, sicut dedit figuram, daret cor, ab ipso Idolo Faber adoraretur: quis ergo Deus tuus, nonne qui te fecit?* V. *notum est Dei*. Ex Gregorio dicit. *En, quod ex mundi huius dispositione, & naturali ordine assequi possumus: ignotum verò Dei, quod omnem latet creaturam, vt ratio substantiæ eius, vel naturæ, & mysterium humanæ liberationis*. V. *manifestum est in illis*: Ex Augustino dicit. *Quia non solùm ratio naturalis ad hoc profuit, sed & Deus quotidiè adiuuat, ne sola natura sufficere videretur*. V. *inuisibilia*, ex Haimone, dicit, *ostendit, quid de Deo scire potuerit. Pluraliter dicit, quia pluribus modis*

Ex his infertur omnibus notū esse dari Deum; & omnibus insitam legem naturę.

Glosæ interpretatio

modis cognoscitur; scilicet, quod æternus, omnipotens, & huiusmodi; & alia plura dicit Glosa.

450. De altera Pauli regula. *Gentes, quæ legem non habent*, &c. Interl. quæ est Origenis, dicit. *Naturali ratione illuminati discernunt facienda, & vitanda, quod faceret lex*. Glos.ord. dicit. *Cum enim dixisset, Gentilem damnari, si malè operaretur; saluari si benè. Sed cum legem non habeat, quasi nesciat, quid sit bonum, quidue malum, videretur sibi neutrum debere imputari. Contra Apostolus, etsi non habeat legem scriptam, habet tamen naturalem; quia intelligit, & sibi conscius est, quid sit bonum, & quid sit malum. Benè operari dico, & saluari, quod non fit, nisi per gratiam, & fidem, quæ renouat naturalem imaginem Dei in homine ex vitio, & vetustate sopitam, sine qua renouatione malè operaretur, et damnatur accusante eum cõscientia. Non enim vsq; adeò in humana anima imago Dei terrenorũ affectuũ labe detrita est, vt nulla in ea lineamenta remanserint. Non omninò deletum est, quod ibi per imaginem Dei cùm crearetur deletũ est. Proinde vitio sanato per gratiam, naturaliter fiunt, quæ legis sunt. Non quòd per naturæ nomẽ negata sit gratia, sed potiùs per gratiam renouata natura, qua gratia interiori homine renouato, lex iustitiæ rescribitur, quam deleuerat culpa*: & V. *opus legis*, dicit, *est fides, quam vltrò habent in cordibus, Idest intimo affectu, vbi fides per dilectionem operatur*. Totum hoc Glosa concedit Gentibus non habentibus Legem scriptam in carta, sed legẽ naturalem in cordibus eorum scriptam: ergo habẽt sufficientẽ gratiam ad cognoscenda bona agenda, & mala vitanda, & ad Deum colendum, atque orandum, vt ipsis veritatem Religionis insinuet.

Lumen naturale discernit bona, & mala.

Cum eo gratia adest.

S. August. circa primam Pauli regulam in lib. 8. de Ciuit. cap. 9. de Gentilibus dicit. *Vbi*

dictum est, quod per ea, quæ facta sunt Deus illis manifestauit intellectu conspicienda inuisibilia sua; ibi etiam dictum est, non illos ipsum Deum rectè coluisse; quia & alijs rebus, quibus non oportebat diuinos honores illi vni tantum debitos detulerunt. Quoniam cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Circa secundam Pauli regulam Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent*, &c. S. August. dicit. cognouisse veritatem à suis Prophetis, *Dubitandum non est, & Gentes suos habere Prophetas*: & in lib. de spir. & lit. ad Marcell. cap. 27. vt postea dicam, docet, Gentes bona quædam opera facere, quæ laudamus, licet non sint veræ iustitię; quia sine fide Christi fiunt, ea tamen faciunt, quia habent legem Dei scriptam in cordibus suis: igitur donum hoc Dei habent, & possent inquirere veritatem, & orare Deum, vt faceret inuenire: hæc autem est gratia, quia à Deo in ordine ad bona opera facienda gratis donata; at non efficax, vt patet; ergo est illa, quę dicitur sufficiens.

Ex August.

451. De eiusmodi duabus Pauli regulis, Doctores aliqui, ac Sacræ Scripturę interpretes aliter sentiunt, nempè, quòd Gentiles, qui veram Dei, Trinitatis, & Christi fidem non habent, nullum lumen auxilij supernaturalis habent; neque ad cognoscendum Deum, neque ad facienda opera placentia Deo; nam ex Hebr. 11. *sine fide impossibile est placere Deo*: & illa Dei cognitio, quam habuerunt, vel habent, est cognitio naturalis ab effectibus in vniuerso existentibus deducta; & sic opera bona, si quæ faciunt, sunt naturalia, non à spiritu gratię directa, sed à lumine naturali: & cùm Apostolus dixit. *Inuisibilia*, &c. ac *Gentes*,

Plures D. D. dicunt talia Gentium auxilia esse ordinis naturalis.

quæ legem non habent; &c. voluit reprehendere Iudeorum superbiam, qui gloriabantur de obseruantia legis Mosaicę in tabulis, sibi tantùm concreditis, scriptę; quasi diceret Apostolus; quid gloriamini de legę scripta vobis concredita? Nam etiam Gentes faciunt opera legis, quæ vos facitis, & habent legem scriptam, non quidem in tabulis, sed in cordibus, & sic naturaliter, quę legis sunt, faciunt,& ideò ex ijs regulis non infertur gratia *sufficiens*; immò inferretur etiam efficax, quia dicit, *quæ legis sunt faciunt*. Soli autem efficaci gratiæ competit, quòd faciat facere: & tamen nequit hoc dici de infidelibus; quia *sine fide*, vt dictum est, *impossibile est placere Deo Hebr.* 11. sed contra hęc dicta, notandum, quòd

452. Andreas Vega Ordinis Min., qui fuit pręsens Concilio cum Card. Petro Pacieco, vt ipsemet fatetur in pręfatione sui voluminis Defensionis Concilij Tridentini, *in lib.6.cap.21.* dicit, tàm pro certo habitum fuisse in Concilio; quòd nullum hominum vmquam latuit diuinæ Maiestatis notitia, ac fides, vt in Concilio nullum verbum de re ista factum fuerit: eius referam verba. *Fuitque semper adeò super merita nostra prouida diuina Maiestas circa ista, vt verisimile non sit absque culpa ignorare potuisse, Deum esse. Atque ideò prouidentia, & inspiratione diuina factum arbitror, vt omnes Patres, qui interfuerunt Concilio, nulla habita, vel certè modica hac de re discussione, tamquam rei indubitatæ, consenserint, ac diffinierint, nulli prorsus absque fide iustificationem contigisse.* Deindè sibi obijcit. *Diceret aliquis, verba Patrum de fide infusa posse intelligi, aut legem tantùm, & illam communem ab eis esse expositam, & verba illa, sine fide impossibile est placere Deo*: & respondet.

Refellitur hęc sentẽtia ex Vega.

Sed

Sed nobis nulla illarum explanationum, immò tergiuersationum placet. Si propositum Patrum, & circumstantia omnia benè expendamus, apertissimè videbimus, fidem actualem propriè ab eis diffinitam semper necessariam fuisse ad iustificationem, & id quidem, vt nostra fert opinio, propterea secuti Paulum, ac Doctores, quos citauimus, verissimè asseruerunt, quod ante omnia ad veram iustitiam nobis necessarium est, vt captiuemus intellectus nostros in obsequium vnius Dei, & Legislatoris nostri: & ita in omni tempore, & omni loco suæ diuinitatis opinionem propagauit Deus in orbe, vt nullus ea fide absque sua culpa caruerit.

Omnes homines actualem Dei fidem habere potuerunt.

Si non habent culpabiles sunt.

453. Si ergo Patres Concilij existimantes cum Apostolo Paulo, *sine fide impossibile esse placere Deo*, & quemlibet hominem habere posse fidem Dei, & neminem absque propria culpa caruisse, aut carere illa; per necessariam consequentiam infertur, quòd omnes homines habuerint, & de facto habeant principium aliquod supernaturale, per quod possint saltem eam habere; alioquin sine propria culpa ea carerent: hoc autem supernaturale principium est gratia sufficiens; puta illuminatio, ac inspiratio ad credendum in Deum, illum diligendum, in illumque sperandum, & ad dolendum de peccatis : quæ quidem illuminatio, ac inspiratio tripliciter accidere potuit, ac potest, vel aliquo prędicante, vt regulariter fit ex Rom.10. *Quomodo credent, quem non audierunt? & quomodo audient sine prædicante?* Tunc enim prædicante aliquo extra, Deus (vt cum Augustino *tract.6.* in primam Ioann. epist. diximus) loquitur intra, illuminans, ac inspirans: alio, sed speciali modo Deus, sine prædicante extra, illuminat immittendo in alicuius infidelis intelle-

Generalis conclusio.

ctum

ctum cogitationem, ac dubitationem de veritate suæ Religionis, & inspirando ad inquirendum de vera, & ad orandum ipsum, vt faciat cognoscere veritatem. Tertio tandem modo, qui frequentiùs accidit in rusticis, & idiotis, & alijs, qui prędicantem immediatè non audierunt, sed à suis maioribus, vel alijs ciuilioribus, aut in agendis rebus magis instructis, licet non credentibus, audierunt, quòd detur alia Religio, quę ab eius sectatoribus prędicatur, vt verior; in his casibus Deus illuminat, ac inspirat, vt ea inquiratur. Quòd si præfati omnes, quomodocumque illuminati, ac inspirati, non despiciant, seu non respuant, resistant, ac derideant illuminationes illas, ac inspirationes, vt factum legimus, & modò fieri scimus à Gentilibus, Mahometanis, Iudæis, & Hæreticis ipsis, Deus concederet gratiam adiuuantem, & efficacem ad inquirendam veram Religionem, & successiuè ad eam amplectendam: at quia reijciunt, despiciunt, & irrident, reijciuntur à Deo, despiciuntur, & irridentur: *ex Prou.1. Act. Apostol.cap.7.& cap.13.* Sibi ergo imputent, non Deo.

Multipliciter accidere potest illuminatio.

454. Quod autem quidam dicunt de Gentilibus, quòd bona, quæ faciunt, nempè actus credendi Deum, & in Deum, actus diligendi Deum, actusque aliarum virtutum, fiant ab illis, cum Dei quidem auxilijs, sed ordinis naturalis, mihi valdè displicet: sed quia digni sunt, libet eorum dicta declarare. Existimo ergo sic intelligendos; quòd nempè infideles, dum operantur opera legis naturę secundùm dictamen rationis naturalis, nullo præcedente supernaturali actu, ac lumine fidei, sed sola fide acquisita, illa scilicet notitia, seu credulitate Dei, eiusque legis, quæ lumine

Non placet authori, quòd illa auxilia sint ordinis naturalis.

naturæ habetur; tunc auxilia illa sunt ordinis naturæ, sicut sunt ipsamet opera, quæ faciunt, non enim sunt conducentia ad salutem: & hoc est, quod dicit Apostolus *Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt.* At si infidelis, audito prædicante veritatem fidei, à Deo illuminetur, & inspiretur ad credendum, diligendumque Deum; vel absque prædicante, à Deo immediatè illuminetur, & inspiretur ad inquirendam veritatem fidei, & in vtroque, vel alterutro eam infidelis non solùm non reijcit illuminationem, ac inspirationem, sed consentiat, eamque velit, & credat, ac diligat, vt in primo casu; vel consentiat, ac velit inquirere veritatem fidei, seu Religionis, vt in secundo casu; tunc auxilia illa, nedum illuminationis, ac inspirationis, sed actiones, nempè credendi, diligendi, &c. vt in primo casu, & volendi inquirere veritatem, vt in secundo casu, sunt auxilia supernaturalia disponētia ad iustificationem, *vt ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. & 6.* & non sufficientia tantùm, sed efficacia: si verò illuminati, & inspirati, non solùm non consentiunt, sed etiam reijciunt illuminationem, ac inspirationem, tunc, etsi malè faciant; auxilium tamen sufficiens iam habuerunt, quod in illa excitatione, seu illuminatione, ac inspiratione consistit; quod Deus, vt diximus, omni homini concedit.

Declarat quomodò tolerari possit hoc dictum.

Quando auxilium est ordinis naturalis, & quando non.

455. Et hęc dicta sufficiant pro infidelibus omnibus, antè, & post aduentum Christi, de gratia sufficienti eis impertita circa fidem Dei vnius, per quam gratiam possent credere in Deum, eumque diligere, sicut oportet, idest, vt disponit ad iustificationem, quæ ab actu credendi, & diligendi Deum, vt oportet, initium habet; *ex Trid. sess. 6. cap. 6.*

Dicen-

456. Dicendum ergo, & veraciter confitendum, quòd benigniſſimus Dominus, & amantiſſimus Pater noſter Deus, qui creauit hominem, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, ac poſſidendo frueretur, ideſt illum eleuauit ad ſupernaturalium fruendorum ordinem; quamuis illum liberum formauerit, *& in manu conſilij ſui reliquerit*, vt faceret quod vellet, ſiue bonum, ſiue malum: ſciens eum ſuis proprijs viribus non poſſe bonum ſupernaturale, hoc eſt, ad ſummi boni cognitionem, & poſſeſſionem conducere; veriſimile, ac probabile non eſt, quòd homini talia bona opera ad id bonum conducentia prçceperit, niſi ei virtutem, ſeu auxilium, per quod id poſſet facere, conceſſerit; alioquin, & impoſſibilia præcepiſſet; & poſtea ſine culpa hominem damnaret: hic eſt ipſiſſimus S. Auguſtini diſcurſus, vt in ſuo loco diximus, de auxilio *ſine quo non* collato Angelis, & Adamo; inquiens, quòd ſi illud non dediſſet, tranſgrediendo Dei præceptum, non peccaſſent: huc enim collimant omnia Sacræ Scripturæ loca, quæ Dei in hominem amorem, ac miſericordiam commendant. Placet aliqua ſolùm adducere.

Ex Dei benignitate infertur firma concluſio huius ſententiç.

457. Ezzechielis 18. 23. habetur. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat?* Sapientiæ 11. 24. *Misereris omnium Domine, quia omnia potes; diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti.* Sapientiæ 12.1.2. &c. *ò quam bonus, & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus; ideòque eos, qui exerrant, corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, vt relicta malitia,* cre-

Scripturæ loca, quæ Dei amorē in hominē commendant.

credant in te Domine. Exodi 34. 6. *Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens, & multę miserationis, & verax*. Psal. 32. *Misericordia Domini plena est terra*: & psalm. 144. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*. Psal. 76. *Numquid in æternum proijciet Deus, aut non apponet, vt complacitior sit adhuc. Aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem, aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Psalm. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Psal. 100. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*: et in toto psalterio sæpissimè.

Ex Veter. Test.

458. Ioann. 3. 16. *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum non pereat*, &c. in epist. 1. Ioan. 4. &c. *In hoc apparet charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas, non quia nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris*, &c. & Saluator ipse Lucæ 5. 12. *Veni vocare peccatores ad pœnitentiam*. Prima Timot. 2. 4. *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, &c.

Ex Nouo Testam.

459. Hæc, inquam, & alia plura Sacræ Scripturæ loca suppetunt eam legenti, in quibus amor, & misericordia cum iustitia Dei in vniuersum genus humanum indifferēter commendatur. At ex epist. Iacobi cap. 2. 13. *Misericordia superexaltat iudicium*: & ex Psal. 143. *Miserationes eius super omnia opera eius*: quomodo ergo cogitari, aut concipi potest, quòd non dederit, aut non det omnibus aliquando, & aliquibus saltem vicibus, sufficiētem ad minus gratiam, qua possent ad eum

Ex impossibilitate operandi.

eum conuerti, in eum credere, eumque diligere, *vt oportet*, ideſt modo ſupernaturali, & ob ſupernaturalem finem? Quomodo diceret Deus Oſeæ 13.9. *Perditio tua ex te Iſrael; tantummodò in me auxilium tuum*? Quomodò Saluator, Matth. vlt. miſiſſet in mundum vniuerſum Apoſtolos, dicens, *docete omnes gentes, baptizantes*, &c. *docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis?* & Marc. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*, niſi auditores eorum haberent requiſitum ſupernaturale, per quod poſſent credere, & poſſent facere, quæ ipſi docebant? Quomodò Chriſtus in die iudicij diceret reprobis, *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. *eſuriui, & non dediſtis mihi bibere*, &c. niſi illi habuiſſent requiſita ad ea facienda, *ſicut oportet*, quę quidem à ſemetipſis habere non potuerunt? Multi ſiquidem inter Gentiles, & Turcas, vt ex Alcorano pręcipiente, & ex praxi Mahometanorum obſeruata, vacant operibus iſtis miſericordię corporalis, & tamen reſpondere non poterunt, cibaui eſurientes, potaui ſitientes, operui nudos, &c. quia opera iſta non ſunt *ſicut oportet*, ſcilicet ex directione fidei; & fides illa, quam ipſi habent de Deo eſt naturalis, ſeu acquiſita, non ex Spiritus Sancti inſpiratione, & adiutorio, vt requirit *Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 3.* ſed eſt, ſicut fides, quam habent de alijs rebus mundi, quas audierunt, & de ipſomet Mahometo. Si ergo condemnandi ſunt omnes ex eo quòd non fecerunt ea opera à Deo præcepta, *& vt oportet*: perneceſſe fateri debemus, quòd Deus eis omnibus dederit principium illud requiſitum ad poſſe facere opera illa, *vt oportet*: at quoniam illud reiecerunt, hodièque reijciunt, immò perſecuti ſunt, hodieque perſe-

Multa Scripturæ dicta non ſaluarentur.

Ex abſurdis ratio.

Opera miſericordię Gentilium non ſunt, ſicut oportet, & quare.

persequuntur, atque occidunt eos, per quos principium illud potest in eorum mentibus à Deo produci, si audirent eos, quos persequuntur, & occidunt; ideò deest etiam illis aliud principium, seu adiutorium, per quod facerent, *vt oportet*: habent ergo illuminationes, vel habere possunt, quia Deus eis vult dare; sed reijciunt, Deoque hoc modo resistunt, vt dicitur Act. 7. His autem Saluator in iudicio dicere poterit quod habetur Prou. 1. *Quia vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, &c. ego quoque in interitu vestro ridebo.*

Concluditur, quòd omnes habent, vel possunt habere, sed respuunt gratiam sufficientē.

460. Sit ergo Deo laus, virtus, & gloria in æternum, qui neminem vult perire, & omnibus gratiam sufficientem concedit, per quam habent posse non perire: sed eam maior hominum pars respuit, ac reijcit, ideòque vlteriùs non adiuuantur; quod ab æterno prçuisum, vt in secundo Opusculo diximus, reprobationis causa fuit.

Quoties autem, & quando Deus sufficientem gratiam concedat, tàm infidelibus, quàm fidelibus, dicam, Deo dante, infra.

CAPVT XX.

An omnia infidelium opera sint peccata: vel saltim aliqua, & quæ.

Mens Authoris, cur de hoc agit.

461. AD u. 1. difficultatem hanc in hoc loco discuti, eo quòd infideles cùm careāt fide habituali, & actuali supernaturali videntur non posse operari alia opera nisi mala, quia inquit Saluator, *non potest arbor mala bonos fructus facere*. Anima autem hominis infidelis est pessima moraliter; ac propterea videtur non posse

pro-

producere bonos fructus. Accedit præterea Pauli dictum Rom.14. *quod non est ex fide peccatum est, & sine fide impossibile est placere Deo*, Hebr.11.

462. Adu. 2. quòd hìc nomine *infidelium* intelligimus omnes carentes habitu fidei, etiam Hęreticos; hi enim per infidelitatem habitum fidei, quem in Baptismo receperant adulti iam facti non credentes perdiderunt: at principaliter intelligimus non baptizatos, vt Gentiles, Mahometanos, & Hæbreos.

Qui sint infideles.

463. Adu.3. quòd licet sententia assertiua, quòd omnia infidelium opera sint peccata, iam damnata sit à Pio V. & Gregor. XIII. inter Michaelis Bay propositiones; quia tamen Scioli quidam, qui S. Augustini opera, vel non omnia, vel non accuratè legerunt, Sancto Doctori propositionem istam absolutam, & sine limitatione ipsius Sancti, affinxerunt, nec desint hodiè, qui adhuc affingant, operæ pretium duxi de hoc puncto in hoc Opusculo, in quo de infidelium gratia agitur, contingenter loqui.

Affirmatiua damnata est.

464. Dico ergo 1. Non omnia infidelium opera sunt peccata: sed ea tantùm, quæ in sequenti Capite dicentur.

Non omnia infidelium opera sunt peccata.

465. Prima pars, vt nuper dixi, iam remanet probata ex Ecclesiæ damnatione, vt ex Constitutionibus præfatorum Pontificum, quibus opposita damnatur, quæ asserebat, *quòd omnia opera infidelium sunt peccata*.

466. Prob.2. quòd non omnia sunt peccata. Aliqua infidelium opera commendantur in Sacra Scriptura. Ergo. Antec. prob. primò ex Ionæ 3.4. Niniuitæ populi Gentiles erant; & tamen de eis hęc leguntur, prædicante Iona. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur; crediderunt*

runt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniue; & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Præcepit ieiunium pro hominibus, & iumentis; & clamauerunt omnes ad Dominum: & ait Textus: *& vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiã, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.* At quoniã non factũ est sicut dixit Ionas, & *Niniue subuersa non est*, & inquit textus in cap. 4. quòd *afflictus est Ionas afflictione magna*, & optabat mori, quia videbatur mendax esse, & conquerebatur cum Deo; Deus autem ei dixit: *Et ego non parcam Niniue Ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram, & sinistram suam, & iumenta multa?* Niniuitæ, vt dixi, Gentiles erant, Idola colebant; Imperator erat Sardanapalus ex Saliano; in luxu, & ambitione viuebant, ait Lyranus, & pœnitentiam hanc egerunt; neque legitur, quòd desierint esse Gentiles: igitur non semper, nec omnia infidelium opera sunt mala.

Aliqua eorum opera commendantur.

Ex facto Niniuitarũ

467. Secundò ex Daniel. 4. 24. Propheta hic prædicit mala, quæ postea acciderunt Nabuchodonosori Regi Babiloniç; & ad ea euertenda dixit. *Quam ob rem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosinis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitan ignoscet* (Deus) *delictis tuis.* Daniel autem non consulebat Regi opera mala: ideòque, si eleemosinas erogasset, mala opera non fecisset, sed bona, quibus, vt dixit Propheta, Deus forsitan ad ignoscendum conuersus esset.

Ex facto Regis Babiloniæ.

Ter-

468. Tertium exemplum habemus de Cornelio Gentile *Act.*10. Ad hunc misit Dominus Angelum, qui dixit ei: *Orationes tuæ, & eleemosinæ tuæ ascendunt in memoriam in conspectu Dei*: & iussit, vt mitteret in Ioppen ad vocandum Petrum, à quo fuit baptizatus: ergo non omnia infidelium opera sunt peccata. Omitto casum Iob, qui licet esset Gentilis, ideſt, non de ſtirpe Hebrea; tamen erat fidelis, ſicut alij, qui obſeruabant legem naturę, ſicut & Abraham, & Iſaac, & Iacob, cæterique qui fuerunt ante legem traditam Moiſi in Monte Sina quadrigentis poſt annis ab Abraham, iuxta tempus, quo prædixerat Deus Abrahæ exitum de Ægipto, *Gen.* 15. Patet ergo, quòd non omnia opera Gentilium ſunt mala. Ex facto Cornelij Centurionis.

469. Prob.2. Ideò Bayus, & alij aſſeruerunt hoc de infidelibus, quia Paulus *Rom.* 14. dicit, *quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; quaſi velit dicere, quòd actus omnes, non ſolùm contra fidem, ſed etiam actus virtutum moralium, qui fiunt ab hominibus ſine fidei Magiſterio, ſeu dictamine, ſint peccata. Sed hęc explicatio falſa eſt: ergo. Min. prob. primò. Gloſa Interl. *quod non eſt ex fide*, ait, *quod ſit contra fidem, ideſt contra conſcientiam, vt credatur malum eſſe*: ſic locum iſtum intelligunt D.Hieronymus, & Theodoretus; quia Apoſtolus loquitur de ieiunantibus; de veſcentibus carnes, & non veſcentibus; de bibentibus, & non bibentibus vinum: inquiens, quòd ſi alterutri alios iudicant; cùm neutrum ſit à fide determinatum, ipſimet contra rectam rationem faciunt, & peccant, ſi neutrum fides ſtatuit, & hoc modo omnes Scholaſtici locum illum intelligunt. Deceptus eſt Bayus.

470. Quo verò ad sententiam Augustini, dico, quòd S. Augustinus de actionibus infidelium dupliciter locutus est; aliquando dixit esse bonas, sed non ita bonas, vt debitam iustitię laudem mereantur; idest non sunt apud Deum meritoriæ vitę ęternę: aliquando verò dicit esse peccata, quia non ex debito fine, aut ordine, sed cum aliqua mala circumstantia contra legem naturæ factę. Exemplum primi dicti habemus *in lib. de Spir. & lit. ad Marcellinum cap.* 37. in calce. *Qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi iustificat gratia; sed eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, iustèque colentium, quædam tamen facta, vel legimus, vel nouimus, vel audiuimus, quæ secundum iustitiæ regulam, non solum vituperare non possumus, verum etiam meritò, rectèque laudamus: quamquam si discutiatur, quo fine fiant, vix inueniuntur, quæ iustitiæ debitam laudem, defensionemue mereantur.* Tria hìc dicit: primò, quòd faciunt quædam opera, quę nō possunt vituperari: secundò, quòd debent laudari: peccata autem vituperari debent, & non laudari: tertiò; dubitat, quòd recto fine non fiunt; hęc est suspicio, non assertio, alioquin essent vituperanda. At si fierent cum fine bono, naturali lumine, ac ratione cognito, licet non essent bona supernaturaliter, essent bona moraliter; lumen namque naturæ dictat, *quod tibi vis, alteri feceris; quod tibi non vis, alteri ne feceris*: honorandos parentes, succurrendum egenis, &c. Immò ex Can. *ius naturale dist.*1. naturales leges sunt, *quæ omnibus Nationibus sunt communes ex instinctu naturæ, vt viri, & fæminæ coniunctio, liberorum successio, & educatio, communis omnium possessio, & omnium*

Augustini sententia quę.

Aliquando laudat eorum virtutes.

Lumen naturę quid dictat.

nium vna libertas, acquisitio eorum, quæ cęlo, mariique capiuntur; item depositæ, vel commodatæ pecuniæ restitutio; violentiæ per vim repulsio. Nam hoc, aut si quid huic simile est, numquam iniustum, sed naturale, æquumque habetur. Si ergo ista, & similia inter Infideles, Gentiles, Turcas, Hebręos, &c. fiant ex fine simplici virtutis, ac honestatis, ex rationis naturalis dictamine, bona moralia sunt, non verò peccata.

Multa legis naturę opera, & laude digna.

471. Aliud exemplum laudis virtutum infidelium, licet Idolatrantium, ac Gentilium magno cum encomio habemus ex Sancto Augustino in *libro quinto de Ciuitate Dei cap.*18.in quo loquens de Romano Imperio, laudat virtutes Romanorũ, inter quas pro adipiscenda terrena Ciuitate exercuerunt, inuitans Christianos ad similes pro acquirenda Ciuitate cęlesti, dicens. *Proinde per illud imperium tàm magnum, tàmque diuturnum, virorumque tantorum virtutibus præclarum, atque gloriosum, & illorum intentioni merces, quam quærebant, est reddita, & nobis proposita necessariæ commonitionis exempla, vt si virtutes, quarum istæ, vtcumque sunt similes, quas isti pro Ciuitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei gloriosissima Ciuitate non tenuerimus perdere pungamur.* Ecce quantum laudat virtutes Gentilium Romanorum. In alijs autem locis damnat virtutes Infidelium, vel quia non referuntur ad Deum; vel quia sunt inflatæ, ac superbæ, scilicet, ex fine vanæ gloriæ exercitę, & ideò potiùs ait dici vitia, quàm virtutes: nam in lib. 19. de Ciuit. cap. 25. dicit. *Proinde virtutes, quas sibi habere videntur, per quas imperant corpori, & vitijs ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerint, etiam ipsæ vitia potius sunt, quàm virtutes. Nam licet à quibusdam*

Rom virtutes laudat S. August.

Alibi damnat virtutes Gentilium.

tunc veræ, & honestæ putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, ac superbæ sunt: & ideò non virtutes, sed vitia iudicanda sunt: igitur ratione finis mali, non quidem negatiuè tantùm, sed positiuè, eas damnat. Declaratur. Non referre actus virtutum ad Deum, stat dupliciter: positiuè, scilicet, referendo ad aliud numen, vel Idolum; & negatiuè tantùm, non referendo ad Deum, sed nullo cogitato fine, virtuosè operando. His ergo duobus modis, dicit Augustinus, virtutes infidelium non esse veras virtutes, sed potiùs vitia, quando non referuntur ad verum Deum, sed ad falsum infidelium numen: vel quando nec etiam ad hoc referuntur, sed propter vanam gloriam exercentur. Si autem hæc duo absint, & ex ipsius virtutis, ac rectæ rationis naturalis dictamine exerceantur; non video, quomodo Augustinus eas damnaret. Non enim credo, quòd damnaret sui procreationem, & educationem à Patre infideli, neque coniugium eius cum matre sua, si non ob libidinem, sed propter prolem factum fuerit. Neque damnaret, quòd infidelis honoret Parentes, sicut ipsemet Manicheus faciebat, neque si fur restitueret furata Domino, & cętera similia.

Quia ob vanam gloriam exercitę.

Ex duplici capite potuerunt esse vitia.

472. Secundum Augustini dictum de operibus infidelium, quando sunt peccata, habetur in *lib.15. de Ciuit.cap.*20. vbi loquens de ijs, qui ob finem virtutis ab opere generandi se abstinent; dicit. *Secundum hominem quippè viuunt, non secundum Deum; & Indorum Gimnosophistæ, qui nudi perbibentur philosophari, in solitudinibus Indiæ Ciues eius* (idest Diaboli) *sunt, & à generando se cohibent. Non enim est hoc bonum, nisi sit secundum fidem summi boni, qui est Deus*. Existimo, quòd

Alia Aug. loca de ijs operibus infidelium

quòd S. Augustinus ibi noluit damnare cælibatum, dicens non esse bonum; sed quòd ille non esset verè bonus, idest meritorius, conducens ad salutem, & quia sine vanę gloriæ, vel cum relatione ad falsum eorum Numen, fiebat.

473. Tertium Augustini dictum contra virtutes infidelium habemus in *lib.* 4. *contra Iulianum Pelag. cap.*5. Quoniam Augustinus dixerat, pudicitiam coniugalem esse donum Dei; & Iulianus obiecerat, etiam inter infideles reperiri, respondet S. Augustinus: dixi, *pudicum non veraciter dici, qui non propter Deum veram fidem connubij seruat vxori*: & rationem assignat; quia, inquit, *omnes virtutes, quæ per corpus operantur, in animo etiam habitant; quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur, &c.* ait enim Scriptura psal.70. *perdidisti omnes, qui fornicantur abs te*: infra autem rursus dicit. *Absit, vt sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus. Absit autem, vt sit iustus verè, nisi viuat ex fide, iustus enim ex fide viuit. Quis porrò, etiam fortè, tu solus* (dicit ad Iulianum) *iustum dixeris infidelem, iniustum impium, iustum diabolo mancipatum: sit licet ille Fabritius; sit licet Fabius, sit licet Scipio; sit licet Regulus, quorum me nominibus, tamquam in antiqua Romana Curia loqueremur, putasti esse tenendum*: Deindè ait, quòd etiam Pitagorici putabant, *illas esse veras virtutes, quæ menti quodammodò imprimuntur à forma illius æternæ, immutabilisque substantiæ, quod est Deus.* Quæ Augustini dicta existimo intelligenda de bonitate supernaturali, & meritoria apud Deum, & conducente ad salutem, saltem dispositiuè de congruo, quia certè talis non est in infidelibus, nisi à Deo vocentur.

Cur pudicitiam infidelium nō laudat, dicens non esse veram.

474. Et hęc intelligentia confirmatur ex alijs

eius

eius dictis in eodem *Capite 3.* contra Iulianum docentem cum Magistro suo Pelagio, non esse necessariam gratiam ad operandum opera virtutum ad salutem conducentia. At infra post medium impugnans Iulianum sic ait. *Si Gentilis, qui non viuit ex fide, nudum operuerit, periclitantem liberauerit, ægri vulnera fouerit, diuitias honestæ amicitiæ impenderit, ad testimonium falsum, nec tormentis potuerit impelli; quæro abs te, vtrum hæc opera bona benè fecerit, an malè? Si enim quamuis bona, malè tamen facit; negare non potes, eum peccare, qui malè quodlibet facit. Sed quia eum non vis, cum facit ista, peccare, profectò dicturus es, & bona facit, & benè. Fructus ergo bonos facit arbor mala? Quod fieri non posse veritas dicit, Matth. 7.* & quia Iulianus dicit bona illa placere Deo, August. ait: *sine fide impossibile est placere Deo, Hebr. 11.* Iulianus dicit. *Infidelis bona facit, quatenus est arbor bona, à Deo enim creatus est.* August. respondet: *voluntatem infidelem esse malam, licet homo quatenus opus Dei sit bonus; & ideò mala voluntas non potest facere fructus bonos.* Iulianus dicit, *misericors voluntas, bona est.* August. respondet. *Est bona si secundum Christi fidem sit, quæ per dilectionem operatur. At reperitur misericordia mala, quà persona pauperis accipitur in iudicio;* & adducit exemplum malæ misericordiæ Saul 1. *Regum 15.* qui contra præceptum Dei misertus est Regis Agag Amalecitæ, propter quod Deus abiecit Saul; *& quod si vitium est malè misereri; vitium etiam est infideliter misereri. Quòd si & ipsa per seipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono malè vtitur, qui infideliter vtitur, & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit, &c. ex quo colligitur etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius,*

Bonitatem meritoriã negat August. in infidelibus.

Quando misericordia est mala.

illius, qui benè vtitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus, & bona malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta, & noxia voluntate faciunt: hęc, & alia plura ibi dicit Augustinus. Eodem modo intelligendus est, cùm in *lib. de Nup. & Concup. cap.* 4. dicit, infideles non habere veram virtutem pudicitię virginalis, vel coniugalis: & in *cap.* 5. cùm dicit, infideles habentes pudicitiam coniugalem propter motiuum aliquod humanum, non habent donum Dei: at non dicit hæc facta, esse peccata; sed quòd non sunt veræ virtutes conducentes ad salutem, eo quòd à fide non dependent; illa enim est salutis initium, & sine ea impossibile est placere Deo in ordine ad salutem: ex quibus omnibus collige, quòd dum docet opera infidelium non esse bona, debet intelligi de bonitate, quam afferebat Iulianus, idest conducente ad salutem, sine gratia Dei; de hoc siquidem puncto erat disputatio, non de bonitate naturali, seu morali. Dũ verò dicit esse mala, loquitur de operibus moralibus ex se bonis, sed factis cum circũstantia mala, vel contra pręceptũ Dei: exempla clara sunt; quia exemplificat de Iudice accipiente personam pauperis, & de Saule contra Dei præceptum non occidente Agag Regem Amalecitarum: Et existimo non posse aliter explicari, neque hìc, neque alibi S. Augustinum; alioquin ipse peccasset, cùm vsque ad annum ętatis 29. honorauit parentes, laudauit Deum, quoquomodo in Manicheismo appræhensum; si legẽ naturæ seruauit secundùm rectam rationem operans.

Quæ opera non bona, & qua bonitate.

Et quę mala.

Aliter non potest intelligi S. August.

475. Neq; est dicendũ malum, atq; peccatum opus misericordię factum à Samaritano in eum, qui in Latrones inciderat, & spoliatus, ac vulnera-

neratus iacebat in via semiuiuus; quod tamen opus à Christo fuit commendatum, Lucæ 10. & legis perito, qui interrogauerat eum, *quis est meus proximus*, post narrationem præfatæ historię, seu parabolæ, dixit, *vade, & tu fac similiter*. Ideò supradicto modo intelligendus est Augustinus. Quando dicit opera infidelium, etiam rectæ rationi conformia, non esse bona, loquitur de bonitate supernaturali, seu conducente ad salutem sine gratia. Quando dicit esse mala, loquitur de operibus secundùm se, seu ex obiecto bonis; sed ex fine, vel alia circumstantia mala, sunt mala.

Samaritani misericordia laudata.

476. Immò obseruo in quibusdam Augustini locis, quòd non solùm negat omnia infidelium opera esse peccata; sed aliquando esse bona, & ex Dei auxilio facta. Adducam aliqua. In lib. de Præd. SS. cap. 7. habet, *Solet dici, ideò credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet, quod de Cornelio dici potest, cuius acceptæ sunt eleemosinæ, & exauditæ sunt orationes antequam credidisset in Christum. Nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat?* &c. ergo Cornelius licet Gentilis, Dei saltem fidem habens, licet adhuc non Christi, Deo iuuante, eleemosinas, & orationes faciebat; ideòque eius opera non omnia erant peccata per Augustinum.

Aliquando dicit, quòd virtutes in fidelibus à Deo conceduntur.

477. In lib. 4. contra Iulianum cap. 3. loquēs de virtutibus, quas Iulianus admittebat in infidelibus, dicit. *Quanto satius, hæc ipsa in eis dona Dei esse fatereris, sub cuius occulto iudicio, nec iniusto; alij natura leues, alij spadones, &c.* Et paulò post, *quanto ergo tolerabilius illas, quas dicis in impijs esse virtutes, diuino muneri potiùs, quàm eorum*

rum tribueres tantummodo voluntati. Si ergo virtutes infidelium aliquando diuino muneri possunt adscribi, non sunt peccata semper.

478. In epist. 136. concedit continentiæ coniugalis, & castitatis virtutes etiam in infidelibus à Deo prouenire; vtens argumento bonorum corporis, quæ in eis à Deo sunt, sic. *Ipsius namque corporis, quod est infirmum nostrum, si qua bona sunt, sicut forma, & vires, & salus, & si quid eiusmodi est, non sunt nisi à Deo creatore, ac perfectore naturæ; quanto magis animi bona donare nullus alius potest? Quid enim superbius, vel ingratius cogitare potest humana vecordia, si putauerit, cum carne pulchrum facere Deum hominem, animo castum ab homine fieri?* Scio quemlibet dicturum, quòd sicut pulchritudo, vires, &c. pertinent ad ordinem naturæ, sic & continentia, atque castitas, quas S. Augustinus dicit infidelibus à Deo concedi. Hoc mihi sufficit; non enim contendo, quòd virtutes infidelium pertineant ad ordinem gratiæ, & quòd sint conducentes ad salutem; sed quòd non sint peccata: si enim à Deo dantur, peccata non sunt.

Plura Augus.exempla.

A paritate bonorum corporum, quę à Deo conceduntur.

479. In serm. 12. de temp. cap. 2. maximè commendat charitatem humanam in parentes, in coniuges, & in filios, sic. *Charitas alia est diuina, alia humana. Humana autem alia licita, alia illicita. Humana charitas non solùm licita est, vt concedatur; sed ita licita, vt si defuerit reprehendatur. Liceat nobis humana charitate diligere coniuges, filios, amicos, &c. sed videtis istam charitatem esse posse & impiorum, idest, Paganorum, Iudæorum, Hæreticorum. Quis enim eorum non amat vxorem, filios, &c. Si ergo tali quisque crudelitate fertur, vt perdat etiam humanum dilectionis affectum, & non*

Aug. commendat charitatē infidelium in cognatos,& alios

amet filios suos, & non amet coniugem suam, nec inter homines nominandus est! non enim laudandus est, qui non amat filios suos, sed damnandus est! & ferè amant filios aspides. Ergo qui non amat filios suos, etiam Leone peior est.

480. In lib. 1. de Gratia Christi cap. 24. considerans factum Assueri erga Ester dicente Scriptura, *Deus transtulit indignationem eius in lenitatem*, ait. *Intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina insonante forinsecùs; sed interna, atque occulta mirabili, atque ineffabili potestate operari Deũ in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes; sed etiam bonas voluntates.* Notum enim est *Ester* 14. quòd Assuerus ad petitionem Ester mutauit voluntatem suam lædendi populum Hębraicum, qui erat trucidandus, in voluntatem ei fauendi, vt fecit.

Factum Assueri laudat ex Deo

481. In epist. 130. loquens de continentia Polemonis, quem intemperantem habituatum, ingressum tamen in Scholam Xenocratis discurrentis de virtutæ temperantię, huius sermo repentè conuertit in temperatissimum; Augustinus inquit, fuisse donum Dei, sic: *& ne ipsum quidem, quòd melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed diuino*: & in lib. 4. contra Iulianum cap. 3. videns negari, dari posse quædam bona, ac virtuosa opera inter infideles, inquit ea à Deo esse, sic: *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui benè vtitur malis.* In homil. 23. quę est de muliere peccatrice, introducit Deum sic loquentem homini infideli. *Adulter non fuisti in tua vita pręterita plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum, malumque discernens, nondum credens in illum, qui nescientem regebat. Hoc dicit tibi*

Factum Polemonis laudat ex Deo.

Deus

Deus tuus. Regebam te mihi, seruabam te mihi, vt alterutrum non committeres. Suasor defuit: vt suasor deesset ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, vt non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes, & quòd non admisisti. Nullum est enim peccatum, quod fecit homo, quod non potest facere alter homo, si desit rector, à quo factus est homo. Alia plura extant S. August. dicta, quibus non solùm non asserit omnia opera infidelium esse peccata; sed multa asserit nedum bona, sed à Deo facta: Asserit quidem non esse vera bona, idest ad salutem, ęternamque vitam conducentia: at ea laudat, vt bona.

Deus facit vt infideles faciant quędam opera bona.

482. Postremùm huius Augustini sensus exemplum, vt huic quæstioni finem imponam, adducam, ex ijs, quę scribit ad Macedonium Christianum, & fortè malè operantem.

483. In epist. 52. *Abijcimus*, inquit, *falsorum Philosophorum vanitates: quia nec virtus vera nobis erit, nisi adsit ipse quo iuuemur: nec beatitudo, nisi adsit ipse, quo fruamur.* Deindè de virtutibus Cardinalibus discurrens, dicit. *Itaque, si omnis prudentia tua, qua consulere conaris rebus humanis: si omnis fortitudo tua, qua nullius iniquitate aduersante terreris; si omnis temperantia, qua in tanta labe nequissima consuetudinis hominum, te à turpitudinibus abstines: si omnis iustitia, qua certè iudicando, sua cuique distribuis, adlaborat, idnititur, vt hi quibus vis, vt benè sit, salui sint corpore, & ab omni cuiusquam improbitate tuti, atque pacati, &c. ita non erunt verę virtutes tuę, sicut nec istorum beatitudo*: & postea. *Si qualibet inquam administratio tua istis quam commemoraui instructa virtutibus hoc intentionis fine determinatur, vt homines secundum carnem nullas iniquas molestias patiantur; nec*

Cur damnat Philosophorum virtutes.

ad te existimas pertinere, qui istam quietem, quam præstare niteris, referant, idest, vt verbis non ambiant, quomodo Deum verum, vbi est quietæ vitæ omnis fructus, colant, nihil tibi prodest ad vitam verè beatam tantus labor. Si enim virtutes, quas accepisti, à quo acceperis sentiens, eique gratias agens, eas ad ipsius cultum, etiam in tuis sæcularibus honoribus conferas, tuæque potestati subditos homines ad eum colendum exemplo tuæ religiosæ vitæ, & ipso studio consulendo, seu fouendo, seu terrendo erigas, & adducas, nihilque aliud, quòd per te securiùs viuunt velis, nisi, vt hinc illum promereantur, apud quem beatè viuunt; & veræ virtutes erunt, & illius opitulatione, cuius largitate donatæ sunt, ita crescent, ac perficientur, vt te ad vitam verè beatam, quę non nisi æterna est, sine vlla dubitatione perducant. Ex quibus habemus, quòd omnes illas morales, seu Cardinales virtutes, quas Macedonius exercebat, non damnat, tamquam peccata, sed dicit, quòd non perducunt ad beatitudinem, nec illos homines, quos regebat Macedonius, nec ipsum Macedonium, nisi eas referret in Deum, à quo virtutes illæ obtinentur. Immò ex hoc Augustini dicto, aliud validius desumitur argumentum, quòd non sint peccata: Si enim per eum à Deo dantur, nec peccata, nec alia mala sunt, sed bonæ qualitates; quæ enim facit Deus in omni rerum genere in suo genere bona sunt.

Damnat, quia dicūt ducere ad fęlicitatē.

Laudat eas quę ad veram fęlicitatem perducunt.

484. Et insuper confirmari potest, quòd de hac veritate virtutum semper locutus est Augustinus, quando dixit infideles non habere veras virtutes; siquidem semper eas sic vocauit, quę ad veram, perfectam, & ęternam beatitudinem perducunt: confirmatur inquam ex ijs, quę dicit contra Iulianum Pelagianum lib. 4. cap. 3. *Ideò*

veras

veras virtutes habemus, quibus verè est propter quod facimus; idest, hoc naturæ nostræ consentaneum est ad salutem, & veram fælicitatem. Non enim absurdè virtus definita est ab eis, qui dixerunt, est animi habitus naturæ modo, atque rationi consentaneus. Verum dixerunt: sed quid sit, consentaneum liberandæ, de beatificandæ naturæ mortalium nescierunt: & post. *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christum est vera, promittit; nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes.*

Eas semper vocauit veras, quę ad æternam conducunt vitam, quales sunt illæ infidelium.

485. Patet ergo, quòd eas qualitates veritatis virtutibus moralibus infidelium negat, quæ ad fęlicitatem æternam conducunt; at non dicit esse peccata, nisi ex fine malo, humanæ glorię verbi gratia, vel vt falsis Dijs placeant, exerceantur. Prudentia enim, Iustitia, Fortitudo, ac Temperantia, cum suis speciebus, seu partibus potestatiuis, vel considerantur, vt habitus tantùm; vel vt actus tantùm, vel vt actus procedentes ab habitibus: quocumque modo considerantur, secundùm se sunt rectę rationi conformes; recta autem ratio specificat bonitatem in actibus, quos dirigit. Si autem infidelis habituatus in his virtutibus, vel in earum aliqua veniret ad fidem; in eis, vel in aliqua, quam haberet, operaretur tunc eadem facilitate, ac promptitudine, sicut priùs operabatur. At post receptam fidem, sunt eędem qualitates, quę erant ante fidem: tunc post fidem malę non sunt; ergo neque ante: in hoc differunt; quia si post fidem exercentur in gratia sunt meritorię, non autem ante. At dato, quòd post fidem non exercentur in gratia, vel neque explicitè propter Deum, sed propter finem virtutis; numquid malę sunt? Absit. Ergo neque ante. Quæ de hoc puncto dixisse sufficiat.

At non dicit semper esse peccata, nisi dum malo fine fiūt.

CAP.

CAPVT XXI.

An in omnibus infidelibus infidelitas sit peccatum; & an alia in eis adsint peccata; & quæ.

486. ADu. quòd licet prima facie quæsitum hoc non videatur ad disputationem istam de gratia sufficiente pertinere, quia ad peccandum non requiritur gratia; cùm peccatum sit opus solius voluntatis permissæ à Deo operari pro libito: adhuc tamen hæc quæstio disputationi de gratia accessoria est, quatenus infidelis, & quilibet homo non peccaret, si gratiam haberet, per quam impediretur peccare: & quamuis ad nos non spectet statum infidelium, eorumque indagare opera, quia dum in peruersitate permanent, sufficit eis prędicare errorem infidelitatis; & dum conuertuntur, per baptismum omnia ipsorum delentur peccata: vtile tamen est scire quę peccata committunt; tùm quia possunt eis improperari etiam tamquam indigna, sed prouenientia ex carentia fidei, vt fecit Augustinus in volumine *de Ciuit. Dei*; tum etiam, quia dum veniunt ad fidem, in Cathechismo peccata illa possunt eis cum sua grauitate insinuari, vt de eis doleant; tum tandem in vtilitatem fidelium, vt sciant qualis ignorantia excusat à peccato: quod enim dicitur de infidelibus circa fidem, & consequentia ad eam, dicendum videtur de fidelibus circa alia principia positiua, & eorum consequentias, circa quas peccare possunt.

Cur de hac re hic loquitur author.

487. Adu. 2. vt clarè procedamus, sensum huius quæsiti esse; an infideles, ideſt non baptizati habeant peccatum infidelitatis, si habent, vel

Sensus quęsiti.

habe-

habere possunt notitiam fidei Christianæ; de his enim infidelibus, nempè post Christi aduentum loquimur. 2. an si inuincibiliter ignorent fidem Christianam, habeant peccatum infidelitatis. 3. an prȩter peccatum infidelitatis, habere possint alia peccata, vel contra legem naturȩ patrata, vel etiam contra alias leges positiuas à fide dependentes; vel, an quo ad istas excuset ignorantia.

488. Adu. 3. & recolo, quȩ in prȩcedenti dicta sunt Capite; quòd vt de nostrorum temporú, idest post Christi aduentum, infidelibus loquamur, nulla ferè Natio in quauis mundi parte constituta excusari potest de Christi fidei, & consequenter de Trinitatis, ac vitæ ȩternȩ ignorantia. Si quidem, vt ibi diximus cum S. Augustino, & cum eodem mox confirmabimus, in omnibus præcipuis mundi partibus prȩdicatum est Euangelium, vel per Apostolos, vel per eorum Discipulos, aliosue Missionarios, sicut egomet clarè in tomo *de Fide parte secunda*, ex Chronistis historicè demonstraui. Nec vlla mundi pars est, in qua nota non sint martiria, quæ pro prædicatione, ac defensione fidei Christianæ tot hominum omnis status, & sexus passi sunt, hodièque eorum extant apud omnes memoria; & proindè omnes infideles, ex eo motiuo excitati potuissent, hodièque possent inquirere de veritate istius fidei. At non modò non inquirunt, sed resistunt prȩdicantibus, qui volunt eam prȩdicare; & eos reijciunt, & occidunt: non ergo laborant inuincibili ignorantia. Non videtur dari nunc inuincibilis ignorātia de fide Christi.

Dico 1. Infideles omnes post sufficientem notitiam Euangelij, seu fidei Christianæ laborare cæperunt, hodièque laborant grauissimo infideli- Infideles peccatum infidelitatis habent, si probabi.

delitatis peccato; quo non laborarent, si nullam omninò illius notitiam haberent, vel habere possent.

liter tantū fidem Christi ignorēt

489. Prob. ex ipsius Saluatoris oraculo, *Ioann.* 15. 22. vbi de Iudęis dicit. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*: & in *cap.* 9. eiusdem Ioannis dixerat. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc dicitis, quia videtis, peccatum vestrum manet*. At loquebatur de peccato infidelitatis, seu incredulitatis in eum, eiusque doctrinam, non enim alijs carebant peccatis, vt notauit S. Augustinus in lib. de Corrept. Donatist. cap. 29. *Non omne peccatum intelligi voluit, quandoquidem pleni erant multis, magnisque peccatis; sed aliquod proprium peccatum, idest, quod in eum venientem non crediderunt*: idemque confirmat *in lib.* 3. contra duas epist. Pelagianorum cap. 3. explicans illud Ioann. 16. *Spiritus Sanctus arguit mundum de peccato*, inquit, *infidelitatem intelligi voluit, hoc enim cum exponeret, ait, de peccato quidem, quia non crediderunt in me; & vbi ait si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*, subdens, *quòd infidelitas facit homines filios Diaboli*: idem confirmat in tract. 6. in primam Ioannis epistolam.

Christi oraculo.

490. Ac pleniùs, ac diffusiùs S. Augustinus mouet, ac soluit hanc quæstionem de peccato infidelitatis *in tract.* 89. in Euang. Ioannis: vbi quęrit, *an solis Iudæis, quibus locutus est Christus, & multa coram eis, magnaque, illis stupentibus, patrauit miracula, eo quia in eum non crediderunt, imputanda sit infidelitas; an etiam Gentibus, quibus locutus non est, nec eius viderunt miracula*: & pro solutione huius dubij plura ad rem dicit. Primò, quòd

S. Aug. pluries id docet,

quòd pòst Christi aduentum, Gentiles non sunt excusabiles; quia licet eis non loquatur Christus immediatè, locutus est per Discipulos, & nunc eis loquitur per Ecclesiam: eius verba sunt hæc. *Per Discipulos venit, & per eos est locutus, sicut nunc facit. Nam per Ecclesiam suam venit ad Gentes; & per Ecclesiam suam loquitur Gentibus. Ad hoc enim pertinet quod ait, qui vos recipit, me recipit, & qui vos spernit, me spernit; An vultis, inquit Apostolus, experimentum accipere eius, qui loquitur in me Christus?*

Gentiles non sunt excusabiles, & quare.

491. Secundò mouet difficiliorem quæstionem. *Vtrum hi, qui priusquam Christus veniret in Ecclesia ad Gentes, & priusquam Euangelium eius audirent, fine vitæ huius præuenti sunt, seu præueniuntur, possint habere hanc excusationem?* & respondet S.Doctor. *Possunt planè: sed non ideò possunt effugere damnationem. Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, Rom. 2. & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur*: & post multa inquit. *Perire Deo dicitur quisquis ab illa beatitudine, quam dat Sanctis suis, per supplicium separatur, tanta autem est suppliciorum, quanta est diuersitas peccatorum. Quæ quomodò se habeant; altiùs iudicat sapientia diuina, quàm coniectura scrutatur; aut effatur humana*: & concludit. *Isti certè, ad quos venit, et quibus locutus est Christus, non habent de magno infidelitatis peccato illam excusationem, qua possint dicere, non vidimus, non audiuimus. Siue non acceptaretur ista excusatio ab illo, cuius inscrutabilia sunt iudicia; siue acceptaretur; & si non vt ab omni damnatione liberarentur, certè, vt aliquanto leuius damnarentur*. Sic S.Doctor.

Ignorantes inuincibiliter, quomodo excusantur

Si inuincibiliter ignorarent; adhuc damnarentur ex August. sed mitius punirentur.

492. At quoniam difficilè videtur quomodò possent infideles peccare peccato infidelitatis in

Christum, in eum non credendo, si eum non viderunt immediatè, vel mediatè per alios loquentem, cùm ad eos illius prędicatores non accesserint? S. Augustinus ingeniosè conatur hoc declarare in tractatu sequenti, scilicet *90. in Euangel. Ioannis*, quòd scilicet sicut potest quis cognosci per famam, & cum hac cognitione potest laudari, vel vituperari, ita, cùm fama de Christo, eiusque doctrina per mundum vniuersum sit diffusa, si ab aliquibus non creditur, sed potiùs irridetur, aut blasphematur, iniqui isti, non credentes, sed blasphemantes, excusationem non habent de infidelitate; quia poterant inquirere de veritate Christi, illis per famam noti. Itaque aliqua notitia de Christi fide est necessaria, saltim per famam, vt incurratur peccatum infidelitatis, & non adsit excusationi locus.

Saltim per famam est necessaria Christi cognitio ad incurrendum peccatum infidelitatis.

493. Quòd autem infideles excusationem non habeant de peccato infidelitatis allegando ignorantiam, præter ea quæ adducta sunt in Capite præcedenti contra eiusmodi allegationem ignorantiæ, ex alijs authoribus sic probatur. S. Ioann. Chrisost. *homil. 7. in Ioannem*, inquit. *Illuminat omnem hominē venientem in hunc mundum: quonam pacto tot homines sine lumine permanent? neque enim omnes homines Christum cognoscunt; quomodò ergo illuminat omnem hominem?* Et respondet: *Illuminat profectò quantum in ipso est. Si qui autem spontè sua mentis oculis conniuentibus ad huius lucis radios dirigere noluerint; non ex luminis natura in tenebris perstiterunt; sed malitia sua sponte tanto se dono indignos reddiderunt.*

S. Io. Chrisost.

494. Plura S. Augustini, ac S. Prosperi in precedenti Capite adduximus loca ad probandum, quòd omnes infideles adulti habent gratiā

suffi-

ſufficientem, qua poſſint in Deum credere: ergo hæc eadem probant, quòd excuſationem non habent, ſi non credunt, remanentes in infidelitate: explicitè autem id dicit conſequenter ad hec S. Auguſtinus *in lib. de Nat. & Grat. cap. 67.* vbi poſtquam multa dixit de modis, quibus Deus omnes vocat ad fidem, concludit. *Tibi non deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras; ſed quòd negligis quærere, quod ignoras: neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis*: Ergo duo dicit, vt in præcedenti Capite; & quòd omnes poſſunt Dei cognitionem habere, quia omnes aliquo modo illuminantur ad minus ad inquirendum locum, in quo haberi poſſit talis notitia, quod illi non faciunt, & propterea culpabiles ſunt; & nullatenus excuſabiles: alterum, quod dicit, eſt, quòd ſi quis inuitus ignoraret, ideſt inuincibiliter (ſi daretur iſte caſus) hic homo non haberet hoc infidelitatis peccatum. An autem dari poſſit caſus iſte, non diſputo.

Varijs modis Deus vocat ad fidem.

Ignorans inuincibiliter non peccaret.

495. Sed magna, & iure merito hic oritur difficultas. Suppoſito namque, quòd, vt hìc innuitur, & in prçcedenti Capite probatum eſt, quòd omnes infideles habeant gratiam ſufficientem ad poſſe credere, aliquam nempè illuminationem, ac inſpirationem, vel medio prædicante, alioue loquente de fide Chriſti, vel ſine prædicante, immediatè à Deo excitante illam dubitationem in mente, ſaltem ad inquirendum veritatem iſtam fidei, cùm iſti ſic illuminati non habeant adiutorium *quo* credant prædicanti, vel quo moueantur, vel ad inquirendum, vel ad orandum Deum, vt eis veritatem oſtendat, vel faciat inuenire; quod auxilium ſecundùm Sanctum Auguſtinum,

Difficultas magna ſoluenda.

necessarium est, vt homo operetur, quia est efficax, sed à Deo dependens; quod quidem infideles non habent, quia si haberent, facerent; quomodo inquam potest eis imputari, si non faciunt, si deest illis quod est necessarium, vt faciant; & à se non possunt habere hoc *quo* faciant.

496. Respondetur, hanc difficultatem non vrgere solùm pro infidelibus, sed pro omnibus, etiam fidelibus, tàm iustis, quàm peccatoribus, qui vrgente aliquo præcepto habent gratiam sufficientem, qua possint implere, & aliquando non implent, eo quòd careant adiutorio efficaci, quod si haberent, certè implerent. Nihilominus ad vtramque respondendum est cum Sacra Scriptura, S. Augustino, & alijs Patribus sic. Vrgente præcepto credendi, v. g. respectu infidelium, idest posito, quòd mediante prædicatore, vel Deo immediatè excitante, ac inspirante, vt infidelis credat, vel inquirat locum, aut personam, per quam possit edoceri de veritate Religionis (his enim modis illuminat, & inspirat) tunc accidere potest, vt infidelis ille, vel credat, si audiens prædicantem illuminatur; aut se accingat ad inueniendam personam, à qua edoceatur, vel oret Deum, vt faciat inuenire, si ad hoc illuminatur; & in his casibus habet, nedum gratiam sufficientem, qua possit facere, sed etiam efficacem, quæ facit facere. Si verò infidelis ad alterutrum faciendum illuminatus, ac inspiratus reijcit, seu respuit illuminationem, per actum istum reiectionis talis illuminationis peccat in causa, & ex infideli negatiuo, sicut erat ante illuminationem ob ignorantiam, fit infidelis positiuus, quia reijcit fidem, dum *non vult eam intelligere, vt benè agat*. Sic pariter accidit in homine fideli,

Hæc difficultas vrget etiam pro fidelibus, & iustis.

Delinquũt omnes reijciendo gratiam sufficientẽ.

li, siue peccatore in ordine ad pœnitentiam, ac præceptorum obseruantiam; siue in homine iusto in ordine ad obseruanda præcepta: vterque enim habet sufficientem gratiam, qua potest implere præcepta, ad quę habet illuminationē, ac inspirationem: si adimplent, ac exequuntur; pręter sufficientem, habent istam efficacem, quæ facit facere: si verò reijciunt, ac respuunt, non curantes de illuminatione, ac inspiratione, à proprijs concupiscentijs abstracti, & illecti, carent efficaci adiutorio, non implent præceptum, & peccant: hoc ergo, tàm his, quàm illis imputatur, quòd propria voluntate gratiam sufficientem abiecerunt, ac respuerunt. Ita prorsus docet S. Prosper in *lib. 1. de vocatione Gentium cap. 28. Manifestum est* (inquit) *quod diuersis, atque innumeris modis omnes homines vult Deus saluos fieri: sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt sua pertinacia reluctantur*: & in *cap. 26.* dixerat. *Quæ opitulatio*, idest gratię, *per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur; & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia; quod autem à multis sustinetur; & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ*. Resistentia igitur, respuentia, seu reijcientia illuminationis, quæ peruicacia, seu pertinacia etiam dicitur, à sola voluntate hominis infidelis prouenit, eiq; imputatur; & vt aliàs vidimus in Sacra Scriptura sæpè hęc resistentia improperatur infidelibus, vt Prou. 1. *Quia vocaui, & renuistis*, &c. Christus ipse Matth. 23. ait. *Quoties volui vos congregare, quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis.* Act. 7. Stephanus prędicans Christum, persecutionem patiens, & lapidationem, sic Iudęis improperat. *Dura ceruice, vos semper Spiritui Sancto*

Reiectio gratię sufficientis est causa cur peccent.

S. Prosper.

Hęc resistentia improperatur infidelibus in S. Scriptura.

Ωo resistitis : sicut Patres vestri , ita & vos . Act. 13. Paulus ait, *quia non recipitis verbum Dei, conuertimur ad Gentes* : & hoc est peccatum graue , quod Paulus 2. Timot. 3.8. imputat ijs , qui resistunt veritati fidei ; & hoc imputat Maleficis Pharaonis videntibus miracula euidentia,quæ ab eo patrabantur , inquiens ; *Quemadmodum Iamnes , & Mambres restiterunt Moisi ; ita & hi resistunt veritati ; homines corrupti mente , reprobi circa fidem* , &c.

497. Sibi ergo imputent infideles , immò & alij omnes , si reijcientes illuminationes , seu excitationes ad fidem, seu ad aliud opus precepti , aliud adiutorium diuinum, quo credant, aut preceptum impleant , non obtinent : reijcientia, seu resistentia namque illa ab ipsis prouenit .

Quæsitum inscrutabile .

498. Si verò quæras, cur Deus non impedit reijcientiam , seu resistentiam illam , vel suspendendo concursum suum ad actum illum resistendi , vel dando efficax adiutorium ad consentiendum , responderem , & cum Augustino , & ipsomet Apostolo Paulo Rom.9. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo ?* & cap. 11. *Quis cognouit sensum Domini , aut quis consiliarius eius fuit ?* & ibidem . *O altitudo diuitiarum, &c. quam incompræhensibilia sunt iudicia eius , & inuestigabiles viæ eius !* Qui autem responderet , Quia permittit Deus , vt illi vtantur libero suo arbitrio , cum quo creati sunt , adhuc benè diceret, quia sic est. Nam Ecclesiastici 15. 14. habetur . *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui : adiecit mandata , & præcepta sua . Si volueris mandata seruare , conseruabunt te . Apposuit tibi aquam , & ignem : ad quod volueris porrige manum tuam* : inseruit ergo,nedum ad aliquid,sed ad multum . Si

Deus permittit homines vti libero arbitrio, quando respuũt illuminationes .

499. Si tandem instares, cur Deus aliquos impedit, ne resistant, vel suspendendo concursum circa actum resistentię, vel conferendo auxilium efficax, quod facit consentire; alios verò non sic tractat, sed sinit eos resistere, non suspendens concursum ad resistentiam, aut non dans auxilium efficax, quod facit consentire? Responderem, sicut supra. *Nemo cognoscit sensum Domini; nemo consiliarius eius fuit : incompræhensibilia sunt iudicia eius* : & vlteriùs adderem cum eisdem Augustino, & Paulo, *Deus non est personarum acceptor*. *In Deo nulla est iniquitas*: & tandem, *Deus nemini debet*. Nam ex Rom. 11. in fine. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Captiuemus ergo intellectum nostrum in obsequium diuinæ prouidentiæ, iustitiæ, ac misericordię: *& non scrutemur in profundo, nè labamur in profundum*, ait S. Augustinus. Ad interrogationẽ molestam humilis responsio.

500. Dico 2. Infideles non baptizati pręter peccatum infidelitatis subiacent alijs peccatis, quę contra legem naturę committi possunt. Infideles alijs subiacent peccatis.

501. Prob. ex Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt : eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se cogitationum inuicem accusantium, aut etiam defendentium in die, cum iudicabit Deus occulta hominum*, &c. Interl. *naturaliter*, quæ est Origenis, dicit, *ratione naturali illuminati discernunt facienda, & vitanda, quod faceret lex*. Interl. *testimonium reddente illis conscientia*, dicit, *non solummodò conscientia operatur, sed etiam cogitationum malarum, & bonarum*, &c. Ista ergo omnia Gentilium opera

ra in die iudicij à Christo iudicabuntur; nam prosequitur Apostolus, *cum iudicabit Deus occulta hominum secundum Euangelium meum per Iesum Christum*; Interl. dicit, *quia Pater omne iudicium dedit filio*.

Ex Sacra Scriptura.

502. Confirmatur: Omnia opera, quæ fiunt contra legem naturæ sunt peccata: Ergo. Antec. prob. nam *peccatum est dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei ęternam*. Lex autem naturæ est lex æterna Dei indita cordibus omnium hominum; ait enim Dauid Propheta psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: ideòque ad differentiam legis positiuæ, ignorantia legis naturæ non excusat à peccato: alioquin melioris conditionis essent Gentiles, quàm fideles, qui de peccatis contra legem naturę patratis iudicabuntur. Immò sequeretur, quòd homines omnes, qui ab initio mundi extiterunt vsque ad Moisem, per quem Deus pro Hebręis dedit Legem scriptam non peccassent: Adde, quòd neque post legem illam Gentiles peccassent; quia lex illa non fuit eis intimata; & alia positiua non extabat, & sic, si neque lege naturę obligabantur, non peccabant; cuius oppositum in Sacro Textu legimus, à Caino incipientes; & prosequentes de alijs ferè omnibus hominibus tempore Noe; nam Genesis 6.5. habetur. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore; pænituit eum, quod hominem fecisset in terra; & tactus dolore cordis intrinsecus; delebo inquit hominem, quem creaui à facie terræ*. Glosa Lyrani, quę literalis est, declarans hominum illorum peccata, in versu præcedente, *Viri famosi*, dicit, *scilicet malæ famæ, quia raptores, & luxuriosi*:

Ratio generalis.

Argum. ex absurdo.

Ab initio mundi, & semper obligauit lex naturę.

riosi. in V. *videns quod multa malitia*, dicit, *quantum ad multitudinem vitiorum*. V. *cuncta cogitatio*, dicit, *ex quo patet, quod peccabant, non ex passione tantum, sed ex certa malitia*. V. *omni tempore*, dicit, *quoad continuationem peccatorum suorum*. Sceleratissimi ergo homines illi erant, & licet ante diluuium non essent Idola, quæ, vt alibi diximus, cæperunt multò post, scilicet tēpore Nini; alia tamen peccata vigebant; propter quæ, exceptis octo animabus, omnes deleti sunt. Immò Pererius existimat omnes homines, exceptis paruulis, fuisse tunc in Inferno demersos; at S. Hieronymus existimat, aliquos iustos adfuisse, & saluatos esse, quod *ex epistola prima Petri cap.3.19.* comprobatur. Quidquid autem sit de hoc; certum de fide habetur, quòd homines cuiuscumque temporis, aut Nationis non habentes legem scriptam, seu positiuam, potuerunt peccare, & de facto peccarunt contra legem naturæ operantes. An verò Gentiles præter peccata contra legem naturæ, Idolatriæ, ac Infidelitatis positiuæ committant alia peccata contra fidem inter se distincta, v. g. negantes Trinitatem Personarum, æternitatem Dei, infinitatem, immensitatem, vel aliud simile prædicatum, vel attributum Dei, vt opera redemptionis in Christo, aliudue, quod Catholici credunt ex reuelatis in vtroque Testamento, curiosum quidem esset inquirere, sed nullius vtilitatis, neque pro Gentilibus; ipsi enim, dum ad fidem veniunt, per baptismum omnium peccatorum obtinent remissionem; ideòque nihil refert scire quot peccatorum species in Gentilitate commiserint. Si verò in Gentilitate decesserint, *Deus iustus Iudex, qui renes omnium scrutatur, & corda*, pro quantitate, & qualitate delictorum, iusta illis

Et homines contra eam peccabant.

Dubium curiosum, sed non vtile.

 infe-

inferet supplicia. Existimo tamen, quòd plura contra fidei obiecta possunt infidelitatis peccata patrare: contra ea namque obiecta, quorum notitiam aliquam habuerunt, vel habere potuerunt, sed neglexerunt; non verò contra ea, quæ inuincibiliter ignorauerunt: Apostolus enim Rom. 1. clarè dicit, *quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestauit, inuisibilia enim illius à creaturæ mundi per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, itaut sint inexcusabiles*. Circa ista ergo, quæ cognoscere possunt, atque credere, & nolunt, existimo, quòd diuersa possunt peccata infidelitatis committere. Sed de his hactenus.

Authoris sententia circa alia infidelium peccata.

503. Dico 3. Infideles baptizati, seu Hæretici, præter peccatum principale suæ infidelitatis, cauere tenentur, non solùm omnia peccata contra legem naturæ; sed etiam alia omnia, quę possent Catholici committere contra legem positiuam diuinam, & Ecclesiasticam, & si contra eas faciunt, de facto committunt, supposita tamen aliqua earum legum notitia; & remota ignorantia inuincibili, cum qua numquam stat peccatum.

Hæretici multis peccatis subiacent.

504. Prob. primò. Hæretici subduntur toti legi Christianæ, quæ includit legem naturę, diuinam positiuam, & Ecclesiasticam: ergo omnia peccata contra eam cauere tenentur: ideòque eam, vel totam, vel secundùm aliquam partem transgredientes, peccant. Anteced. prob. 1. Christianus tenetur obseruare legem Euangelicam, & traditiones Ecclesiæ: *ex Concil. Trid. sess. 6. can. 19. & sess. 7. de Baptismo can. 7. & 8.* Hæreticus autem est Christianus: ergo. 2. Baptizati tenentur relinquere ritus omnium aliarum Sectarum, & sequi

Tenentur seruare totam legem Christianã

ritus

ritus Ecclesiæ Catholicæ, *ex Concil. Later.4. cap. 70. & ex cap. Quidam, De Apostatis*: Hæretici autem sunt baptizati. Ergo.

505. Prob. 2. Hæretici ob negationes cuiuscumque articuli fidei, aut propositionis reuelatæ, vel ab Ecclesia definitæ, vel traditionis, vel Catholicæ Ecclesiæ ritus, ab Ecclesia puniri possunt spirituali, & corporali pœna: ergo in illa negatione peccant; alioquin puniri non possent; pœna enim consequitur culpam. Argum. ex pęnis eorũ

506. Confirmatur. Hæretici abutentes Sacramentis, vel Sacramentalibus Catholicæ Ecclesię, puniri possunt vtraque pœna, corporali scilicet, ac spirituali: ergo in ijs actibus peccant.

507. Prob. 3. Hæretici, quamuis præcisi sint ab Ecclesia per excommunicationem; tamen subditi sunt Ecclesiæ. Contumaces enim cuiuslibet Principis, non cessant esse sui Principis subditi, alioquin fierent melioris conditionis per crimen læsæ maiestatis, & reportarent commodum de iniquitate. Ex quo autem homines Christum induerunt per baptismum, sunt Ecclesiæ, & Capiti eius subiecti: ideòque Ecclesia, & eius Caput potest de omnibus baptizatis iudicare, cuiuscumque conditionis sint, siue Imperatores, siue Reges, siue alij, ex *cap. Nouit ille; de iudicijs*, & ex *can. certum, & can. suscipitis ne? dist.20. & Extra. Vnam sanctam de maioritat. & obed.* in fine definitur, *esse de necessitate salutis omni humanæ creaturæ subesse Romano Pontifici*, Ecclesiæ Capiti. Igitur Hæretici subiecti sunt omnibus Ecclesiasticis, seu canonicis, ac decretalibus legibus: vnde eas non obseruantes, toties quoties peccant: ideò si ad fidem veniunt, tenentur omnes, & singulas transgressiones legum naturalis, diuinæ

Argum. ex eo quod subiecti Ecclesiæ.

Licet sint præcisi.

positiuæ, & Ecclesiasticæ, tamquam grauia peccata in Sacramento pœnitentię confiteri. Hoc enim in re, vel in voto cum contritione, (si in re sit impossibile) est secunda tabula post naufragium.

508. Dixi in Conclusione, *suppposita tamen aliqua earum legum notitia*, nam semper tenui, ignorantiam inuincibilem in qualibet materia excusare à peccato, nam peccatum ex Augustino est quid voluntarium, ita vt nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium: sed ex 2. Ethic. 5. *Inuoluntarium est, quod vi, vel ignoratione accidit*: ergo.

Ignorantia inuincibilis à peccato excusat.

CAPVT XXII.

An Gratia sufficiens concedatur omnibus pro quolibet temporis momento.

509. ADu. 1. quòd in hac disputatione omnium primò explodendi sunt authores, qui negant dari auxilium, seu gratiam sufficientem, docentes, nullam aliam dari gratiam contradistinctam ab efficaci; cuius oppositum firmauimus *in cap.* 18. § *vnico*. 2. sunt pariter explodendi, qui docent vniuersaliter, quòd nulli infideli concedatur gratia sufficiens, per quam credere possint; cuius oppositum firmauimus *in cap.* 19. 3. explodendi sunt illi, qui dicunt, quòd Deus dat gratiam sufficientem ijs tantùm, qui eam desiderant, & ab eo expectant; cùm falsum generaliter sit, quia sæpissimè Deus illuminat, & vocat homines, nedum non desiderantes, nec petentes à Deo illuminari, sed neque de Deo cogitantes, immò habituales peccatores, & interdum actua-

Qui reijciuntur ab hac disputatione.

Quinque puncta discutienda sunt, & quę.

actualiter peccantes. Quæstio ergo adhæc 5. puncta restringitur. 1. An aliquibus, siue infidelibus, siue fidelibus, grauibus tamen peccatoribus, Deus in pœnam peccatorum, vel perpetuò, vel ad tempus deneget gratiam sufficientem; ita quòd remaneant obcæcati, carentes nempè illuminatione, & inspiratione. 2. An infidelibus continuò Deus concedat gratiam sufficientem, qua possint credere, vel saltim, qua illuminentur ad dubitandum de sua Religione, & quærendum viam, qua possent de veritate institui. 3. An fidelibus peccatoribus continuò Deus det gratiam sufficientem, qua illos excitet ad resipiscendum: insuper, an gratiam hanc eis concedat, quando vrget obseruantia alicuius diuini, vel naturalis præcepti, vt possint illud implere. 4. An hominibus iustis Deus continuò concedat gratiam sufficientem, vt omnia sua opera sint sancta, ac meritoria; an saltim quando vrgent obseruantiæ præceptorum diuinorum, ac naturalium. 5. An iustis Deus concedat gratiam sufficientem ad perseuerandum, seu ad posse perseuerare in gratia, siue ad tempus, siue vsque ad vitæ exitum.

Notabilia sunt, quæ discutiuntur.

510. Dico 1. Interdum ob plura, & grauia peccata Deus pro aliquo tempore priuat gratia sufficiente, illuminatione, scilicet, ac inspiratione homines aliquos scelestos, siue infideles; siue etiam fideles in pœnam talium peccatorum, quæ priuatio dicitur obcæcatio, & induratio.

Aliquibus excæcatis deest gratia sufficiēs

511. Prob. primò. Hæc priuatio sub vocabulo *excæcationis*, Isaiæ 6. 11. dicitur imprecatiuè contra populum peruersum, ac idolatrantem, *excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne videant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, & conuertantur,*

Ex Isaia.

tur, & sanem eos. Interl. *Populi*, dicit, *tàm nequam*. V. *oculos eius claude*, dicit, *ostium peccatorum*: &c. Glos. ord. V. *excæca*, ait, *Prævidens Propheta cæcitatem superventuram in Israel, vt plenitudo Gentium intraret ad fidem, dicit, Domine excæca cor populi huius. Si enim populus hic excæcatus fuerit Gentes illuminabuntur. Nec est Dei crudelitas, sed misericordia, infidelibus excæcatis, humiles illuminare. Vndè quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?*

Ex Glosis.

512. S.Augustinus contra Pelagianos in *Hippogn.lib.6.* impugnans eos dicentes, quòd Deus vult omnes homines omninò saluos fieri, vtitur hoc Isaiæ loco, inquiens. *Quæro à vobis, vt dicatis mihi, quare Deus, qui vult omnes homines saluos fieri, quorumdam, vt dicit Isaias Propheta, excæcat oculos, ne videant, & obdurat corda, ne intelligant, ne conuertantur, & sanentur; quod verum esse Ioannes Euangelista confirmat, dicens de Iudæis; propterea non poterant credere, quia dixit Isaias excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos*: & in Euangelio secundùm Marcum, *vobis datum est nosse mysterium Regni Dei: illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt; vt videntes videant, & non videant; & audientes audiant, & non intelligant, ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata.*

Ex S. Aug. pluries declaratur hęc excæcatio.

513. In lib.5. cont.Iul. cap.3. ait. *Cæcitas, quam solus remouet illuminator Deus, & peccatum est, qua in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum digna animaduersione punitur, & causa peccati, cum aliquid mali cæci cordis errore committitur*: igitur dantur homines, qui ob peccatorum enormitatem, in pœnam eorum á Deó excæcan-

Cęcitas est illuminationis priuatio.

cæcantur, ideſt, priuantur illuminationibus, & inſpirationibus ad bona cognoſcēda, & volenda: & hoc eſt quod dicitur Pro. 18. 3. *Impius cũ in profundum venerit contemnit: ſed ſequitur eum ignominia, & opprobrium.*

514. In lib. de Prædeſt. & Gratia cap. 4. in fine loquens de duritia cordis, & obcæcatione, dicit. *Indurare enim Deus dicitur, quem mollire noluerit. Sic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit. Sic etiam repellere eum, quem vocare noluerit.*

515. Prob. 2. ſub eodem vocabulo excæcationis, ex 2. Cor. 4. 4. *Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.* Ex Paulo exc͏̧ecatio.

516. S. Auguſtinus in lib. 21. contra Fauſtum cap. 9. diſcutiens hunc Pauli locum, dicit. *Cum diabolus ſuggerit, homo conſentit, Deus deſerit. Quo circa in opere malo, ideſt excæcatione infidelium, ſi intelligatur, & diabolus propter ſuadendi malignitatem, vt ſic diſtinguatur Deus huius ſæculi, non mihi videtur abſurdum; neque enim ſine additamento dicitur Deus, cum adiungitur huius ſæculi, ideſt hominum impiorum, non niſi in hoc ſæculo florere volentium.* Siue ergo Diabolus poſitiuè excæcet infideles, ſiue alios impios homines ſuggerendo praua obiecta, & alliciendo pro ſuo poſſe ad eorum concupiſcentiam, ſiue ex ſe ipſis homines à ſuis naturalibus concupiſcentijs alliciantur, & diſtrahantur, vt dicit Sanctus Iacobus, & ſemetipſos excæcent; à Deo per negationem illuminationum excæcati remanent. Neque propterea ſequitur, quòd ante talem obcæcationem poſitiuam per concupiſcentias vndecumque exortam, non fuerint aliquando illuminati, ſicut in præcedentibus

Diabolus dicitur Deus huius ſæculi ex Auguſt.

Excæcati antea fuerunt illuminati.

Ca-

Capitibus abundè probauimus.

517. Prob. secundò eadem priuatio gratiæ sufficientis à Deo proueniens sub vocabulo *indurationis* de qua sæpè loquitur Sacra Scriptura : Exodi 4. 11. & in cap. 7. 3. Deus dicit Moisi, *Ego indurabo cor Pharaonis*, & cap. 9. 12. *indurauitque Dominus cor Pharaonis*; quæ formulę loquendi vsque ad cap. 14. pluries replicantur: deindè Deuter. 3. 30. & Iosue 10. 20. & alibi sæpè in Veteri Testamento. In Nouo verò habemus tria loca, Ioann. 12. 40. Act. 19. 8. & Rom. 9. 10. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*: omnes autem Sacræ Scripturæ interpretes hanc indurationem docent esse gratiæ, seu auxilij diuini subtractionem. S. August. in lib. de Prædest. & Gratia cap. 6. pluribus declarat hanc indurationem: declaransque primò locum Pauli, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, ait, *quasi diceret, cui vult miseretur, & cui non vult non miseretur. Itemque hoc ipsum rursus intelligat, quasi diceretur, cui vult donat, & à quo vult debitum poscit*: & infra explicans illud Exodi, *Ego indurabo cor Pharaonis, ne dimittat populum*, ait, *Quid est enim indurabo cor, nisi non molliam? Apparet enim in alios manente iustitia, in alios gratia profluente, Scripturæ sententiam fuisse completam*.

Induratio etiam significat priuationem illuminationis.

In vtroque Testamento legitur induratio.

Ex S. Aug.

Idem S. Doctor in libro de essentia Diuinitatis declarans quędam opera, quę de Deo in Sacra Scriptura dicuntur, *vt obliuisci, dormire*, &c. de *indurare*, dicit, *indurare dicitur Deus quorumdam corda; sicut de Pharaone Rege Ægipti scriptum est; non quod omnipotens Deus per potentiam suam corda eorum induret; sed exigentibus eorum culpis, cum duritiam cordis, quam ipsi sibi mala perpetrando nutriunt, non aufert; quasi ipse eos induret, quia*

Pluries sic declarat indurationem.

quia iusto iudicio indurati sunt.

Et in lib. de Prædest. & Gratia cap. 14. de induratione Pharaonis loquens, duo dicit; primò, quòd iustè eam sit passus: secundò, quòd *si piè de Deo, vt expedit, sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus. Patientia enim Dei ei valere debuit ad salutem, qua differens iustum, meritumque supplicium, miraculorum verbera crebra densabat.*

Etiam Pharao prius fuit illuminatus.

518. Dico 2. Ex reuelatione explicita non habetur, quòd Deus quolibet temporis momento aliquo vocationis internæ modo vocet, seu illuminet infideles ad credendum, vel saltem ad dubitandum de sua Religione, & quęrendum veram.

Non est reuelatum, quod Deus continuò vocet infideles.

519. Prob. 1. Nullibi in Scriptura legitur; omnia enim loca, quę adduci possent, probant solùm ad summum, quòd omnibus datur auxilium sufficiens, non verò, quòd singulis momentis Deus illud pręstet: & ad summum concluderent hoc esse probabile non solùm pro infidelibus, sed etiam pro fidelibus; at non concluderent esse reuelatum explicitè.

Script. loca, quę pro affirmatiua adducuntur non concludunt.

520. Primus Scripturę locus, qui adduci posset pro continua gratia sufficienti vocationis ad fidem, desumitur ex cap. 1. Prou. 4. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, &c vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.* Sed locus hic probat ad summum, quòd Deus vocat omnes, sicut in suo loco probauimus; at non probat, quòd continuò, & in quolibet momento id faciat, & cum omnibus infidelibus: maximè cùm maior eorum pars sit obcæcata, & indurata in pœnam peccatorum.

1. locus ex Prou.

521. Secundus locus desumitur ex Isaiæ 65.

expandi manus meas tota die ad populum incredulum, & contradicentem mihi: sed locus iste probaret tātùm de populo Iudaico, ad quem Deus per Prophetas loquebatur; & tamen non quotidiè, neque singulis momentis Prophetę populo prędicabant, quòd de Iudæis loquuntur, dicunt Glosæ Interl. & Lyran. & Textus ipse, dicens; *populus, qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam semper*, *qui immolant in hortis; & sacrificant super lateres, &c. qui comedunt carnem suillam, & ius prophanum in vasis eorum: hæc erant Iudæorum delicta*. V. *tota die*, in quo fit vis, non vrget, nam Interl. dicit allegoricè *tota die passionis*. Lyran. literaliter, *tota die*, dicit, *ab antiquo vsque ad præsens per Prophetas; postea per me ipsum incarnatum*.

3. locus ex Isaia.

Diuersi sensus Isaiæ loci.

522. Tertium argumentum sumitur ex Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij dicit Dominus Deus, & non vt magis conuertatur, & viuat?* Sed hoc argum. probat contra eos, qui infidelibus omnibus omnem negant sufficientem gratiam: nos autem concedimus eis dari; at dicimus, non esse explicitè reuelatum, quòd pro quolibet temporis momento eis detur, sed aliquando; & hoc sufficit ad saluandam Textus intelligentiam.

3. ex Ezec.

523. Quartum argum. desumitur ex 1. Ioannis, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: sed hoc non probat, quòd singulis horis, ac momentis illuminet; sed quòd pro aliquo tempore illuminet; & ideò hoc argumento nos quoque vsi sumus in cap. 18. & 19. ad probandum, quòd Deus omnibus hominibus largiatur gratiam sufficientem.

4. ex Euangel. Ioan.

524. Quintum argum. desumitur ex Apocal. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit mihi*

5. ex Apoc.

bi ianuam, intraibo, & cenabo cum eo, &c. sed hoc probat quidem pulsationem, seu vocationem, at non continuam; immò neque vniuersalem omnium.

525. Sextum argum. desumitur ex aliquibus Pauli dictis. 1. Timot.4. *Qui est Saluator omnium maximè fidelium*, &c. Timot. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*: & ad Rom.10. *Ne dixeris in corde tuo quis ascendet in Cælum? prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo*. Sed, vt manifestum est, hęc, & alia similia dicta probant ad summum vocationem omnium; at non continuam, atque perpetuam, de qua est quæstio. 6. ex pluribus Pauli locis.

526. Septimum argum. quod videtur aliquid probare, desumitur ex Concilio Senonensi cap.15. dicente: *auxilium Dei circa hominem, semper est in promptu, & ne momentum quidem est, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset*. Sed in primis, hoc argum. non infringit nostram conclusionem, quę dicit, non haberi explicitè reuelatum, quòd Deus quolibet temporis momento aliquo vocationis modo omnes homines vocet ad opus salutis: at Concil. istud non docet oppositum. 2. nostra conclusio loquitur de infidelibus. 3. Concilium hoc non videtur approbatum; & licet mereatur aliquem honorem, non tamen obligat ad sic tenendum; eo vel magis, quia compræhendit omnes homines, & omne tempus vitæ; cùm tamen magna infidelium pars obcæcata, & indurata sit; & inter fideles, non pauci impij, pessimique peccatores execęcati reperiantur: Alij autem fideles, siue iusti, siue iniusti in se ipsis non experiantur continuas huiusmodi allertas vocationes, seu illuminationes. Immò, si infideles, cùm ad fidem veniunt, siue Gentiles sint, siue Turcę, 7. ex Conc. Senonensi.

Experientia docet non continuè homines vocari.

siue etiam Heretici, interrogentur, an, cùm in sua Religione viuerent, experti fuerint aliquas internas vocationes, vel dubitationes de sua Religione; vel incitationes ad inuestigandam aliam Religionem? Respondent, vel quòd aliquando habuerint, vel quòd raro, vel aliqui, quòd numquam, nisi pro ea vice, qua efficaciter vocati, venerunt ad fidem. Quod euidens signum est, non solùm non esse explicitè reuelatum, quòd omnes infideles continuò, & pro quolibet temporis momento vocentur: sed quòd neq; hanc continuam, immò neque frequentem vocationem experiuntur.

Neq; reuelatum est explicitè, quòd fideles peccatores pro omni momento vocentur.

527. Dico 3. neque est explicitè reuelatum, quòd fidelibus peccatoribus pro quolibet temporis momento Deus largiatur gratiam sufficientem, seu illuminationem, ac inspirationem ad pœnitendum, aliaue bona opera, *sicut oportet*, exercendum.

528. Prob. 1. eisdem argumentis nuper allatis: nuspiam enim hæc reuelatio explicitè habetur. Quamuis enim in tota Sacra Scriptura vtriusque Testamenti maxima Dei misericordia commendetur, & misericordia superexaltare dicatur iudicium: tamen iudicium, seu iustitia quoque sæpissimè prædicatur, ideò in psal. 100. ait Dauid, *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*. Alioquin nullus reperiretur peccator, nullus damnaretur; omnes essent iusti; omnes salui, cuius contrarium experimur, & credimus. Adhuc autem Dei exaltatur misericordia, dum peccatores sibi ingratos sæpissimè ad pœnitendum excitat.

Exaltatur Dei misericordia, si aliquoties peccatores vocantur.

529. Prob. 2. experientia, quam quilibet Christianus Catholicus in semetipso potest habere, cùm in peccatum incidit, & maximè si est recidiuus,

cidiuus, aut consuetudinarius; vel rarò confitetur; aut semel in anno: hic enim suis negotijs domesticis, vel publicis incumbit, vel in suæ professionis exercitio sedulus est, & totus in eo positus, si Lector, si Iudex, si Aduocatus, si Notarius, si Artifex, si Agricola, &c. quilibet enim horum, dum suo muneri incumbit, nullam experitur cogitationem ad pænitendum. Si autem sordidis occupatur negotijs, vt vsuræ, concubinatus, meretricij, &c. dum ijs incumbit experitur se totum tunc in eo esse, & de opposito nihil cogitare. Sic de vindicatiuo, & de alijs hisce peccatoribus discurrendum. De studentibus pariter euidens est, quòd dum per plures horas in discutiendis legum difficultatibus sunt immersi, nihil de pœnitentia, alijsue præceptorum operibus cogitant; igitur non singulis momentis à Deo vocantur, sed, vt dicemus, statutis à diuina sapientia, atque prouidentia temporibus.

Conclusio probatur experientia.

530. Dico 4. neque est explicitè reuelatum, quôd hominibus iustis Deus continuò, & singulis momentis concedat gratiam sufficientem ad omnia, & singula opera perficienda, sed statutis temporibus.

Neque est explicitè reuelatum, quòd iusti continuò vocantur.

531. Prob. eisdem argumentis. Nusquam enim in Sacra Scriptura legitur hoc pactum, seu hæc promissio; vel assignetur vbi

Experientia id docet.

532. Prob. 2. experientia. Quiuis enim Catholicus potest in semetipso experiri; quòd dum omni qua potuit diligentia suorum peccatorum confessionem fecit, absolutionemque obtinuit; insuper, & sacratissima Eucharistia refectus est; non continuò, & singulis momentis obtinet illuminationes, ac inspirationes ad facienda aliqua opera sancta; sed aliquando, ac interpolatis temporibus,

bus, & dum vrgent præcepta: ergo

533. Probari poteſt generaliter de omnibus, ſiue infidelibus, ſiue fidelibus, & de his, ſiue peccatoribus, ſiue iuſtis, ſic. Omnis homo alicui profeſſioni præſertim intellectuali addictus; vt Philoſophiæ, Metaphiſicę, Mathematicæ, Aſtrologiæ, Algebræ, Iuriſprudentiæ, aut Theologiæ; dum in contemplando aliquo ſuæ profeſſionis puncto applicatus eſt, ita abſorbetur, vt extra ſe poſitus, & ſuimet oblitus videatur; & per multum tempus ſic remaneat: exemplum de Archimede preſtantiſſimo Mathematico adducere ſufficiat, cuius etiam S. Auguſtinus meminit *de Ciuit. lib.* 1. *cap.* 6. Is enim cùm Siracuſæ Ciuitas ipſius Patria oppugnaretur, & catapultis, cæteriſque bellicorum tunc temporis inſtrumentorum fragoribus, & oppreſſorum clamoribus quateretur, Matheſis, ac Geometriæ circulis pangendis ſic erat intentus, vt tot rumores, clamores, ac ruinas non aduerterit, & capta Patria in eiſdem operibus ſuæ ſcientiæ perſeuerans inuentus, occiſus ſit. Similes ferè diſtractiones præfati omnes profeſſores patiuntur, dum ſuis vacant ſtudijs, & plures horas, noctéſque integras, vt de multis audiui (quos numquam imitari curaui) in ſuis ſpeculationibus ſunt intenti, vt nullam aliam cogitationem, nec diuinam, nec humanam in ſeipſis experiantur. Iſti ergo, cuiuſcumque conditionis ſint, ſiue infideles, ſiue fideles; ſiue peccatores, ſiue iuſti, pro ijs temporibus, immò nec pro alijs functionibus, quas exercent, edendo, ludendo, dormiendo, &c. illuminationes, ac inſpirationes diuinas experiuntur: ergo Deus eas non largitur ſingulis momentis, ſed dum adeſt neceſſitas.

Quilibet profeſſioni alicui addictus hoc experitur.

534. Dico 5. Neque eſt explicitè reuelatum, quòd

quòd Deus largiatur iustis pro singulis momentis gratiam sufficientem ad perseuerandum in iustitia, seu gratia, siue ad tempus, siue vsque ad finem vitæ.

Neque explicitè reuelatum est quòd iusti singulis momentis gratiam sufficientẽ habeãt ad perseuerãdum.

535. Prob. eisdem prorsus argumentis; negatione nempè reuelationis, & experientia contraria. Complures siquidem iusti speculatiuis scientijs præditi sunt, in eisque immorantur; & quamuis aliquando, & pluries incipientes sua studia, illa ad Deum referant, & pro eo, & proximorum beneficio velint ea facere; cùm tamen in eis progrediuntur, & speculationibus insistunt; alias cogitationes non experiuntur. Gratia autem sufficiens ad perseuerandum in accepta iustitia, aliud non est, nisi diuina illuminatio, ac inspiratio, vt quis progrediatur in operando bonum precepti, vel consilij, & cauendo malum: has autem cogitationes, iustus cùm speculatiuis scientijs, vel artibus, alijsue similibus functionibus incumbit, experitur se non habere: ergo non habet continuò, & singulis momentis; quilibet enim de suis actibus internis, vt sunt excitatio intellectus, & inspiratio voluntatis ad bonum opus supernaturale, potest testari.

536. Dico 6. Piè tenendum est, quòd Deus gratiam sufficientem largiatur infidelibus, siue mediante Missionario, alioue externo modo; siue immediatè per seipsum tantùm, absque externo medio, in diuersis temporibus, pluribusque vicibus iuxta æternam suæ sapientiæ, & prouidentiæ nobis occultam dispositionem.

Piè tenendum, quòd Deus pluries vocet infideles.

537. Prob. Id piè tenendum est de Deo, quoad rationalium creaturarum gubernium, quod eius iustitiam cum misericordia commendat, & Sacræ Scripturæ non est contrarium; sed potiùs con-

consonum: sic se habet hęc sententia: ergo. Maior secundùm omnes suas partes pio intellectui est euidens. Nam *Misericordia Domini plena est terra; & miserationes eius super omnia opera eius*: & Ecclesia in suis collectis dicit, *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo, & miserando maximè manifestas*: & Dauid in psalm. 100. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*. Si autem pluries vocet infidelem, quamuis respuentem, magis commendatur illius benignitas, & misericordia: ergo sic existimandum est facere.

Fundamentalis huius piæ credulitatis ratio.

Min. prob. quòd hęc sententia non sit contraria Sacrę Scripturæ, sed consona, ex Christi clarissimo oraculo Matth. 23. *Ierusalem, &c. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & renuisti?* Igitur non vna, sed pluribus vicibus Deus vocat, ac illuminat infideles, quamuis isti vocationem reijciant.

Ex Christi oraculo colligitur, quòd pluries vocat.

538. Prob. 2. Omnia loca, quę adducebantur ab ijs, qui docebant continuò homines à Deo vocari (quod reiecimus) saltem verificari possunt de multiplici vocatione. V.g. illud dictum Apocal. *Ego sto ad ostium, & pulso*, nequit intelligi de vocatione simplici per modum transeuntis, sed per modum stantis, & assiduè pulsantis.

Omnia argum. adducta pro cõtinua vocatione, probant multiplicem.

539. Confirmatur ex facto pro infidelibus Non enim pro vna vice Deus in Veteri Testamento misit Prophetas ad prędicandum Regibus, ac Populis Samarię, qui erant Apostatę à fide; sed pluries, vt ex libris Regum, ipsorumque Prophetarum patet. Neque vna tantùm vice misit Prophetas ad ipsosmet Reges Iuda Idolatras; vt ex eisdem libris Regum, & Prophetarum constat. Immò, vt à lege naturæ incipia-

Exempla S. Script.

mus. Deus deleturus mundum per diluuium visus est Noe, vt Propheta, ex Augustino de *Ciuitate lib.* 18. *cap.* 38. prædicante pœnitentiam, & mundi destructionem secuturam per diluuium, nisi pœniterent, & saluandos esse eos tantùm, qui in Arca, quam formabat, reperiendi erant: at formatio Arcæ durauit per annos centũ, nã vt ex Sacra Scriptura docet S. Augustinus de *Ciuit. lib.* 15. *cap.* 27. cæpit eam fabricare ętatis suę anno 501. & diluuium accidit anno ętatis suæ 601. vt etiam Salianus notauit in Noemo. Igitur non semel, aut bis, aut centies, sed plusquam millies, & vltra, per Noe Deus vocauit ad pœnitentiam totam gentem illam peccatricem in peccatis sensus habituatam.

Exemplum de lege naturæ.

Centum annis durauit formatio Arcę.

540. Idem dicendum de Ægiptijs, ipsorumque Rege *Cencres Pharaone*: totum enim populum illum, ac Regem per Moisem, & Aaron ad sui obedientiam, & cultum vocauit, & vocationem tot miraculis, decem scilicet plagarum, confirmauit. Hæc autem miracula per annum integrum patrata sunt: & vt supra dixi de Samaritis, ipsisque Iudæis, cùm Deus illos corrigendo per Prophetas ad pœnitentiam vocauit, non semel, aut bis, sed sæpissimè Prophetæ illis locuti sunt.

Exemplum de Ægiptijs

541. Idem dicendum de Regibus Caldeorum, Persarum, ac Medorum in Babilonia regnantibus, nempè Nabuchdonosore, Balthasarre, Dario, & Ciro. Cùm enim sub illis Iudęi transmigrati per annos 70. manserint, multis miraculis Deus vocare visus est Reges illos, ac eorum populos. Etenim quatuor pueri Iudæi, Ephebi Nabuch, ne cibis immolatis contaminarentur, rogarunt nutriri leguminibus, atque

Exemplum de Caldeis

aqua; & tamen poſt decem dies, *vultus eorum apparuerunt pulchriores, & corpulentiores ijs, qui veſcebantur cibo regio*: tres ex ijſdem nolentes iuxta fidem Moſaicam adorare ſtatuam Nabuch, iniecti in ardentem fornacem, illæſi ſeruati ſunt, & flamma combuſſit Miniſtros eam incendentes: qua de cauſa Nabuch ſub pœna capitis prohibuit blaſphemari Deum Iudæorum: & tamen infidelis, ac Idolatra cum ſuis permanſit. Daniel pluribus ſignis, ac miraculis quatuor illos præfatos Reges docuiſſe videtur fidem veri Dei; primò dum cum alijs tribus leguminibus, & aqua tantùm nutritus pulchrior, & corpulentior apparuit ijs, qui cibo regio veſcebantur. 2. cùm ex Dei reuelatione manifeſtauit Nabuch viſionem ſtatuę ex diuerſis metallis compoſitæ, quam Rex in ſomno habuerat, eamque illi declarauit, quòd ſignificabat Imperium, ſeu Dominium, quod ſucceſſiuè diuerſis Nationibus poſt Nabuch contingere debebat; & quòd lapis ille, qui ſine alicuius opera ex altiſſimo monte euulſus, cadenſque ſuper pedes ſtatuę eam comminuerat, ipſeque lapis creuerat in montem immenſum, ſignificabat Meſſiam de Cęlo ſine humano opere conceptum venturum, & dominium Romanorum ſubiugaturum, eiuſque fidem, ac poteſtatem totum mundum peruagaturam. 3. cùm eidem Nabuch explicauit aliam viſionem arboris ramos expandentis per totam Aſiam, fructus pulcherimos afferentis; & vidit beſtias terræ ſub ea paſcentes, & aues cœli ſuper ea commorantes; deinde Sanctum de cœlo deſcendere, ac dicere *ſuccidite arborem, & diſſipate illam; attamen germen radicum eius in terra dimittite*: Et Daniel explicauit, arborem illam eſſe dominium Nabuch, quod ex Dei iudi-

Miracula corã. Caldeis facta.

Multa pro Caldeorũ vocatione exempla.

iudicio erat ei ad tempus auferendum, & post annos octo eidem restituendum. Et sic accidit; quia mente captus, ab hominibus segregatus in desertis cum feris habitauit, fænum, vt Bos comedit; deindè ex Dei misericordia ad se rediens, regimen reassumpsit. Propterea consilium ei dedit, vt *peccata sua eleemosinis redimeret*; quod non legitur fecisse. Ecce quoties Deus excitauit Regem illum, suumque populum: hęc omnia iam viderat, & audierat Balthasar filius Nabuch; & tamen cum suo populo in Idolatria prosequebatur: & Deus iterum per Danielem eum, Optimatesque Regni excitauit, dum in solemni conuiuio cum Regni Principibus profanans vasa Templi, quæ pater suus ab Ierusalem attulerat; in muro aulę conuiuij apparuerunt digiti scribentes, *Mane*, *Thecel*, *Phares*, quæ iuxta Danielis explicationem significabant finem sui Regni, suęque vitæ, & tamen nihil ex illa excitatione profecit, sed conuiuium prosecutus, vino tandem temulentus eadem nocte per Darium, vita, ac Regno priuatus fuit. Hæc omnia, quæ diximus, sciuit Darius successor; & alia duo vidit ex Daniele stupenda miracula; ex persecutione, siquidem aulicorum, Daniel ob veri Dei fidem bis in lacum Leonum missus, illæsus inde euasit: primò cùm Sacerdotum Idolorum fraudem prodidit, qui dicebant suum Idolum comedere; at ipsimet noctu in cauea sub altari cibos immolatos comedebant, deindè draconem à populis adoratum incendit. Secunda autem vice, cùm contra edictum Regis, ne per certum tempus aliquod Numen oraretur, pręter Regem, accusatus fuit Daniel, quòd oraret conuersus ad Ierusalem, & tunc in lacum Leonum missus, à Deo protectus fuit, ne à Leonibus

Nabuch pluries vocatus cum suo populo

Balthasar pluries vocatus.

Darius pluries vocatus.

lęderetur, & visitatus à Propheta Abacuch, quem Deus per Angelum capillo capitis sui asportari fecit è Iudæa in Babilonem cum prandio, quod melioribus ferebat: & viso miraculo illæsionis à Leonibus, Rex educto Daniele de lacu, statim in illum immitti iussit Danielis accusatores, quos antequam ad laci pauimentum peruenirent, Leones lacerarunt, ac deuorarunt: alia Danielis facta omitto. Ecce quot vicibus Deus Reges illos, populosque Caldeos, Medos, ac Persas excitauit ad cognoscendam, atque credendam Iudæorum fidem.

Duo miracula vidit.

542. Sed à factis Veteris Testamenti transeuntes ad facta post euulgationem Noui, tot vicibus noscimus, Deum excitasse Regulos, Imperatores, & omnes Gentiles Populos; quot martiria, & miracula in Dei seruis illi conspexerunt: ex quibus miriades hominum, ipsique iudices, atque carnifices conuersi sunt ad fidem; cæteris autem excitatis, ac inspiratis respuentibus, & in sua perfidia remanentibus. Omnes autem prædicti Reges, Principes, ac Populi, vel proprio, vel alieno auditu, Christi, ac Sanctissimæ Trinitatis fidem à martiribus illis prædicari audierunt, eamque reiecerunt. Alias autem immediatas Dei vocationes, seu excitationes, ac inspirationes infidelium eis immissas, siue per recordationem talium prædicationum, siue per sufficientiam martiriorum, ac miraculorum ab eis patratorum, siue alio modo à Deo immediatè in eorum animas immissas, ego nequeo referre; quia nescio; ipsi sciunt: hoc vnum scio, & firmiter credo, quòd *Deus diues est in misericordia, & miserationes eius super omnia opera eius*; ideòque existimo, quòd sæpè infideles omnes, aliquibus modis mediatè,

Exempla plurium vocationum earumdem personarum ex Nouo Test.

ac immediatè ad fidem veram excitet, ac inspiret; ipsi autem excitationes, ac inspirationes respuant, ac reijciant: Sibi imputent.

543. Tandem (quamuis de vno populo incredulo sępissimè à Deo vocato ad fidem, ac pęnitentiam) insignem locum habemus Isaiæ 65. 2. quo postea vsus est Paulus Rom. 10. 21. Isaias ex parte Dei contra populum ab initio, & semper Deo rebellem idolatrantem, & contumacem, ait: *Ecce ego ad Gentes, quæ non inuocabant nomen meum; expandi manus meas tota die ad populum incredulum,* (Paulus loco citato addit, *& contradicentem*) *qui graditur in via non bona post cogitationes suas: Populus, qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam semper; qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres, qui habitant in sepulchris, & delubris Idolorum,* &c. Glos. ord. *tota die,* inquit, *ei benefaciendo ex quo illum eduxi de Ægipto. Incarnatus quoque infirmitates eorum curaui, mortuos suscitaui, paucis panibus eos paui: ipsi tamen semper fuerunt increduli.* Glos. Lyr. *tota die,* ait, *ab antiquo vsque ad præsens per Prophetas, postea per meipsum.* & V. *expandi manus meas,* dicit, *volens ad me trahere;* & ideò per Isaiam cap. 5. 5. de eo populo sub vineę nomine conqueritur, *iudicate inter me, & vineam meam: quid debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei?* multoties ergo, multisque visibilibus, ac inuisibilibus modis incredulam, & contradicentem Nationem ad veram fidem, & pœnitentiam excitauit, & vocauit. Idem autem de alijs populis incredulis, vt supra aliqualiter patuit, circa pertinentia ad salutem, puta fidem, ac pœnitentiam, dicendum est; non enim Deus fuit, aut est vnius populi, aut Nationis tantùm Deus, Creator, ac Pater; sed omnium

Ex S. Scrip. Deus pluries vocat incredulos

Exprobrat Deus incredulis multas vocationes.

nium Populorum, ac Nationum; nullamque Nationem sine remedio ad salutem necessario reliquit: ac proindè si populo Iudaico multiplicem vocationem existimauit necessariam ad salutem; ita pro alijs necessariam existimasse dicendum est, eamque pro sua benignitate omnibus impertiuisse.

De alijs Nationibus idem dicendum.

Tenendum quòd fidelibus vrgentibus preceptis Deus largiatur gratiam sufficientem.

544. Dico 7. De fidelibus loquendo, siue iustis, siue peccatoribus, tenendum censeo, quòd dum vrget obseruantia diuini, vel Ecclesiastici precepti, vt hoc possit obseruari, *sicut oportet*, Deus semper gratiam sufficientem impartitur.

545. Declaratur hæc conclusio, antequam probetur: & declaratio notanda est, quia ab ea dependent plurium dubiorum solutiones: sciendum ergo, quòd contingere potest, vt precepta diuina, vel Ecclesiastica duplici modo obseruentur; nempè *sicut oportet, & aliter quam oportet ad salutem*. Tunc obseruantur, *sicut oportet*, ad salutem, quando obseruantur propter Deum, vt scilicet obseruatio placeat Deo, sicut in suo loco declaraui; quia, ait Apostolus, *finis legis est charitas*, & hoc modo Christus Dominus semper operabatur inquiens Ioann. 8. 10. *Quæcumque sunt placita Patri, hæc facio semper*. Tunc verò obseruantur *aliter quam oportet*, quando non ex fine placendi Deo, sed ex vana gloria, vel politico, alioue mundano fine positiuo obseruantur. V.g. loquendo de diuinis negatiuis præceptis; aliquis non occidit, non furatur, non mæchatur, &c. non vt obsequium obedientiæ præstet Deo ea præcipienti, sed solùm, vt apud Principem, vel populum nomen bonum acquirat, & inde ad honores, ac dignitates promoueatur: vel ea obseruat, vt effugiat penas contra ea delicta statutas; nã

Vt obseruentur sicut oportet

Ode-

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Oderunt peccare mali formidine pænæ:

Sic etiam dicendũ eſt de præceptis diuinis poſitiuis,de cultu Dei,de honore parentũ,&c.Quò verò ad Eccleſiaſtica eadem diſtinctio eſt:quidã ſanctificant Feſta;Sacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuſcipiunt propter Deũ,vt Deo placeant:quidã verò propter mundũ ad captandã vanam gloriam, vel ad effugiendas pœnas contra omittentes ſtatutas. Illi qui præfata præcepta obſeruant propter Deum, obſeruant, *ſicut oportet*, qui verò propter mundum, ſeu prauum finem, dico,quòd obſeruant quidem, ſed aliter, quàm oportet: & ad obſeruandum primo modo, ideſt, vt poſſint ſic obſeruari, Deus ſemper concedit gratiam ſufficientem; & ſi iſta non reijcitur, concedit efficacem (iuxta ſua inſcrutabilia decreta) per quam impletur obſeruatio præceptorum, *ſicut oportet*: ad alium verò obſeruandi modum, non concedit gratiam ſufficientem, per quam poſſit quis eo modo obſeruare: ſed concedit ad non ſic obſeruandum; illuminat, excitat, ac inſpirat, vt abſtineat, & alio modo obſeruet. Hoc poſito

Quid ſit obſeruare aliter quàm oportet.

Ad obſeruandum vt oportet dat Deus gratiam.

546. Probatur nunc concluſio. Niſi adeſſet gratia ſufficiens, quando obſeruanda ſunt Dei præcepta, *ſicut oportet*, præcepta eſſent impoſſibilia. Sed non ſunt impoſſibilia; immò non grauia, ex Epiſtol. 1. Ioannis dicentis in *cap.* 5. *Mandata eius grauia non ſunt*; ſed vt ait Saluator, Matth. 11. leuia. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. Et Concil. Trident. *ſeſs.* 6. *cap.* 11. ſententiam aſſerentem, quòd Deus præcipit impoſſibilia, vt anathema damnatam dicit à Patribus, & ſubdit Auguſtini dictum, *Deus non iubet*

bet impossibilia; sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat, vt possis. Anteced. prob. Sine gratia Dei excitante, ac inspirante, mandata Dei impossibilia sunt obseruari, *sicut oportet*; & cum illa fiunt possibilia, vt ipsummet Concilium loco citato asserit, inquiens: *qui diligunt Deum sermones eius seruant: quod vtique cum diuino auxilio præstare possunt*: & hoc docuerant duo Concilia, *Mileuitanum canon.* 5. *Africanum can.* 8. in quibus decernitur, quòd indigemus gratia, vt possimus operari: ista autem sufficiens est, qua possumus benè operari; efficax verò est, quæ facit operari, vt in suo loco diximus: igitur si vrgente præcepto non daretur homini gratia sufficiens, scilicet excitans, ac inspirans ad operandum, præceptum esset impossibile.

Dei præcepta ex Dei gratia non sunt impossibilia.

Absurdum, quod sequeretur.

547. Prob. 2. paritate actuum disponentium ad iustificationem, qui sine gratia ista excitante, ac inspirante fieri non possunt, vt oportet. Ait enim Concil. Tridentin. sess. 6. canon. 3. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, ac pænitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit*. Ergo idem dicendum de obseruantia præceptorum, *sicut oportet*, nam ea in iustis disponit ad augmentum gratiæ, & gloriæ: in peccatoribus verò disponit ad pœnitentiam, & iustificationem. Si enim peccator obseruat præcepta propter Deum, vt scilicet ei obediat, ac placeat, signum est, quòd diligit eum, vel diligere illum incipit; ait enim Saluator Ioann. 14.15. *si diligitis me mandata mea seruate*: ergo à posteriori, qui seruat mandata propter Deum, illum diligit: & sic in vtroque

que hæc obseruantia præceptorum, *sicut oportet*, prærequirit gratiam sufficientem, vt possit fieri; efficacem verò, vt fiat, vt in suo loco diximus.

Arg. ab experientia.

548. Prob. 3. experientia, tàm iustorum, quàm peccatorum; & quisque, qui aliquando fuit in alterutro statu, expertus est, quòd vrgente præcepto; siue aliquo externè hortante, siue solo Deo internè loquente, excitationem, & inspirationem habuit ad implendum præceptum, quod Deus iubet; & si non reiecit inspirationem, sed impleuit, nedum sufficientem habuit gratiam, sed efficacem quoque: si autem non impleuit, vel ob vanam gloriam, aliumue mundanum finem impleuit, reiecit inspirationem, vt propter Deum, & sicut oportet, impleret.

S. August. ratio.

549. S. Augustinus in psalm. 56. inquit. *Non imperaret hoc Deus, vt faceremus, si impossibile iudicaret, vt hoc ab homine fieret. Si consideras infirmitatem tuam, deficis sub præcepto; confortare in exemplo; sed etiam exemplum multum est ad te: adest ille, qui præbuit exemplum, vt præbeat & auxilium*. Neque aliter cogitare possumus de bonitate, ac misericordia Dei, vt nempè imperauerit nobis ea, quæ viribus nostris facere non possumus; nam ita prorsus accideret, ac si cęco, & pedibus orbato pręciperes; vt ambularet, & recto tramite ambularet. De fide autem est, quòd sine Dei gratia nemo potest opus bonum ad salutem conducens operari; quod quidem ante omnes Sanctos Patres, & ante omnia Concilia docuit ipsemet omnium Conciliorum author Christus Dominus, Ioann. 15. *sine me nihil potestis facere*. Cùm ergo implenda sunt præcepta, *sicut oportet*, idest, non materiali modo, sed vt ad sa-

lutem conducentia, vt possit homo facere, ne sibi reddatur impossibile quod præceptum est; adest Deus præbens sufficientem gratiam illuminationis, ac inspirationis, per quam constituitur potens exequi; & si non respuit, habet à Deo adiutorium, quo etiam faciat, seu exequatur: Deus enim, qui incæpit, nisi homo deficiat, dat velle, & perficere; ex Tridentin. sess. 6. cap. 13.

Tenendum quòd vrgẽte tentatione Deus dat gratiã sufficientẽ.

550. Dico 8. Cùm adest vehemens tentatio contra aliquod Dei præceptum, tenendum censeo, quòd Deus præbeat tentato sufficientem gratiam, per quam possit tentationi resistere, eamque vincere.

551. Prob. eisdem argumentis, quibus probata est præcedens concl. quia vrgente tentatione contra præceptum, vrget obseruantia præcepti; ideòque est necessaria gratia illa, per quam quis possit implere præceptum, & sine qua non potest: nihilominus probatur etiam alijs argumentis. In 1. Corinth. 10. 13. asserit Apostolus, quòd Deus dat auxilium in tentationibus, vt possimus resistere, & non succumbere: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari vltra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis resistere.* 2. Tentationes vinci non possunt sine gratia Dei, *ex Concilio Diospolitano canone 12. & ex Cælestin. 1. Epistol. 1. cap. 6.* Quilibet enim in semetipso experiri potest, quòd dum graui aliqua tentatione premitur, excitatur, & inspiratur à Deo, vt ei resistat, & petat à Deo immediatè, vel Sancti alicuius Aduocati inuocatione, vt eam superet. Quòd si tunc à passione aliqua concupiscentiæ, vel iracundiæ agitatus, excitationem, ac inspirationem resistendi, & auxilium

Ex Apostolo.

Sine gratia tentatio vinci non potest.

 inuo-

inuocandi non curat, reijcit, ac respuit, succumbit: ideò quotidiè, & sæpè petimus à Deo, *ne nos inducas in tentationem*, idest, non permittas nos à tentatione superari; sed fac, vt nos eam superemus, ac vincamus. Prestò ergo est benignissimus Deus, cùm à Demone, vel à nostris concupiscentijs tentamur, illuminans, ac inspirans, vt resistamus, & ab eo adiutorium petamus, vt vincamus; & cum ex corde petimus, ex eius adiutorio vincimus; si autem petere omittimus, vincimur. Cauendum tamen est, ne solo ore petamus, sicut monet Augustinus, & de se ipso fatetur aliquando sic petijsse; *Petebam Domine, vt auferres à me concupiscentiam, sed solo ore; verebar enim, ne me exaudires, & auferres à me concupiscentiam, quam expleri malebam potiùs, quàm extingui.*

Toto corde orandus est Deus, vt adiuuet.

552. Dico 9. Tenendum censeo, quòd ad vitandum nouum peccatum, *sicut oportet*, Deus cuilibet prestat auxilium sufficiens.

Ad vitandũ nouum peccatum Deus dat auxilium sufficiens.

553. Prob. eisdem argumentis de impossibilitate: Nam abstinentia à peccatis à Deo precepta est, & peccatorum commissio incessanter in Sacra Scriptura prohibita est. Cùm ergo cadat sub præcepto, vt in actu poni possit, est necessaria gratia sufficiens, per quam homo potest, & sine qua non potest; quia ait Saluator, vt sæpè dictum est, *sine me nihil potestis facere*; frustra autem preciperetur abstinentia à quouis peccato, nisi homo haberet à Deo vires ad posse resistere: quia sic præciperetur aliquod impossibile; quod à Deo alienum esse, de fide tenendum est.

554. Dixi, & semper replicabo, *sicut oportet*; quia si aliquis abstineret à nouo peccato furti, adulterij, calumnie, &c. propter vanam, ac

mundanam gloriam, vel ob finem alium temporalem ad sic faciendum, gratia sufficienti non indigeret; quamuis etiam istam, vt mox dicam, experiretur; vt scilicet ob finem bonum abstineret, quamquam eam reijceret: ob finem siquidem supernaturalem Deus largitur supernaturale donum gratiæ, non ob naturales, & præsertim prauos fines.

Ad vitandum sicut oportet est necessaria.

555. Confirmatur experientia. Quilibet peccator, & maximè Christianus, & Catholicus, dum est in propinqua occasione patrandi nouum peccatum, si verum fateri velit (vt plerique fatentur) experitur in se Synderesim, seu conscientiæ remorsum, & monitionem quamdam ne offendatur Deus, seu ne præceptum violetur, dum agitur de peccatis occultis; & quando agitur de publicis, interdum Deus preter internum, quem immittit conscientiæ remorsum, ac illuminationem, & inspirationem, ne patretur peccatum, quo offenditur Deus, permittit externè etiam per aliquem moneri, ne peccet. Quotidiana autem experientia docet, benignissimum Dominum, nullam pretermittere occasionem, in qua homo tenetur bonum facere, & à malo abstinere, quin prestò sit cum sua gratia illuminando, & inspirando ad faciendum bonum, & ad abstinendum à malo: & hoc certè modo existimo intelligendum illum Apocalipsis locum, *ego sto ad ostium, & pulso*, & alia Sacre Scripture loca, in quibus commendari legimus Dei assistentiam ad illuminandum, & inspirandum homines ad faciendum bonum, & cauendum à malo; intelligenda inquam sunt in sensu accommodo, quando scilicet adest necessitas, regulariter loquendo; nam de bonis supererogatorijs loquar postea. Nunc autem

Deus præstat auxilium sufficiens, dum adest necessitas.

tem de bonis præceptis, & de malis prohibitis loquimur; pro quibus sequendis, ac vitandis gratia est necessaria, vt exequi, & vitari possint, ne talium executio sit impossibilis; & ita intelligendum *Concil. Senonense cap.15.*

556. Dico 10. Tenendum etiam est, quòd vt possit homo exercere opera quæcumque consilij, ac supererogationis, *sicut oportet*, Deus elargitur gratiam sufficientem. Ad exercenda opera consilij est necessaria gratia sufficiens.

557. Prob. eisdem argumentis; quia cùm ad ea sic facienda natura potestatem non habeat, nisi Deus concedat posse, opera illa essent impossibilia: igitur neque sub consilio cadere possent; frustraneum enim esset Dei consilium de re impossibili.

558. Prob. 2. Specialiter de consilij, ac supererogationis (idest non præcepti) opere, ex *Concil. Arauf. 2. canon. 11. Gratia Dei est causa, cur quis voueat*: Votum autem est opus consilij: ergo. Consequentia est euidens: nam actu vouere est effectus gratiæ efficacis; hęc autem sufficientem semper supponit, vt sibi connexam, non è contra. Dum enim quis opus bonum, siue præcepti, siue consilij facit, gratiam habet, quę illuminat, ac inspirat, estque sufficiens, & habet gratiam facientem facere, quę, vt sępè dictum fuit, est efficax. Concil. Arauc.

559. Prob. 3. Experientia. Omnes, qui se disponunt ad consilia exequenda, siue postea exequantur, siue non, experiuntur se, vel ex lectione alicuius libri spiritualis, aut canonici; vel ex auditione alicuius Concionatoris, aut alterius de operibus consilij loquentis, internè vocari, seu inuitari ad illud exequendum; & si exequitur ex gratia efficaci id habent: si verò non Experientia id docet.

exequi-

exequitur ex motiuo aliquo retrahente, & faciente reijcere vocationem, iam eam experti sunt se habuisse.

560. Dixi, & sæpè replico, vt possit exequi, *sicut oportet*, quia plures mundani ad opera consilij, & supererogationis se accingunt, & faciunt, non sicut oportet, idest, propter finem pietatis, alteriusue virtutis, sed propter mundanum finem: v.g. quis ingreditur Religionem, vt ei subueniatur de victu, ac vestitu, quibus in sæculo carebat; vel quia ex capite sedandæ inimicitię inter duas familias fuit obligatus ingredi Religionem; vel vt per ingressum Religionis fiat capax alicuius dignitatis, quam habere non poterat in sæculo. Sic & puellę, quę Moniales fiunt ex vi, aut metu, saltem reuerentiali, vel alio fine sęculari: sic qui fiunt Clerici, vel vt se retrahant à iurisdictione Principis sæcularis, & licentiosiùs viuant, vel vt Gabellas, & impositiones sæcularium effugiant: sic qui itinera peregrinationum longinquarum assumunt, solùm vt vxoribus, vel parentibus rem ingratam faciant; &c. hi, inquam, & similes, qui consilij, & supererogationis opera decernunt facere, vt sic, seu istis modis faciant, non egent gratia sufficiente, nec Deus ad his modis faciendũ inspirat: sed existimo quidem, quòd inspiret eos omnes ad ea opera assumenda ex motiuis virtutum Religionis, ac pietatis, vt ea opera prosint eis ad salutem; licet ad hęc motiua virtutum illi non reflectant, sed proprium sensum, propriamque passionem sequantur. Nihilominus pariter existimo, quòd cùm benignissimus Dominus stet ad ostium, & pulset eosdem, qui modum illum viuendi ex fine illo naturali, aut indifferente, aut non bono, seu non

Ad exequendum sicut oportet, Deus dat gratiam sufficientẽ, vt possit.

Nõ dat ob alia motiua mundana.

Etiamsi quis malo fine incœpit illuminatur ne prosequatur.

ex fine placendi Deo aggressi sunt, progressu temporis illuminet, ac inspiret, vt quod sine Dei motiuo aggressi sunt, ex eius motiuo saltim progrediantur. Et sic accidere experiuntur, & confitentur eiusmodi homines, vt ab aliquibus audiui; qui Religionem ingressi nihil de Deo, aut pietate cogitantes, at propter Deum excitantem, & adiuuantem postea prosecuti, veri, ac magni Dei serui euaserunt.

561. Dico II. Tenendum etiam est, quòd omnibus iustis Deus concedit gratiam sufficientem, vt possint in iustitia, ac sanctitate perseuerare, tàm ad tempus, quàm finaliter.

Deus dat gratiam sufficiētē, vt iustus possit perseuerare.

562. Prob. facilè ex hucusque dictis: primò, quia posse perseuerare in iustitia, seu gratia idem est ac posse abstinere à malo, posse adimplere pręcepta, posse superare tentationes ad malum inducentes: sed ex supradictis ad posse hæc omnia facere datur gratia sufficiens; ergo ad posse perseuerare in iustitia, seu sanctitate (gratia nempè sanctificante) datur gratia sufficiens.

563. Prob. 2. De perseuerantia in iustitia, seu sanctitate datur præceptum. Si autem Deus non largiretur posse, cùm natura ex se non habeat tale posse supernaturale, pręceptum illud esset impossibile. Anteced. prob. ex Matth. 10. 22. & ex eodem 22. 13. *Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* Omnia autem, quę ad salutem sunt necessaria, pręcepta sunt: igitur si perseuerantia est ad salutem necessaria, sub pręcepto cadit. Si autem non adsit in nobis posse, erit impossibilis.

Perseuerātia pręcepta est.

564. Prob. 3. Ad hoc facit damnatio primę propositionis Iansenij, in qua dicebatur, *Quòd aliqua Dei præcepta iustis volentibus, & conanti-*

bus sunt impossibilia ; deest eis quoque gratia, qua possibilia fiant, quę damnata fuit tamquam Hæretica. Si autem non daretur iustis gratia ad posse perseuerare in gratia per fugam peccatorum, & per adimpletionem præceptorum, fierent impossibilia eis hęc mandata. Ergo dicendum est, quòd iusti pro omni tempore, quo possent à iustitia, ac sanctitate cadere, habent posse non cadere, alioquin, si non haberent posse, idest gratiam, per quam possent, obligarentur ad impossibilia.

Ex damnatione primæ propositionis Iansenij arg.

565. Prob. 4. ex Concilio Tridentino, multa de perseuerantia docente, quæ magna consideratione digna sunt, & ad rem nostram faciunt. *In sess. 6. cap. 13.* dicitur. *De munere perseuerantiæ, de quo scriptum est, qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, quod quidem aliundè haberi non potest, nisi ab eo, qui potest eum, qui stat, statuere, vt perseueranter stet, & eum qui cadit restituere; nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi eius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*: & postea in *canone 22.* sic habetur. *Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse; anathema sit*. Plura hìc notanda: primò, quòd actualis perseuerantia sit Dei donum, & à gratia faciente facere proueniens, quia actu ponitur. 2. quòd Deus incipit hoc opus, & quòd si iustus non defuerit gratiæ eius, perficiet; at Deus incipit excitando, & inspirando; ista ergo gratia præcedit, quam si iustus non reijcit, Deus cum eo perficit. 3. quòd iustus non potest perseue-

Ex Concil. Trident. multa de hac re consideranda.

Actualis perseuerãtia est Dei donum.

ſeuerare, ſine ſpeciali Deo auxilio: igitur cùm perſeuerantia, tamquam neceſſaria ad ſalutem, præcipiatur; & ſine Dei auxilio, quod poteſt homo iuſtus reijcere, hic non poſſit eam ex ſe habere, ne fiat ei impoſſibilis, Deus gratiam ſufficientem concedit.

§. Vnicus.

Corollaria quædam ex præcedentibus Capitibus illata.

566. INfertur primò: Quòd datur quodam genus gratiæ dictę *ſufficientis*, contradiſtinctæ ab efficaci: & licet hoc nomen in hoc ſenſu fuerit gratię iſti impoſitum paulò poſt initium præteriti ſæculi; tamen quoad rem ab initio mundi, in Angelis ſcilicet, ac in Adamo extitit: deinceps verò in toto humano genere, quamuis non cum eodem ordine dimiſſionis, ſeu remiſſionis ad humanam voluntatem, vt ipſa det ei efficaciam, ſicut Angelis, & Adamo fuerat conceſſum, vt in ſuo loco diximus; ſed cum hoc ordine ad voluntatem, vt illam reijcere, ſeu reſpuere poſſit, ſi velit. Nomen ergo retinemus omnes, & conuenimus in ſignificato, licet quoad effectum, ſeu efficiendi modum, ſit controuerſia. Dicimus ergo, quòd illa gratia dicitur *ſufficiens*, per quam Deus excitat, ſeu illuminat, ac inſpirat homines ad faciendum actum aliquem conducentem ad ſalutem, ſiue per modum præcepti; ſiue per modum conſilij, puta ad cre-

Nomē gratię ſufficiētis nouum; ſed res antiqua,

Quænam ſit in re.

 dendum,

dendum, ſperandum, diligendum Deum, ac proximum: ad pœnitendum,& in iuſtis ad opera etiã ſupererogationis facienda: ſiue ſequantur hæc opera, ſiue non ſequantur, illa dicitur ſufficiens; vt ſequantur autem, requiritur alia gratia dicta efficax: illa ergo dicitur ſufficiens, quaſi in actu primo; quia dat poſſe facere; ſine ea enim non poteſt quis illa opera facere,& cum ea poteſt, ſed non facit ſine efficaci gratia: hæc ergo quoad nomenclaturam, & officium gratiæ ſufficientis ex dictis in proprijs locis.

567. Infertur 2. Verum, certumque eſſe, quod Deus ex ſua infinita benignitate, iuxta ſua æterna decreta omnibus pro loco, & tempore concedit gratiam ſufficientem ad poſſe operari ſalutis opera, tam infidelibus, vt ad fidem Catholicam veniant, quàm fidelibus, vt opera præceptorum, & conſiliorum faciant; & ex hominum defectu, qui reijciunt, ac reſpuunt gratiam illam, prouenire, quòd efficacem non concedat, vt ſcilicet faciant quæ fuerant inſpirata: & ſæpè notandum admonui, quòd Deus conqueritur de hominibus, non tantùm, quia non conſenſerint vocationibus; nam iuxta Pauli doctrinam ad Philipp. 3. *Deus dat velle, & perficere*; & Saluator Ioann. 14. *Nemo venit ad me, niſi Pater meus, qui miſit me traxerit eum*; ſed ſæpè conqueritur, quòd homines reſpuunt, & reijciunt vocationem, ſeu gratiam ſufficientem, propter quod ipſe eos reijcit. Claræ ſunt Scripturæ vtriuſque Teſtamenti. Prouerb. 1. 4. *Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret; ego quoque in interitu veſtro ridebo*: & Chriſtus Dominus Matt. 23. de hac reicientia vocationis cum Iudæis conqueritur. *Ieruſalem,*

Omnibus Deus eam concedit.

Multi eam reſpuunt: de his cõqueritur Deus.

Ierusalem quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Deindè comminatur eis mala ob eiusmodi respuentiam: & Sanctus Stephanus, *plenus Spiritu Sancto, ac fide, Act. 7.* quasi de maximo peccato arguit Iudęos tunc præsentes, & Patres eorum, quòd Spiritui Sancto resistebant, inquiens. *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis: sicut Patres vestri, ita & vos*: de seipsis ergo doleant, non de Deo.

Christus de hac respuentia conqueritur.

568. Infertur 3. consequenter ad modò dicta, quòd nisi admittatur, quòd omnibus fuerit concessa gratia sufficiens, non possunt cum sua proprietate explicari multa Sacræ Scripturæ loca, presertim duo illa mox relata, & alia in quibus exprobratur impijs, quòd ipsi sunt causæ suę perditionis: nam Oseæ 1.39. dicitur. *Perditio tua ex te Israel: tantummodò in me auxilium tuum*: & alibi, *numquid voluntas mea est mors impij*. 2. Petri 3.9. de Deo ait. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*. Hoc etiam modò in aliquo sensu saluatur Pauli dictum, 1. Timot. 2. 5. *Deus vult omnes saluos facere, & ad cognitionem veritatis venire*: & quomodò Ecclesia in vna collecta Veneris Sancti pro Hęreticis, &c. canit, *Deus, qui omnes saluas, et neminem vis perire*, & cętera similia dicta. Cùm enim neminem adultum saluet, aut iustificet, aut perseuerare faciat in iustitia, ac sanctitate, nisi per dona actualia gratiæ, vt in suis locis abundè cum Sacra Scriptura, & S. Augustino contra Pelagium probatum est: & experientia (supposita fide) notum sit, nec omnes homines saluari, nec omnes iustificari, quia omnis infidelium turba non iustificata perit;

Omninò admitti debet gratia sufficiens: aliàs absurda multa sequerentur.

Ratio clara.

nec omnes iustificatos perseuerare vsque ad exitum in sanctitate, euidenter concluditur, quòd isti omnes gratiam efficacem pro prædictis effectibus consequendis non obtinuerunt; & quamuis Deus (vt postea dicam) nulli teneatur vllam gratiam præbere; quia tamen ex suppositione, quòd voluerit, vt dixi, homines mediante gratia saluare per preceptorum obseruantiam, quæ sine gratia obseruari nequeunt, *sicut oportet*, per necessariam consequentiam infertur, quòd omnibus conferat gratiam sufficientem ad posse prædictos effectus præstare: ob cuius sufficientis gratiæ reiectionem, repulsam, ac resistentiam aliã gratiã quę efficax esset, non cõcedit: & sic iure merito Deus exprobrat, *vocaui, & renuisti, ex te perditio tua*: quasi dicat, nolui te perire; volui saluare, &c. tu restitisti quin facerem.

Supposita fide legis diuinæ obligantis; necessario admitti debet gratia sufficiens, dans posse.

569. Infertur 4. Supposita gratiæ sufficientis collatione pro omni hominum statu, & conditione, optimè intelliguntur duo præclara Concilij Tridentini loca, cur, & quomodò Deus deserat homines; vnum apertè pro iustificatis, aliud promiscuè pro omnibus. De primis in sess. 6. cap. 11. dicitur. *Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi priùs deseratur*. Iustificatus autem Deum deserit, quando per alicuius pręcepti positiui, vel negatiui inobseruantiam peccat, quia debuit obseruare; at existens in gratia habituali, non potuit per eam solam obseruare pręcepta, sed indiguit gratia, seu auxilio actuali, vt posset obseruare, & per hoc auxilium habet id, per quod fiat ei possibile ex *Constitution. Innocent. X. & Alexandr. VII.* Sed iustificati interdum peccant: igitur deseruerunt Deum, ideòque deserti fuere. At hęc, actina

Duo præclara Concil. Trid. loca ad rē declarantur.

deser-

desertio iustificati pronocans Deum ad illum deserendum, meo videri, non est ipsum peccatum, sed reiectio; ac respuentia auxilij sufficientis, ob quam Deus non prosequitur opus, quod incæpit excitando, & inspirando, conferens efficax perficiendo quod incæpit, vt mox dicam. De secundis promiscuis hominum conditionibus, iustificatis nempe, & non iustificatis, loqui videtur Concilium in eadem *sess. 6. cap. 13.* vbi, licet de perseuerantiæ munere loquatur; vnum tamen ad rem nostram dicit omni vocato accommodatum, correspondens alteri dicto *in cap. 5.* de omnibus etiam primò vocatis, ad iustificationem se disponentibus: in capite ergo 13. dicit: *Deus enim, nisi ipsi* (homines iusti) *illius gratiæ defuerint; sicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Iusti autem, & quicumq; alij, non deficiunt gratiæ efficaci, quia hæc facit facere effectum, & coniungitur semper cum facto. Ergo deficiunt gratiæ sufficienti, eam vt diximus reijcientes: & confirmatur ex verbis sequentibus, quia *Deus, qui incæpit opus, nisi defuerint illius gratiæ, perficiet, operans velle, & perficere.* Sed Deus incipit opus bonum per excitationem, ac inspirationem ex *cap. 5. & 6.* mox adducendis; hæc autem est sufficiens gratia: igitur, si hanc deserunt excitati, & inspirati, à Deo deseruntur, & opus bonum non perficitur. Sic puto discurrendum, ni fallor.

Quando iustificatus deserit Deum.

Quando homines desunt gratiæ, & cui.

570. In cap. 5. vbi de dispositionibus, ac præiudijs ad primam iustificationem per Baptismum obtinendam fit sermo, hæc habentur. *Ipsius iustificationis exordium in adultis, &c. à præueniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, &c. per eius excitationem, atque adiuuantem gratiam*

Quomodò reijci potest gratia, & quę ex Concil.

tiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando adiuuantur, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere potest. Ecce quomodò vocati abijcere possunt; & innumeri, præcipuè infideles, de facto abijciunt inspirationem.

571. Infertur 5. Quòd omni carent fundamento Doctores quidam, qui paucis abhinc annis negarunt dari gratiam sufficientem, cui voluntas resistere potest, & sæpè resistit, vt in toto hoc Opusculo probatum est, asserentes omnem gratiam efficacem; & hanc tantùm, non illam, nobis meruisse Christum. Elapsis annis, antequam eorum opera exactè perlegissem, excusabam eos, putans eorum sensum esse (sicut aliàs cum doctis Thomistis notaui) quòd omnis gratia in hoc sensu est efficax, quia aliquem, & proprium effectum habet; verbi gratia, Deus, vel mediante Concionatore, vel lectione alicuius libri, vel aspectu alicuius Martiris patientis pro fide, vel alio modo internè tantùm vocat, seu excitat, ac inspirat infidelem aliquem ad fidem: iste reijcit vocationem; tunc vocatio, seu inspiratio habuit effectum in vocato, ac inspirato, inspirauit enim, licet iste non consenserit: similiter peccator vocatur, & inspiratur ad pœnitentiam, reijcit vocationem, ac inspirationem, à sua concupiscentia distractus, ac illectus: item omnes, siue iusti, siue peccatores, vocantur, ac inspirantur ad exequenda diuina præcepta: si distracti ab alijs passionibus abijciunt inspirationes, istæ iam suum effectum formalem inspirandi hauerunt: & sic loquendo de operibus consilij, vel supererogatio-

Decipiuntur qui negant gratiam sufficientem.

Quomodo sufficiens habet suū effectum.

gationis; in hoc sensu benè diceretur, quòd omnis gratia est efficax in genere suo. At prędicti Doctores non sistunt in hoc sensu, sed dicunt nullam gratiam internam dari, cui resistatur, aut resisti possit: & ideò dico eos carere omni fundamento; tum quia in hoc sensu accepta sententia ista, iam damnata est in secunda propositione Iansenij; tum etiam; quia ex Sacris Scripturis iam patuit, dari gratias istas, quibus resistitur; & tandem si possem colloqui cum aliquo istorum, qui negant gratias istas sufficientes vocationum, ac inspirationum, quas homines non sequuntur, sed reijciunt, interrogarem illum, an aliquando expertus sit aliquas eiusmodi vocationes, siue circa obseruantiam præceptorum, siue circa obseruantiam consiliorum, aut supererogationum. Si diceret numquam habuisse, dicerem primò ei: Vel es excæcatus, vel omnium infælicissimus; quia nemo hominum caret aliquibus hisce vocationibus: 2. dicerem; si ex Dei beneficio non es excæcatus, & Dei præcepta, & consilium aliquod, aut supererogatorium opus obseruas, quęro an omnes diuinas vocationes, & inspirationes exequutus es, an non; si sic; igitur perfectus es; quod dicere non potes, & quia *septies in die cadit iustus*; & quia Ioannes inquit, *si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*; & nemo asserere potest se esse impeccabilem. Si verò diceret, vel quòd aliquando Dei pręceptum violauit, vel inspirationes ad consilia, & supererogatoria opera non est secutus, iam confitetur, se gratiam illam habuisse, quam, *sufficientem*, dicimus; eamque non fuisse secutum, sed respuisse: hanc ergo, quam expertus est, confiteretur; & hoc mihi sufficeret.

Discursus moralis authoris conuincēs.

Infer-

571. Infertur 6. Nedum fine fundamento, fed meo videri infulsè ab his fufficientis gratiæ hoftibus probari negatiuam, eo quòd dicant hanc gratiam, *fufficientem*, dictam, ad nihil inferuire; & pro hac non effe mortuum Chriftum. Contra primum ergo dictum fic infurgo: Donum illud Dei, fine quo opus bonum, fiue præcepti, fiue confilij fieri non poteft, dici non poteft ad nihil inferuire, fed multum inferuit, & de potentia Dei ordinaria, ac fecundùm præfentem Dei prouidentiam eft abfoluté neceffarium: Talis eft gratia, quam dicimus, *fufficientem*. Ergo. Minor plufquam centies probata hucufque fuit: quia fine diuina excitatione, feu illuminatione, aut vocatione (quę idem funt) ac fine diuina infpiratione nemo poteft credere in Deum, diligere illum, aut fperare in eo, aut pœnitere *ficut oportet*: hæc funt verba *Concilij Trident. feff. 6. canon.* 3. dicentis. *Si quis dixerit fine praueniente Spiritus Sancti infpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, diligere, aut pænitere poffe, ficut oportet, vt ei iuftificationis gratia conferatur, anathema fit*: igitur fine illa infpiratione non poteft homo actus illos facere; & cum illa poteft: & ita dici non poteft, quòd ad nihil inferuiat, fed abfoluté neceffaria eft. Adde, quòd idem Concilium docuit in eadem *feff.6.cap.5. Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipfe nihil omninò agat, infpirationem illam recipiens; quippe qui illam & abijcere poteft: neque tamen fine gratia Dei mouere fe ad iuftitiam coram illo libera fua voluntate poffit. Vnde in facris litteris cùm dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; libertatis noftræ admonemur: Cùm refpondemus: Conuerte nos Domine ad tę, &*

Sine fundamento impugnatur gratia fufficiens.

Sine gratia fufficiente nequit quis operari.

conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur. Ecce quod est illa inspiratio præueniens Spiritus Sancti, per quam Concilium statuit posse hominem credere, diligere, sperare, ac pænitere: & sic homo eam recipiens potest abijcere, si velit: hæc autem est illa gratia præueniens, quam voco sufficientem. Præterea maxima Deo, & Christo Domino irrogat iniuriam, & blasphemiam, qui dicit talem gratiam, seu vocationem, ac inspirationem, cui non est coniunctus effectus, sed reijcitur, ad nihil inseruire, cùm Deus etiam tales, qui eam abiecturi sunt, vocet, ac inspiret: Prou. siquidem 1. 4. de Deo dicitur. *Quia vocaui, & renuistis.* Item, *quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi semper hi errant corde, ipsi verò non cognouerunt vias meas*, &c. Psalm. 49. & Christus ait, *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Item, *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti?* & per totum triennium, & ampliùs prædicationis, & patrationis miraculorum, quid aliud fecit, quàm continuè externè, & internè vocare? Quid fecit Deus per 18. Prophetas in Veteri Testam. reprehendens populos, & ad bonum hortans? nonnè semper vocauit? Quid facit nunc in toto mundo per Missionarios in partibus infidelium, & per ordinarios prædicatores inter fideles? & tamen non omnes eas vocationes sequuntur. Deus hoc præuidit ab æterno, & Christus quoque preuidit sic futurum; & tamen Deus vocauit, vocat, & vsque in finem mundi vocabit. Audebit proinde blasphemus quis dicere, Vocationes ad nihil inseruiunt, & Deus frustra gratias vocationis largitur? Adde quod in eodem Concilio Tridentino insuper habetur in

Ex S. Scriptura colligitur gratia sufficiēs

Euidens discursus.

Comprobatur ex Conc. Trid

eadem *sess. 6. cap. 13.* vbi de Perseuerantiæ munere est sermo, inter cætera dicitur; *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent; Deus enim nisi ipsius gratię defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere*, &c. igitur Deus incipit cum auxilio præueniente opus bonum, cui auxilio sic præuentus potest deficere, illud nempè reijciendo; quòd si non deficeret, Deus cooperaretur perficiendo opus: quod clarè innuisse videtur S. August. in lib. 2. *de pecc. mer. & remiss. cap.* 17. inquiens. *Vt autem innotescat, & suaue fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates; qua vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est*: & paulò infra referens dictum Hieremiæ cap. 10. *Scio Domine, quia non est in homine via eius*, ait S. August. *tamquam diceret, scio ad correptionem meam pertinere, quod minus abs te adiuuer*.

573. Et huc ex eodem S. August. *lib. de Fide, & oper. cap.* 17. & in *lib. 2. contra Gaudentium cap.* 17. collimat insignis parabola Saluatoris Lucæ 14. de homine illo, qui fecit cœnam magnam, & inuitauit multos, & mittens seruum suum ad vocandum eos; isti diuersis excusationibus noluerunt ire: iterum mittens seruum ad vocandum alios pauperes, debiles, claudos, & cæcos introduxit in cœnaculum: & quia adhuc locus erat, misit tertiò seruum in vias, & sepes, vt compelleret alios intrare: & tandem dixit, *nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cęnam meam*: S. Doctor *de fide, & oper. cap.* 17. ait: *qui aduersantur Euangelio, non sunt inter eos deputandi, qui ad conuiuium nuptiarum venerunt; sed inter eos, qui venire noluerunt*: & in alio loco contra *Gauden-*

dentium vbi ſupra, dicit: *Exi in vias, & ſæpes, & compelle intrare: intelligimus vias hereſes, Schiſmata ſæpes. Viæ quippè hoc loco ſignificant diuerſas opiniones; ſæpes autem per diuerſas opiniones. Quid autem miramini, ſi non corporalis cibi, ſed ſpiritualis fame moritur quiſquis ad iſtam cænam, nec libenter introductus, nec violenter impulſus ingreditur*: hæc Auguſtinus. Si ergo recuſant intrare in Eccleſiæ cœnam vocati, ſibi imputent, ſi Dominus eos indignos reputat, inquiens, *Nemo illorum, qui vocati fuerunt, guſtabit cænam meam.* Non ergo inanis eſt gratia ſufficiens vocationis; alioquin Deus, nec vocaret, nec puniret eos, qui reſpuunt vocationem.

S. Auguſt. ſenſus de vocatis reſpuentibus

Contra ſecundum negantium auxilium ſufficiens dictum, quòd ſcilicet Chriſtus illud nobis per ſuam paſſionem non meruerit, ſic inuehor. Omnia dona ſupernaturalia, quæ nobis Deus largitur, etiam preuenientia auxilia, illuminationes, ac inſpirationes, quas homo poteſt abijcere, per Chriſtum Deus concedit: Ergò ea omnia nobis meruit Chriſtus: Euidens eſt conſequentia. Anteced. eſt ipſiuſmet Concilij Tridentini in *ſeſſ. 6. cap. 5.* vbi de exordio, ac diſpoſitione ad iuſtificationem adultorum, dicit. *Iuſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum Ieſum, præueniente gratia, ſumendum eſſe, hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur*, &c. igitur Deus concedit gratiam præuenientem vocationis, ac inſpirationis per Chriſtum, ideſt per merita Chriſti: *in cap. 7.* docet Chriſtum fuiſſe cauſam meritoriam noſtrę iuſtificationis: iuſtificatio autem pręrequirit gratiam excitantem, ſeu pręuenientem, ac inſpirationem ad faciendum actus fidei, ſpei, dilectionis,

Chriſtus gratiam etiam ſufficientem nobis meruit.

Ex Concil. Trid.

nis, ac pœnitentiæ ex eodem *in cap. 6. & can. 3.* & in eodem *cap. 7.* dicitur: *quamquam nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini Nostri Iesu Christi communicantur*: in *cap. 11.* de iustificatis dicitur; *piè viuentes proficere possunt per Christum Iesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam*. Accessus autem ad gratiam iustificantem habetur, vt ex nuper dictis, per gratiam præuenientem, & inspirationem habitam per Christum, & sine ea haberi non potest talis accessus in adultis: illa autem est gratia, quę dicitur *sufficiens*, quę, quando ei coniungitur efficax faciens facere actus illos credendi, sperandi, diligendi, ac pœnitendi, habet etiam annexam iustificationem, quę fit per remissionem peccatorum, & gratiam habitualem sanctificantem, quæ est causa formalis iustificationis. Si autem pręuentus per excitantem gratiam, ac inspirationem, eam reijcit, sicut potest facere, ex eodem Concilio, & ei non coniungitur efficax, nec iustificatio, non propterea dici debet, quòd non fuit præueniens gratia, & inspiratio, ex Christi merito impertita; sicut ex hoc, quòd quis non vtitur, vel abvtitur Sacramento Baptismi, vel alio, non propterea sequitur, quòd Christus non meruit etiam pro illo Sacramenta. Omnem ergo gratiam, omneque supernaturale donum Christus Dominus nobis meruit, quamuis nos ingrati eis abutamur, vel ea reijciamus.

Plura Cōcil. loca.

Argum. ad hominem.

Præterea Saluator *Ioann. 15. 5.* inquit, *sine me nihil potestis facere*: igitur per eum, idest per merita eius, seu per dona, quę ipse nobis acquisiuit suis meritis, possumus bona opera facere, præcepta seruare, & à peccatis abstinere. Sed sine gratia sufficiente, excitatione, inquam, & inspi-

Locus Io: ad rem.

inspiratione diuina ad bonum opus faciendum; non possumus opus illud facere, & cùm illa possimus: Ergo illam nobis Christus meruit. Omnia siquidem supernaturalia dona, quæ habemus, per Christi merita habemus; & propterea Sancta Mater Ecclesia quęcumque bona à Deo petit, per passionem, eiusque merita petit, concludens omnes collectas *per Christum Dominum Nostrum.*

574. Neque aliquid vrget instantia negantium sufficientem gratiam hominibus per Christum acquisitam, quia effectum principalem non sęper obtinet: innumeri enim tàm infideles, quàm fideles excitari, ac inspirati ad opus bonum, illud non efficiunt; & sic inaniter Christus gratiam illam meruisset. Respondetur enim, vt sępe diximus habere suum effectum, excitationem, & inspirationem passiuam, vt omnes experiuntur, quamuis non omnes exequantur id ad quod excitantur, quia excitationem, & inspirationem reijciunt, *quia vocaui, & renuistis*, &c. Si ergo de facto dantur istę excitationes, & inspirationes, sicut dici nequit, quòd eas Deus inaniter concedit; & ita neque Christus inaniter nobis meruit: omnia enim, quæ in mente Patris à se facienda nouit, fecit, inquiens, *quæ placita sunt Deo hæc facio semper, & sicut Pater dedit mihi mandatum sic facio.* Si Deus Pater, idest, Sanctissima Trinitas ab ęterno istam gratiam aliquibus dare decreuit, non vlteriorem, hanc eis Christus meruit. Quia verò idem Deus ab æterno decreuit alijs dare vlteriorem gratiam, nempè efficacem, Christus pro eis illam meruit. Si autem quęratur, cur Deus prioribus decreuit dare illam tantùm, & non aliam? posset fortasse quis dicere (sicut de decreto reprobationis dictum est) quia

Ad obiecta, negantium gratiam sufficientē respond.

Interrogatio impertinens.

quia Deus prescivit tales reiecturos illam gratiam. At esto sic. Si vlterius quis interrogaret, cur præsciens illos reiecturos illam gratiam, non decreuit dare eis gratiam efficacem, ne reijcerent, sed consentirent, sicut decreuit pro alijs? Ad hoc, sicut aliàs feci, respondeo cum Apostolo Rom.9. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Vel respondeo cũ eodem *in cap.* 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprahensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*: qua responsione S. Augustinus Doctor gratiæ ad hoc propositum pro curiosis hæc Dei occulta iudicia perscrutantibus, plusquam sexcenties in suis operibus vtitur. Vel tandem cum alijs eiusdem S. Augustini responsionibus, prima in lib.1. de Predest. SS. cap. 8. in fine. *Cur autem potius hunc, vel illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Melius enim & hic audimus, aut dicimus: o homo tu quis es, qui respondeas Deo, quam dicere audeamus, quasi nouerimus, quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid iniustum velle non potuit.* Alia responsio S. Augustini ad hanc interrogationem habetur in *lib. de spir. & lit. cap.* 34. in fine, vbi de hoc puncto discurrens, cur Deus alicui gratiam concedat, ad quam sequitur, alteri aliam ad quam non sequitur effectus; sic respondet. *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, vt persuadeatur illi autem non ita:*

Responsio Apostol. & August.

Alia Aug. responsio.

ita: duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat: ò altitudo diuitiarum; & numquid iniquitas apud Deum? cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caueat, ne inueniat præsumptiores: itaque admittit S. Augustinus gratiam, qua suadetur quis, & persuadetur; & gratiam qua alter suadetur, at non persuadetur: (hanc vocamus sufficientem:) causam verò huius differentię se nescire ait, sed ad altitudinem diuitiarum sapientiæ Dei remittit, consolans omnes, quòd apud eum non est iniquitas, aut personarum acceptio, sed misericordia, & iustitia: Cui sit gloria in sæcula.

Ex Aug datur gratia, cui resistitur.

CAPVT XXIII.

An aliqua gratia interdum cadat sub merito.

575. ADu. 1. Quòd nomine gratię veniunt omnia dona Dei, quæ hominibus à Deo ex sua liberalitate conferuntur, siue naturalia, siue supernaturalia, siue corporalia, siue spiritualia, ipsumque totum esse hominis; omnia enim Deus nobis *gratis* largitur, nulli enim debet Deus; nam ex Rom. 11. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*: sed hìc non loquimur de gratia in tanta latitudine. 2. Nomine gratiæ veniunt dona spiritualia, & supernaturalia, quæ in via conferuntur hominibus, vt sunt Virtutes Theologicæ, Fides, Spes, & Charitas, Gra-

Omnia dona data à Deo hominibus dicuntur gratiæ,

Gratia item habitualis, si ponatur distincta à Charitate; Virtutes Cardinales, si teneatur infundi cum Theologicis; septem dona Spiritus Sancti; nouem gratię gratis datę; octo beatitudines, & vita ęterna; & tandem Gratia actualis, de qua in toto hoc Opusculo locuti sumus, quæ actuale etiam auxilium appellatur.

Non fit sermo de gratia sic accepta.

576. Adu.2.Quòd quamuis de gratia actuali fuerit tota, ac perpetua disputatio S. Augustini cum Pelagio, ac Celestio, eorumque asseclis, quando (licet fictè, & equiuocè) admiserunt necessitatem gratiæ, & sub merito cadere posse dicebant auxilium gratiæ; & de hac pręcipuè hic nobis esset loquendum, nihilominus existimans alicuius fore vtilitatis nostris tyronibus, si de omni supernaturali gratia aliquid dicam, an aliqua earum cadere possit sub merito, & quomodò, pro mea tenuitate libenter exequar, exclusis priùs ijs, quæ non cadunt sub merito.

577. Adu.3. & suppono ex communi Theologorum sententia, vt dixi in tomo *de Incarnatione*, quòd meritum est actio aliqua, cui ex pacto aliquo, seu lege debetur merces, seu præmium;& distinguitur in bonum, & malum, quod propriè vocatur demeritum. Bono ex pacto, seu lege debetur pręmium; malo verò debetur supplicium:de bono est nobis sermo, & apud Deum. Supponendum pariter cum eadem communi sententia, quòd ad constitutionem meriti apud Deũ hæc 5. requiruntur: primùm, vt sit opus moraliter bonum,quod Deus ipse indicauit Caino Gen. 4. *Nonnè si bene egeris recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit*. 2. vt sit opus bonum liberum, ex 1. Cor.9. *Si volens hoc ago mercedem accipio*. Licet Deus ex sua liberalitate ac-

Quid sit meritum.

cepcare posset passionem alicuius sine libertate perpessam, & ei conferre præmium, vt cum innocentibus fecit occisis in odium Christi. 3. requiritur, vt sit opus factum ab homine viatore; nam post mortem nemo potest mereri: Ecclesiaste 11. 3. *Si exciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*: ideò Paulus ad Galat.6. ait; *dum tempus habemus operemur bonum*. 4. requiritur, vt sit opus bonum factum ab homine existente in statu gratiæ, sicut docuit Saluator, *Manete in me, & ego in vobis: sicut palmes non potest facere fructum à semetipso, nisi in vite manserit, sic nec vos, nisi in me manseritis: ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere*: Ioann. 15. 5. & Concilium Trident. *sess.6. cap.16.* docet, quòd sine gratia per Christum antecedente, comitante, & subsequente, *opera bona, nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent*. 5. tandem ad meritum apud Deum requiritur aliquod pactum, seu promissio diuina de compensatione, seu retributione alicuius boni, seu mercedis pro opere bono ab ipsomet Deo præcepto, seu pro passione pro nomine eius, seu pro fide perpessa. De hac promissione vitæ ęternæ, & aliorum conducentium ad eam, abundat Sacra Scriptura: ideò notandum valdè est ex S. Augustino *ser. 16. de Verb. Apost.* quòd, cùm Deus ex gratia concedat homini vitam æternam, hæc concessio dicitur quidem actio iustitiæ, sicut ait Apostolus, *reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus Iudex, & omnibus, qui, &c.* tamen non est iustitia in rigore, quia gratia est semen glorię; & ideò, vt postea dicam, vita æterna dicitur *gratia pro gratia*;

Requisita ad meritũ saltim quinque.

Vt sit opus moraliter bonum.

Liberum.

A viatore factum existente in gratia.

Et factum, seu promissio Dei de præmio.

tia; ſed dicitur iuſtitiæ actio largè, ex promiſſione Dei, qui fidelis eſt: ait enim S. Doctor, *Debitor nobis factus eſt Deus non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo nobis, vt dicamus ei: redde, quod promiſiſti, quia fecimus quod iuſſiſti, & hoc ipſum quod fecimus, tu feciſti, quia nos laborantes tu iuuiſti*.

Deus factus eſt debitor hominis ex ſua liberalitate.

578. Adu. 4. quòd ſenſus huius quęſiti duplex eſſe poteſt. Primus, an ſub merito ex naturæ viribus procedente cadere poſſit aliqua gratia, ſicut aliqui Semipelagiani olim docebant, contra quos toto vitæ ſuæ tempore pugnauit, &, Eccleſia iudicante, vicit S. Auguſtinus. Alter ſenſus quem à paucis video diſcurſum, (& tamen pijs viris ſcitu dignus eſt) an gratia aliqua cuiuſcumque generis cadere poſſit ſub merito procedente ab homine exiſtente in ſtatu gratiæ, benè, ac ſanctè operante, Deumque precante, vt nouas gratias, vel earum augmentum ei concedat, ex pacto aliquo, vel promiſſione, ſicut dicitur de alijs donis ſpiritualibus, quæ ex promiſſione, ſeu pacto per Chriſtum expreſſo, obtineri poſſunt: Ioann. 14. 13. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in filio. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*: his autem ſuppoſitis

Senſus quæſiti duplex

Vnus reijcitur.

579. Dico 1. Prima gratia vocationis ad fidem, vel ad pœnitentiam cadere non poteſt ſub merito ex naturæ viribus procedente: eſt de fide.

Prima gratia vocationis non poteſt cadere ſub merito.

580. Prob. 1. Ex Rom. 11. 8. *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia non eſt gratia*. Interl. dicit, *non eſt gratia, ſed debitum*.

Theodoret

Theodoretus in eum locum dicit. *Salus*

etiam

etiam gratia appellatur, quia ex diuina liberalitate, ac munificentia profecta est. Hoc etiam dixit, vbi egit de Patriarcha Abraham: Operanti autem merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.

581. Prob. 2. ex Concil. Diospolit. cap. 7. *Gratiæ Dei adiutorium ad singulos actus bonos necessarium non datur secundùm nostra merita*: idem confirmat Gelasius Papa *in epist. 6.* Ex Concil. Diospolit. Ex Gelas.

582. Prob. 3. ex Concil. Arauſ. 2. plura de hac re dicente, quòd nempè gratia semper præcedere debeat opus bonum, non verò sequi illud: in can. 4. ait. *Gratia Dei præparat voluntatem hominis, vt purgetur, &c. non expectat voluntatem*: in can. 6. inquit. *Gratia Dei est causa cur homo credat, velit, petat, & alia bona faciat*: in can. 8. dicit. *Gratia præcedit bona opera, vt fiant*: Ergo non cadit sub merito. Ex Concil. Arauſ. 2.

583. Prob. 4. ex pluribus Cœlestini primi dictis; in epist. 1. cap. 8. *A gratia Dei omnia bona opera habent originem*: in cap. 12. ait. *A gratia Dei procedunt bona opera*. Item, *Gratia Dei cooperatur homo, & hoc donum Dei est.* Ex Cælest.

S. Augustini authoritates in sequenti conclusione referam.

584. Prob. 5. experientia, quòd scilicet prima gratia vocationis non possit cadere sub merito. Si sermo sit de Infideli, Gentili, vel Hæretico, experientia docet, quòd sic conuertuntur, vt ipsummet Concilium Tridentinum docet, *sess. 6. cap. 5. Per gratiam præuenientem vocantur, nullis eorum existentibus meritis*; quia siue mediante concionatore, siue immediatè à Deo illuminantur, cùm ipsi anteà nihil cogitarint de re, de qua illuminantur; quia veritas fidei, de qua il- Arg. ab experientia.

luminantur, ac inspirantur, ab eis non cogitabatur; ideò nulla apparet via, quomodò illuminationem illam, ac inspirationem mereri potuerint; *nihil enim volitum, quin præcognitum*; sed à Deo immediatè ex sua misericordia illuminantur, ac inspirantur ad veritatem agnoscendam, & amplectendam: & ideò ex Apostolo vocatur *gratia*, quia *gratis* data. Eamdem experientiam agnoscit peccator, qui vel audiens Concionatorem, vel à Deo immediatè excitatur, & inspiratur ad detestandum peccatum, illudque confitendum; cùm ipse in alijs negotijs esset immersus, nullumque opus fecisset, vt illuminationem, ac inspirationem illam obtineret.

Exempla vocationũ sine vlla prævia actione.

585. Prob. 6. Meritum apud Deum, ex notabili 3. est actio libera procedens ab existente in gratia. Sed ante primam vocationem, ac inspirationem, nec infidelis, nec fidelis lapsus in mortale, est in gratia. Ergo neuter eorum habere potest meritum respectu primæ gratiæ.

586. Dico 2. Gratia adiuuans, seu efficax, per quam infidelis, ac fidelis peccator consentiunt gratiæ excitanti, non cadit sub proprio excitati merito: est de fide, sicut præcedens; immò de hac gratia, quo ad me, principalius videntur locuti Apostolus, Concilia, Pontifices, & S. Augustinus.

Gratia efficax non potest cadere sub merito.

587. Prob. omnibus præfatis argumentis, 2. sic: Excitatus, ac inspiratus per illuminationem, ac inspirationem, aut eam reijcit, aut ei consentit: si reijcit, de eo non loquimur; si verò consentit, hoc oritur ex gratia efficaci faciente consentire, & postea exequi, vt in suis locis dictum est: in eo autem casu post excitationem, & immediatè ante consensum, talis excitatus nullum

exer-

exerceet opus, per quod mereri possit gratiam illam facientem consentire, sed post excitationem experitur se statim consentire: igitur non potest eam mereri, sed à Deo ex sua misericordia, iuxta æterna suæ sapientiæ iudicia, gratis eam obtinet: & ideò gratia, & verè gratia est, non merces, aut præmium. Si ergo quis non meruit gratiam excitantem, neque meret efficacem.

Ab experiētia arg

588. Prob. 2. dogmaticè: ex Philipp. 3. Deus est, *qui dat velle, & perficere pro bona voluntate*. 2. Cor. 3. 5. *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est*: & 1. Cor. 4. 3. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Dogmaticè prob.

589. Prob. 3. ex Concilijs. Diospolitanum cap. 7. definit hoc modo. *Gratiæ Dei adiutorium ad singulos actus bonos necessarium non dari secundùm hominis merita*: Ergo multò minus ob merita infidelium, aut fidelium peccatorum. Concil. Araus. 2. c. 3. sic definit. *Gratia Dei facit, vt ipsa inuocetur*: in can. 4. *Gratia Dei præparat voluntatem hominis, vt ipsa purgetur, velit, ac proficiat; & non ipsa expectat voluntatem*; in can. 6. *Gratia Dei est causa cur homo credat, velit, petat, & cætera bona faciat*: in can. 18. *Gratia Dei præcedit bona opera, vt fiant, &c.* igitur nullo modo potest homo mereri gratiam illam adiuuantem, seu efficientem, per quam præuentus, seu excitatus ad opus bonum faciendum, consentit facere, & postea facit.

Conc. Diospolit.

Concil. Araus.

590. Prob. ex Concil. Trident. *sess. 6. cap. 5.* In quo exactè decernitur modus iustificationis, & præparatio ad eam per actus credendi, diligendi,

Conc. Trid exactè.

aut

aut pænitendi factos absque meritis iustificandorum. *Declarat ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse; hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur, &c.* nullum ergo meritum adest in homine, cuius intuitu Deus conferat gratiam efficacem, per quam infideles, seu fideles peccatores, vel excitentur, vel excitati consentiant, & exequantur.

591. Confirmatur argumento à fortiori desumpto ex eodem Concilio eadem *sess. 6. cap. 8.* vbi exponens illud Rom. 5. *iustificari gratis per fidem*, duo dicit; primum, quòd licet causa formalis iustificationis sit gratia sanctificans *ex cap. præced.* dicitur tamen fides iustificare tamquam radix, à qua incipit iustificatio, ab actu scilicet credendi *ex cap. 6.* Secundum ad rem nostram est, quòd quamuis actus credendi, sperandi, diligendi, ac penitendi præcedant iustificationem; hæc tamen, dicit, fit *gratis*, idest sine meritis: igitur multò minus gratia illa, quæ facit credere, sperare, diligere, ac penitere datur ex meritis, sed est omninò gratuita. Verba Concilij sunt hæc: *gratis autem iustificari ideò dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur: si enim gratia; iam non ex operibus: alioquin, vt idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia.*

Aliud arg. Ex Concil. Trid.

592. Confirmatur ex alio loco eiusdem Concilij in eadem *sess. 6. c. 13.* vbi de Perseuerantię dono loquens dicit. *Deus enim, nisi illius gratię defuerint,*

rint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Cùm ergo Deus illuminat, ac inspirat, tunc incipit opus bonum independenter à merito illuminati, ac inspirati: & si hic non defuit gratiæ Dei, idest, si eam non respuit (vt multi faciunt) Deus ipse, sine vllo istius merito, perficit illud opus bonum, idest concedit gratiam efficacem, per quam voluntas vult illud facere, & facit. 3. arg. ex Concil.

593. S. Augustinus sępissimè hanc conclusionem probat, quòd scilicet gratia ista dicta, *qua*, seu auxilium *quo*, necessarium homini post Adami lapsum, necessarium, inquam, ad sanctè operandum, sine merito illorum, qui recipiunt, Deus ex sua mera misericordia concedit, vt per illud, seu illam operentur: ita docet in Euangel. Ioan. *tract. 3. tract. 82. tract. 86. & tract. 87. in lib. 6. cont. Iulian. Pelagianum cap. 8. in lib. cont. Pelagium, & Cælestium. De gratia Christi lib. 1. cap. 22. & 23. in lib. de Bono Perseuerantiæ cap. 8. 12. & 13. in lib. de Vera Innocentia cap. 374. lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. in lib. de Gratia, & lib. arbit. cap. 1. 5. 14. & 21. in lib. de Patientia cap. 20. in lib. 3. Hippognosticon. in lib. de Nat. & Grat. cap. 4. in lib. 1. de pecc. mer. cap. 21. in lib. 1. cont. Pelagium cap. 22. & 23. in lib. 1. cont. duas epistolas Pelagianorum cap. 19. & 20.* & deficeret tempus, si alia omnia eius loca narrare vellem. Constans autem eius voluntas est, quòd tàm gratia vocationis dicta *sine qua non*, & cui voluntas resistit aliquando, quàm gratia *qua*, qua nempè est efficax faciens facere opus bonum, sine meritis hominis *gratis*, à Deo ex sua misericordia conceduntur. S. Aug. loca plura, in quibus docet gratiam sine misericordia.

594. Dico 3. Gratia habitualis sanctificans, seu Gratia habitualis à

ctificans non cadit sub merito

seu iustificans, non cadit sub merito.

595. Prob. ex modò dictis per Trid. Concil. si enim sermo sit de paruulis, certum est, quòd absque vllo proprio actu, in vim meritorum Christi iustificantur per infusionem Gratiæ, & donorum, fidei, spei, & charitatis: & de his non est sermo; sed de adultis, quos dicimus, quòd sine proprijs meritis, licet precedentibus ex Dei gratia quibusdam dispositionibus, scilicet actibus proprijs fidei, spei, charitatis, ac pœnitentiæ, obtineant iustificantem, seu sanctificantem gratiã; illi tamen actus non sunt merita gratiæ illius sanctificantis, quia licet proueniant ab homine excitato, inspirato, & adiuto à Dei actuali gratia, seu auxilio supernaturali, non adhuc tamen filio Dei, quia talis euadit per gratiam habitualem sanctificantem. Vt autem clariùs pateat nostra, sed communis conclusio, placet ordinem iustificationis à Concilio sancitum breuiter adducere; ex eo enim colligitur totam iustificationem ex gratia obtineri: *in sess. 6. cap. 5.* dicitur. *Docet præterea ipsum iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, quà nullis eorum existentibus meritis vocantur; vt qui per peccata auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur:* in cap. 6. Declaratur, quomodò fiat hæc dispositio ad iustificationem. *Disponuntur autem ad iustitiam, dum vocati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum; credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt, &c. vt dum cognoscentes se esse peccatores, sperant per Christi merita,*

Conc. Trident. clarũ argum.

Ordo iustificationis per Conc.

in Baptismo sibi condonanda fore peccata, &c. Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, & mouentur aduersùs peccata per eorum odium aliquod, & detestationem, proponunt suscipere baptismum, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata: hæc est dispositio per Dei gratiam præuenientem, & adiuuantem, seu efficacem secuta: in cap. 7. dicitur. *Hanc dispositionem, seu præparationem iustitia ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio; sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*: & post multa dicitur. *Quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis D. N. Iesu Christi communicantur: id tamen in hac impij iustificatione fit dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret. Vndè in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa, accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*, &c. Ecce ordo iustificationis: At quoniam remanebat vnum dubium soluendum, quia Apostolus Rom. 5. dicit. *Iustificari gratis per fidem*, Concilium in cap. 8. ad rem nostram sic declarat, *Per fidem iustificati dicimur; quia fides est humanæ salutis fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire. Gratis autem iustificari ideò dicimur; quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, non iam ex operibus; alioquin, vt idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia*. Concludendum ergo, quòd non solùm gratia præueniens, ac adiuuans, & ipsamet gra-

Omnem difficultatē tollit Concilium.

tia sanctificans, quæ est causa formalis iustificationis; sed totum opus iustificationis, & quoad singulas partes, sine merito obtinetur, sed gratis ex Dei misericordia.

596. Videndum modò, quænam cadere possunt sub merito, si non ex debito iustitię, saltem ex promissione diuina, Deique fidelitate; vt ex Augustino notauimus, quòd Deus voluntariè debitor noster fieri voluit, promittendo nobis quę voluit.

597. Dico igitur 4. In iustis existentibus in gratia sanctificante ex Dei promissione, non ex debito iustitiæ, augmentum fidei, spei, & charitatis, seu gratiæ cadere possunt sub merito per opera bona facta ab eis cum auxilio gratiæ.

Aliqua cadere possint sub merito ex Dei promissione.

598. Prob. 1. quòd isti habitus possunt augeri. Apostoli Lucę 17. 1. petunt à Christo, *Domine adauge nobis fidem*: & Ecclesia in Oratione Dominicæ 13. post Penthecosten sic orat. *Deus da nobis fidei, spei, & charitatis augumentum*.

Habitus Theologici possunt augeri.

599. Prob. 2. ex Concil. Trident. *sess. 6. cap. 10.* vbi de augumento iustificationis, idest donorum, quæ iustificationem constituunt, sic loquitur. *Sic ergo iustificati, & amici Dei euntes de virtute in virtutem renouantur, vt Apostolus inquit de die in diem, hoc est mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ, in sanctificationem per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt, atque magis iustificantur, sicut scriptum est. Qui iustus est iustificetur adhuc*: & iterum, *Ne verearis vsque in finem iustificari*: & rursus. *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm*: Iac. 2. *Hoc verò iustitiæ incrementum petit Sancta Ecclesia, cùm orat,*

Ex Concil. Trid.

Ex Orat. Ecclesiæ.

orat. da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum: & in can. 24. *Si quis dixerit iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodò, & signa esse iustificationis adeptę, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.*

600. Cōfirmatur. Omnia Sacramenta in non ponente obicem causant gratiam ex Tridentino *sess. 7. canon. 6. &* 8. cum hac tamen differentia, quòd duo Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ dicta sunt mortuorum, quia suscitant mortuos, per peccatum conferendo primam gratiam sanctificantem; cętera quinque dicuntur viuorum, quia iustis tantùm conferunt augumentum gratię sanctificantis. Ergo tàm gratia, seu charitas, quæ per Scotum idem sunt, quàm aliæ Virtutes Theologicæ per bona opera augentur.

Ex effectibus Sacramentorum.

601. Prob. modò, quòd augumentum concessum à Deo intuitu bonorum operum cadat sub merito promissionis diuinæ, non verò debiti iustitiæ. De merito iustitiæ patet, quòd non adsit, quia sicut docet S. Augustinus, & ante eum S. Paulus, vt patuit, Deus ex debito iustitię nulli debet: de merito verò promissionis sic probatur. Apocal. 22. 11. præcipitur, *qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc*; id est iustus incumbat, vt fiat iustior, & sanctus, vt fiat sanctior: at hoc fit per nouos gradus Sanctitatis, quos Deus concedit iustis, & sanctis, quos nequit à semetipso homo producere. Sed, vt ex Concilio nuper vidimus, per fidem, & bona opera habetur hoc iustitiæ, & sanctitatis augumentum. Ergo per ea opera à Deo requisita, tanquam merita, sine quibus maiorem sanctitatem non cōcederet, regulariter. Con-

Sub merito promissionis cadit augumentum virtutum.

sequ. prob. Opera illa bona facta à iusto habent omnes conditiones meriti ex promissione: sunt enim bona, vt suppono; sunt libera; sunt facta à viatore; sunt facta à iusto existente in gratia; tandem supponunt pactum diuinum de augendo gratiam contentum implicitè in præfato dicto, *qui iustus est, iustificetur adhuc; & qui sanctus est, sanctificetur adhuc*, quia homo per Dei gratiam dispositiuè tantùm concurrit ad illam per bona opera; Deus verò effectiuè per productionem augumenti sanctificantis gratiæ. Ergo implicitè eam promittit sancto, & iusto benè operanti. Si enim de hac promissione Dei, fidelitate, & benignitate; non esset certus, ea opera non faceret.

Bona opera iusti habent omnia requisita talis meriti.

602. Confirmatur à pari de vita æterna, quę promittitur homini benè operanti, & ideò bona opera dicuntur in iusto merita respectu vitę æternæ; vt dicam postea.

603. Confirmatur 2. ex alia promissione Christi Matth. 13. 12. & cap. 25. 29. *habenti dabitur, & abundabit*: igitur homo iustus habens gratiam sanctificantem, credens quòd possit ei conferri alius gradus illius per sua bona opera facta cum Dei auxilio, & in ea abundare; dum ea facit, cum promissione Dei facit; igitur sunt merita promissionis.

Promissio patet ex Script.

604. Dico 5. Iusti orantes, & postulantes à Deo alia spiritualia bona conducentia ad salutē propriam, vel proximi, vt dona Spiritus Sancti, &c. per multiplicationem bonorum operum possunt mereri à Deo eorum assecutionem, non quidem per modum debiti iustitiæ, sed promissionis.

Alia dona cadere possunt sub merito promissionis.

605. Prob. sicut præcedens, 1. A Christo Domino

mino facta est hæc promissio de omni spiritu bono concedendo postulantibus: Lucæ enim 11. 13. ait. *Si vos cum sitis mali nostis bona data dare filijs vestris; quantò magis Pater vester de Cælo dabit spiritum bonum petentibus se*. Si ergo iusti postulant à Deo spiritualia bona, & ad ea obtinenda multa bona opera faciunt, nihil deest istis operibus quin dicantur merita promissionis: & ideo S. Iacobus in sua epist. cap. 1. 3. iustos sic hortatur. *Patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri in nullo deficientes. Si quis autem indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans*; ecce promissio assequendi: si autem iustus præter postulationem, opera bona multiplicet, & præsertim supererogatoria, meritum promissionis habebit: & hæc dona pro Colossensibus impetranda per suas orationes, aliaque sua opera orabat Paulus Coloss. 1. 9. *Non cessantes pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei in omni virtute confortati secundùm potentiam claritatis eius*; sua meritoria opera applicabat Paulus; vt Deus illa dona Colossensibus concederet.

Ex Christi promissione.

608. Dixi, per meritum, non debiti iustitiæ, quia, vt sæpè dixi, Deus nemini debet, sed promissionis, vt cum August. diximus in notabili 3. quia *debitor factus est nobis Deus, quod ei placuit promittendo nobis; vt dicamus ei, redde, quod promisisti, quia fecimus, quod iussisti; & hoc ipsum quod fecimus tu fecisti, quia nos laborantes tu iuuisti.*

Deus voluntariè factus est nobis debitor.

Quo-

Quoties ergo legimus in Sacra Scriptura Dei promissionem alicuius boni spiritualis pro aliquo opere facto ab existente in gratia, legimus, Deum sua benignitate debitorem talis boni, si opus fiat: & consequenter tale opus dici potest meritum promissionis, non debiti iustitiæ.

Alia auxilia potest iustus mereri promissionis merito.

607. Dico 6. Iusti, idest, existentes in gratia sanctificante petentes à Deo continuationem, & multiplicationem auxiliorum diuinæ gratiæ per bonorum operum multiplicationem possunt ea obtinere per modum meriti promissionis, non debiti iustitiæ.

608. Prob. eisdem argumentis. Deus promisit adiuuare petentes auxilium suum, & sic iuxta Augustini doctrinam, ex sua benignitate, ac fidelitate factus est debitor: igitur iustus recurrens pro auxilijs, si per bona opera facta ex eiusdem Dei auxilio curet reddere sibi Deum propitium, meretur ex promissione illa obtinere: in hoc enim, vt sepè dixi, consistit meritum promissionis: Anteced. prob. ex psal. 90. vbi de iusto fit sermo; *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei Cæli commorabitur* &c. in quo præ cæteris, quæ promittuntur homini iusto, adduntur hæc. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum; Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum; longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.*

Ex S. Scriptura.

Ex Theodoretto promissio diuina probatur.

609. Theodoretus in psal. 90. post quam discussit omnia beneficia, quæ in eo Deus promittit prestare homini iusto, explicans illam promissionem, *Quoniam in me sperauit liberabo eum*, & cetera sequentia, ait. *Deus edocet, qui nam sit spei fru-*

ctus: liberabo eum, inquit, ex supradictis visibilibus, inuisibilibusq; insidiatoribus ipsum mea ope munitũ: Idcirco eum custodiam, & protegam, audiam, & preces admittam; & si in aliquam tentationem inciderit, vnà ero, & idoneam consolationem afferam; non modò à grauioribus rebus ipsum liberabo, verùm etiam illustrem faciam.

610. Et S. Augustinus in eumdem psalmi locum inquit: *Nos, qui laboramus in terra, adhuc in tentationibus viuimus: quorum gressus timentur, ne in laqueos incidant. Audiamus vocem Domini Dei nostri consolantis nos, & dicentis nobis, quoniam in me sperauit, eripiam eum; protegam eum, quoniam cognouit nomen meum: noli timere, quando tribularis, ne quasi non sit tecum Deus in tribulatione. Fluctus sunt maris: turbaris in nauigio, quia dormit Christus: dormiebat in mari Christus, peribant homines: si fides tua dormit in corde tuo, tamquam in naui tua dormit Christus, quia Christus per fidem in te habitat: cum turbari cœperis, excita Christum dormientem: exige fidem tuam, & noueris, quia te non deserit: sed ideò putas te deseri, quia non quando vis eripit: eripuit tres pueros de igne. Qui eripuit tres pueros, deseruit Machabeos? absit: & illos eripuit, & istos: illos corporaliter, vt infideles confunderentur; istos spiritualiter, vt fideles imitarentur. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum:* ergo clara est auxiliorum diuinorum promissio.

Ex S. August. declaratur promissio.

Et Christus Dominus, pluries promittit nos fore exaudiendos quoties petierimus Patrem spiritualia bona. Matth. 7. 7. *Petite, & dabitur vobis*; & infra, *quantò magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se.* Lucæ 11. *Dabit spiritum bonum petentibus*; & ex Matt. *omnia quæcum-*

Christi promissio generalis.

cumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: ecce quales, & quot promissiones; pactum ergo Dei adest: dum autem iustus orat Deum, vt sibi sua augeat, ac multiplicet auxilia, petit spiritum bonum, & si opera bona ex Dei gratia multiplicet, vt exaudiatur, nihil remanet faciendum, vt dicatur, eum promissionis merito exaudiri, eaque obtinere. Vndè hac phrasi vtitur Ecclesia *in Dominica prima Aduentus*, petendo diuina auxilia, ***Excita Domine potentiam tuam, & veni; vt ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis mereamur te protegente eripi, te liberante saluari***: notandum, quòd dicit, *mereamur* eripi, & saluari, quod meritum promissionis tantùm esse potest, non verò debiti iustitiæ, quia Deus nemini (vt sæpè dixi) absolutè debet, sed ex promissione tantùm, ac fidelitate.

Ecclesia sic petit.

611. Concludendum ergo, quòd sicut iustus per bona opera potest dona alia, vel eorum augumentum, supposita Dei promissione, mereri, sic & auxilia, si cum fide, ac spe petat: vt dicere possit cum Augustino, ***Domine, redde quod nobis promisisti, quia fecimus quod iussisti &c.***

Dico tandem: Iustus per bona opera, nempè per mandatorum obseruantiam potest mereri merito promissionis maximam omnium gratiam, vitam æternam: est de fide.

Vita æterna cadit sub merito promissionis.

612. Prob. facilè: quòd ex promissione diuina, non ex debito aliquo præcedente potest iustus eam mereri, & de facto meretur: ex Matt. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, ait Saluator: & interrogatus, *quæ?* respondet narrans præcepta Decalogi: & Dauid in psal. 14. quærit, ***Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?***

&

& respondet. *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, & qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum*: &c. & tota Scriptura vtriusque Testamenti plena est eiusmodi promissionibus vitæ æternæ, iustis, pro operibus bonis, & mandatorum obseruatione, reddendæ.

Ex S. Scriptura.

613. Quòd verò vitæ æternæ collatio sit gratia, probatur ex Rom. 6. 23. *stipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* S. August. *in Enchir. c.* 107. explicans locum istum, dicit: *stipendium peccati mors; vt mortem peccato non immeritò illatam, sed debitam demonstraret: Gratia verò, nisi gratis sit, gratia non est: Intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cùm vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur*: & in lib. de Correp. & Gratia cap. 13. inquit: *verumtamen, quia, & ipsa vita æterna, quam certum est, bonis operibus debitam reddi à tanto Apostolo Dei gratia dicitur, cum gratia non bonis operibus redditur; sed gratis detur: sine vlla dubitatione confitendum est, ideò gratiam vitam æternam vocari, quia meritis redditur; quæ gratia contulit homini. Rectè quippè ipsa intelligitur, quæ gratia in Euangelio legitur, Ioann.* 1. *gratia pro gratia, idest pro his meritis, quæ contulit gratia*: & tract. 3. in Euang. Ioan. circa finem explicans illud, *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, inter alia dicit: *Nobis promittitur vita æterna. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum; cognitio Dei promittitur, & ipsa est gratia pro gratia.* Alia eius Doctoris loca mox referam: ergo vita æterna est verè gratia.

Ex S. Augustino.

614. Quod verò per merita acquiratur maxima hæc gratia, probatur. Vita æterna iustis concedenda in facro textu appellatur merces, Matt. 5. 12. *Gaudete, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis*: idem habetur in cap. 10. num. 41. & num. 42. idem habetur Lucæ 6. 23. & num. 25. idem reperit sępè Apostolus in suis Epistolis; merces autem est præmium meriti: vnde idem Apostolus *Rom.* 4. 4. ait, *ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*; & propterea in vtroque Testamento legimus, quòd *Deus reddet vnicuique secundùm opera sua*, & quòd *Opera eorum sequuntur illos*: si ergo bonis operibus iusti redditur merces vitæ æternæ, quia ex Simbolo Athanasij, *qui bona egerunt ibunt in vitam æternam*: & ex oraculo Saluatoris Matt. 25. *esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c. venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, sequitur euidenter, quòd bona illa opera iusti sunt merita mercedis, æternæ scilicet vitę, quę in vno sensu est merces, in alio gratia; & ideò merces, seu promissionis gratuitæ præmium.

Vita æterna datur ob merita. Propter merita datur vita æterna. Ex S. Scriptura.

615. Confirmatur. Apostolus vitam æternam appellat *Brauium*, & inuitat fideles ad currendum, vt illud obtineant: ergo cadit sub merito: brauium enim ob meritum datur: Anteced. prob. ex 1. Cor. 9. 24. *Nescitis, quod ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sic currite vt comprehendatis: omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*: & ad Philipp. 3. 14. ait, quæ *quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens me ipsum, ad brauium*

S. Augustinus cōcedit hoc, quod sit merces, & gratia. Vita æterna est Brauium, & Corona. Ita S. Augustin.

nium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.

616. Interdum vitam æternam vocat *coronam*, vt in loco priùs citato, & 2. Tim. 2. 5. *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*: interdum, quod quidem consideratione dignum est, vocat vitam æternam, coronam iustitię correspondentem laboribus iustorum; 2. Tim. 4. 8. de se, & alijs ait, *Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex: non solum autem mihi, sed iis, qui diligunt aduentum eius*: ergo vita æterna cum sit merces, brauium, & corona iustitiæ, datur ob merita.

Vita ęterna est corona iustitia.

Ex S. Scriptura.

617. S. Augustinus considerans hunc duplicem modum loquendi Apostoli de vita æterna, quam modò appellat gratiam, tamquàm gratis datam; modò mercedem, brauium, & coronam, quæ ob merita dantur; conatur hęc duo concordare, & quidem ingeniosè de more, in lib. de Correp. & Gratia cap. 13. *Verumtamen, quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur; cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur: sine vlla dubitatione confitendum est; ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè, quippe intelligitur, quæ gratia in Euangelio legitur, gratia pro gratia, idest, pro his meritis, quæ contulit gratia.*

S. Augustinus cõciliat hęc duo, quòd sit merces, & gratia.

618. Et idem S. Doctor iterum conciliat hęc loca Apostoli, quomodò vita ęterna detur propter merita, & sit gratia, quę datur gratis, & non propter merita, *in lib. de Grat., & lib. arb. cap. 8.* initio dicens: *Nascitur indè non parua quæ-*

Iterum August.

stio. Si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissimè dicit Scriptura; quoniam Deus vnicuique reddet secundum opera eius: quomodo gratia est vita æterna, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, ipso Apostolo dicente, Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum meritum: & iterum reliquiæ, inquit, per electionem gratiæ saluæ factæ sunt: & mox addidit, si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia: quomodò ergo gratia vita æterna, quæ ex operibus sumitur? an fortè vitam æternam non dicit Apostolus gratiam? immò verò sic dicit, vt negari omninò non possit: nec intellectorem acutum, sed tantummodò intensum desiderat auditorem: cum enim dixisset, stipendium peccati mors: continuò subdidit, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro: ista ergo quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolui, nisi intelligamus, & ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud, quod ait Dominus Iesus, Sine me nihil potestis facere: & ipse Apostolus, cum dixisset, gratia salui facti estis per fidem; & hoc non ex vobis, sed donum Dei est; non ex operibus, nè fortè quis extollatur, &c.

Vita æterna est gratia, & præmium ex gratia ex Apostolo.

619. Idem S. Doctor explicans verba Pauli 2.Tim.4. supra allata, *Bonum certamen certaui, &c. superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex*, &c. in eodem libro de Grat. & lib. arb. cap.6. plura, prolixaque dicit, præ ceteris, hæc: *ista vtique iam merita sua bona commemorat, vt post bona merita consequatur coronam, qui post merita mala consecutus est gratiam. Denique attendite quid sequitur: superest inquit, mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus*

Tertiò S. August. idem probat.

Iu-

Iudex? Cui redderet coronam iustus Iudex, si non donasset gratiam misericors Pater? & quomodò esset illa corona iustitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium? quomodò ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur? Ergò magna hæc vitæ æternæ gratia propter merita gratuita quoque datur.

Quòd tandem meritum hoc dicendum sit meritum promissionis, ac donationis diuinæ, non verò debiti naturæ humanæ, ex præmissis euidenter patet: in natura siquidem humana non adsunt tales qualitates, talisque dignitas, vt eius operibus debeatur ex vera iustitia premium supernaturale adeò excellens, vt est vita æterna. Si enim, inquit Apostolus, *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis*, quomodò poterimus ex nobis, seu nostris operibus mereri, & assequi maximum omnium bonum, vitam æternam? Ideò S. Augustinus *in cap.* 6. nuper relato, post iam dicta, inuehens contra Pelagium dicentem, & gratiam, & vitam æternam ex nostris operibus nobis dari, inquit. *Si cum Pelagiani dicant vitam æternam secundum merita nostra dari, intelligerent, vt etiam ipsa merita dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: Quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant: prorsùs rectissimè respondet Apostolus: Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur, dona sua coronat Deus, non merita tua; si tibi à teipso, non ab illo sunt merita tua: hæc enim si talia sunt, mala sunt, quæ non coronat Deus: si autem bona sunt, Dei dona sunt, quia Iacobus Apostolus dicit. Omne da-*

Ex mer ito promissionis datur vita æterna.

Ex S. Aug.

datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum; & Ioannes Præcursor Domini: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Cælo.

Conclusio ducta ex dictis.

620. Concludo ergo cum simplicitate sermonis: Si Deus ab æterno non elegisset homines ad gloriam, nullus hominum haberet ius ad illam: & si non decreuisset eam dare propter bona opera, tamquam merita fundata in infinito merito Christi Domini, nemo illam obtineret: & ideò omnes prædestinati, siue Patriarchæ, siue Prophetæ, alijque Sancti, qui Christi aduentum præcesserunt; siue qui eum secuti sunt, vt Apostoli, Martires, simplices Confessores, Virgines, Viduæ, Anachoritæ, &c. ideò ad vitam æternam electi sunt, quia Deus voluit; ideò ad gratiam electi sunt, quia Deo sic placuit; ideò bona eorum opera facta in gratia, & fundata in Christi merito, meritoria sunt consecutionis vitę æternę, quia Deo placuit sic disponere. Vnde si Apostolus dicit eis operibus deberi coronam iustitiæ, intelligēdus est de iustitia prouenięte ex pacto, promissione, ac fidelitate Dei facientis, quod promittere voluit; & nobiscum opera illa facit, quia nos laborantes iuuat, vt ex Augustino diximus *ser.16. de Verb. Apost.*

Ex Dei voluntate opera omnium Sanctorū sunt merita vitę æternę.

Excusatio Authoris.

621. Hæc sunt, quæ pro mea tenuitate de rebus tàm arduis, ac subtilibus in hoc triplici Opusculo contentis potui ex S. Augustini Doctrina, si eum intellexi, dicere, vt amicis meis satisfacerem. Nulli contrariæ sententiæ Authori volui iniuriam facere; nullam sententiam reprobare; sed omnes in sua probabilitate relinquere. Si quæ dixi placent alicui, laudet Deum, à quo bona omnia. Si non placent; eiusdem S. Augusti-

nis *in lib. de Spir. & lit. cap. 34.* in fine, responsionem pro eo in memoriam reducam. *Quærat doctiores, sed caueat, ne inueniat præsumptiores.*

622. Hæc omnia, & quęcumque alia toto vitæ meæ tempore dixi, scripsi, aut typis mandaui, Sanctæ Romanę Ecclesiæ, eiusque summo, ac infallibili Capiti, ac Doctori subijcio.

L A V S D E O.